This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 58235 4


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR

THEONIS SMYRNÆI

PLATONICI

LIBER DE ASTRONOMIA

DEZOBRY ET E. MAGDELEINE,

BIBLIOPOLÆ EDITORES,

PARISIIS, VIA DES MAÇONS-SORBONNE, 1.

Theon, of Smyrna

THEONIS SMYRNÆI

PLATONICI

LIBER DE ASTRONOMIA

CUM

SERENI FRAGMENTO

TEXTUM PRIMUS EDIDIT, LATINE VERTIT

DESCRIPTIONIBUS GEOMETRICIS, DISSERTATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

TH. H. MARTIN

FACULTATIS LITTERARUM IN ACADEMIA RHEDONENSI DECANUS

ACCEDUNT NUNC PRIMUM EDITA GEORGII PACHYMERIS
E LIBRO ASTRONOMICO DELECTA FRAGMENTA

ACCEDIT ETIAM

CHALCIDII LOCUS EX ADRASTO VEL THEONE EXPRESSUS

PARISIIS

E REIPUBLICÆ TYPOGRAPHEO

IMPENSIS PUBLICIS

M DCCC XLIX

Dec. 19, 1922 EM.

AD LECTOREM.

LECTOR BENEVOLE,

Physicarum scientiarum apud antiquos historiæ multis voluminibus componendæ jam dudum intentus, quum totus essem in scribendo secundo volumine, quod antiquæ astronomiæ dicabitur, graviter sensi mihi deesse, typis nondum vulgatam et iis qui scientiæ illius historiam scripserunt neglectam, Theonis Smyrnæi, platonici philosophi, operis *De iis quæ in re mathematica ad Platonis lectionem utilia sunt*, partem astronomicam, cujus codicem manuscriptum Mediolani in Ambrosiana bibliotheca viderat Isaac Vossius, et, Bullialdo[1] teste, « in eo plura egregia animad- « verterat, quantum ei permiserat regionis illius con- « suetudo. »

Rel. 9-20-35. Apr. 7.

Astronomiæ historiam scribens Bailly[2], postquam de Theonis *Astronomiæ* codice illo Mediolanensi lo-

[1] In Theonis Smyrnæi operis arithmeticæ partis editione, *Ad lectorem*, p. 9. Parisiis, 1644, in-4°.

[2] *Histoire de l'Astronomie moderne, Éclaircissements*, livre II, § 44, t. I, p. 504.

cutus est, addit : « Il serait à souhaiter qu'on visitât « avec soin les bibliothèques qui peuvent recéler ces « restes précieux de l'antiquité. Si les sciences, dans « l'état où elles sont aujourd'hui, n'ont rien à y gagner, « l'histoire de l'astronomie y trouverait bien des ren- « seignements utiles. »

Montucla[1] de Theonis operis parte astronomica hæc loquitur : « Il est fâcheux que jamais personne « n'ait songé à publier cette partie, qui vraisembla- « blement nous instruirait de beaucoup de faits cu- « rieux. D'ailleurs, comme Théon fut observateur (id « falsum esse, aut certe valde dubium, ostendemus), « peut-être y trouverait-on diverses observations utiles « à l'astronomie moderne. » Quas Montuclæ spes non ambas quidem, sed priorem certe veram fuisse hæc nostra editio comprobabit.

Eadem de re hæc loquitur Idelerus[2] : « Nach Bul- « lialdus[3], hat auch Theon aus Smyrna in seiner As- « tronomie Æhnliches wie Simplicius über die Sphæ- « rentheorie gesagt. Es ist zu bedauern dass diese « Schrift noch nicht gedruckt, und des Eudemus Werk « verloren gegangen ist. »

Mirum sane est, doctis viris tanti pretii habitum, tam parum innotuisse Mediolanensem illum codicem,

[1] *Histoire des mathématiques*, 2e édition, t. I, p. 293.

[2] *Ueber Eudoxus, 2te Vorlesung*, in Commentariis Academiæ scientiarum Berolinensis, ex anno 1830, p. 73.

[3] *Astron. philol.*, prol., p. 20.

cujus una tantum aut altera particula, tanquam acuendi causa desiderii, descripta est. Ex eo videlicet Isaac Vossius exscripserat Alexandri Ætoli (vel potius Ephesii)[1] sex et viginti versus, quos primus Galeus[2] et post eum multi ediderunt. Bullialdus autem, Theonis Smyrnæi operis arithmeticam partem primus edens, anno 1644, de Mediolanensi astronomicæ partis codice hæc dicebat : « Hunc si obtinere ali- « quando possumus, publici juris fieri procurabimus[3]. » Et ipse quidem in eodem libro[4] edebat, in Cleomedis *Meteorologicorum* codice quodam a se inventum, e Theonis Smyrnæi *Astronomia* excerptum documentum tribus lineis constans, de commenticio solis motu ad unum gradum in zodiaci latitudinem : cujus erroris origo jam ab Eudoxo[5] repetitur, et vestigia inve niuntur etiam apud Plinium[6] et Martianum Capellam[7]. Anno autem 1645, in *Astronomiæ philolaïcæ* Prolegomenis[8], Bullialdus hæc ait : « Theon Smyrnæus, in « Astronomia sua, quam habuimus e bibliotheca illus-

[1] Vide *Dissertationis* nostræ part. II, c. III, § 12.

[2] *Addenda notis in Parthenium*, p. 149.

[3] *Ad lectorem*, p. 9.

[4] Post Theonis Smyrnæi *Arithmeticæ* textus finem, p. 189.

[5] Vide Idelerum, *Ueber Eudoxus, 2te Vorlesung*, p. 75-76.

[6] II, 13 (16). *Sol deinde medio fertur inter duas partes flexuoso Draconum meatu inæqualis..... Saturni* (stella) *duabus, ut Sol.*

[7] VIII, 867, p. 675, Koppii. Cf. *Dissertationis* nostræ part. II, c. IV, § 8.

[8] P. 20.

« trissimi ac reverendissimi archiepiscopi Tholosani « (*sic*) Caroli Monchalii, eadem de Eudoxo et Callippo « refert, quæ Simplicius ex Eudemi historia astro- « nomiæ. » Attamen Bullialdus, promissi sui immemor, ex hoc Theonis opere ad astronomiæ historiam utilissimo satis habuit paucissima tantum documenta, nec optime delecta, Prolegomenis suis inserere. Menagius[1] etiam, aut per Vossium, aut e codice archiepiscopi Tolosani, nonnihil ex Eudemi *Historia astronomiæ* in Theonis Smyrnæi *Astronomia* exstans noverat. Sed astronomicam hanc Theonis operis partem nec Bullialdus, nec Menagius, nec alius quisquam ad hunc diem edidit, quanquam id brevi futurum J. A. Fabricius[2] speraverat. Ipse vero Fabricius[3], ad priores decem Alexandri versus, quos post Galeum edit, hæc annotat : « Versus græcos Alexandri servavit nobis « Theo Smyrnæus, libro Περὶ τῶν εἰς τὰ μαθήματα χρη- « σίμων, parte illa quæ astronomica persequitur, ac « manu exarata superest Parisiis in Coisliniana et Me- « diolani in Ambrosiana bibliotheca. » Sed Theonis *Astronomiam* inter Coislinianæ bibliothecæ codices fuisse falsum est. Immo vero ejus operis codicem Mediola-

[1] Vide ejus notam ad Diogenem Laertium, I, 23, t. II, p. 14, Meibomianæ editionis.

[2] In *Bibliotheca græca*, t. IV, p. 37, Harlesii editionis.

[3] Ad Chalcidii *Commentarium in Timæum*, c. LXXI, p. 307, nota f, in tomo altero S. Hippolyti operum. Hamburgi, 1718, in-fol.

nensem in Ambrosiana bibliotheca usque ad Bernardi de Montfaucon tempus exstitisse vix satis constare videri poterat. Unam enim ille, ex illius bibliothecæ Catalogo, Theonis Smyrnæi nomine insigniti codicis præbet mentionem hanc[1] valde suspiciosam : *Theonis Smyrnæi, vel potius anonymi, de sphæra et in Platonem.* Quod ad codicem Tolosanum spectat, invenitur apud Labbeum[2], in Catalogo manuscriptorum codicum Caroli de Montchal, Tolosani archiepiscopi, titulus hic : « Theonis *Smyrnæi* Τῶν εἰς τὸ μαθηματικὸν χρησίμων, « *De cœli et terræ figura ex astrorum mota.* Incipit : Ὅτι ὁ πᾶς κόσμος. Desinit : τὰ ἐλάχιστα κινούμενος. » Sed de hoc pretioso codice, quem viderat etiam Bullialdus, quid deinceps factum fuisset, ante aliquot menses ignorabam.

Nec magis sciebam Lugduni Batavorum exstare Parisiensis illius codicis apographon, quo lecto, vir doctissimus de Gelder[3] Theonis opus illud ad historiam astronomiæ explicandam Cleomedis opere utilius merito declaravit, et illo contineri notavit, præter multa de summis apud antiquos in mathematica scientia viris documenta, totos Alexandri, Ibyci et Arati poetarum

[1] In *Bibliotheca bibliothecarum manuscriptorum nova*, t. I, p. 505 C.

[2] In *Bibliotheca nova manuscriptorum*, p. 191. Parisiis, 1653, in-4°.

[3] *Præmonendorum*, c. II, § 4, in Theonis *Arithmeticæ* editione. Lugduni Batavorum, 1827, in-8°.

versiculos (scilicet Empedoclis et tragici cujusdam versus ibidem allatos non animadverterat). Attamen, Theonis *Astronomiam*, quam tanti faciebat, ineditam relinquens, vir doctissimus ejusdem auctoris *Arithmeticæ*, quam totam ediderat Bullialdus, priorem partem paulo correctius typis mandare maluit.

Codicis Mediolanensis ipsius, si quidem etiam nunc exstaret, mihi copia fieri non poterat. Illius apographon obtinere, cui quidem posset fides haberi, facile non erat. Nec mihi tamen ulla alia spes superesse videbatur. Nam, feriis ad id uti solitus, ut Parisiis libros eos pervolvam, qui mihi Rhedonibus desunt, jam anno 1845, octobri mense, Bibliothecæ regiæ servandis codicibus præfectos doctissimos viros adieram, qui, postquam in Catalogo perquisiverunt, Theonis Smyrnæi operis mathematici, quod Bullialdus edidit, multos codices, *Astronomiæ* vero nullum exstare affirmaverunt in commissis sibi thesauris. Quo Catalogi vitio decepti id arbitrari fuerint jamjam explicabitur[1].

Anno autem 1846, octobri mense, cum viro de Aristotele et metaphysica scientia bene merito, Felici Ravaisson, bibliothecarum inspectore, educationis publicæ administrationi summæ tunc a secretis, colloquenti mihi in Theonis Smyrnæi *Astronomiam* sermo feliciter incidit, cujus ille codicem manuscriptum in Bibliotheca regia se reperisse, et, aliis negotiis ob-

[1] Vide *Dissertationis* nostræ part. I, c. II, § 3.

stantibus, edere non potuisse declaravit; atque etiam id se procuraturum pollicitus est, ut in manus mihi, editori futuro, codex ille optatissimus veniret. Et sane, ineunte hoc anno, Theonis *Astronomiæ* codicem gratissimo animo accepi, cui totum impendi tempus, quodcumque a mense januario ad hunc usque diem alia munera mihi reliquerunt.

Nunc autem scio eumdem esse hunc codicem qui in Caroli de Montchal bibliotheca fuerat, atque esse accuratissimum et idcirco mendosissimum mendosissimi Mediolanensis codicis apographon : quæ res suo loco demonstrabitur. Mediolanensi igitur codice sine maximo meo lectorumque et ipsius Theonis detrimento carere, et in auctoris textu ad rei grammaticæ mathematicæque normam corrigendo, ingenio prudenter indulgere posse mihi visus sum, vocatis in auxilium, tum latina maximæ operis partis interpretatione, quam *Commentario in Timæum* a Chalcidio insertam inveni, tum Græcis de eadem scientia auctoribus. Inter quos, quum typis nondum vulgatum lateret in Bibliotheca regia Parisiensi manuscriptum Georgii Pachymeris opus *De quatuor mathematicis disciplinis*, astronomicum librum, qui quartus operis est, attente perlegi, ea enotans quæ utilia visa sunt, et nonnullos etiam describens locos, quos in hujus voluminis *priori Appendice* invenies. In *Appendice altera* occurret, ex optima et rara Fabricii editione paulo etiam correctius editus, geometricis vero descriptionibus, quæ

quidem textui conveniant, *nunc primum* instructus, atque dissertatione et notis illustratus, Chalcidii locus, astronomicæ scientiæ historiam scribentibus male neglectus, qui ex aliquo, sive Theonis ipsius, sive Adrasti, quem in astronomia Theon sequi solet auctorem, deperdito opere aliquo expressus videtur.

Eorum quæ ad diligentissime curandam Theonis Smyrnæi *Astronomiæ* editionem adhibere potui, me nihil omisisse te sequens *Dissertatio* docebit.

Scribebam Rhedonibus, omnino præparata editione, quæ ut regiis typis fiat, a me nunc postulatur.

Anno 1847, mense septembri.

TH. H. MARTIN.

DE

THEONIS SMYRNÆI ASTRONOMIA

DISSERTATIO.

DISSERTATIONIS SUMMARIUM.

PARS PRIOR.

CAPUT I. De Theonis Smyrnæi tempore, vita et operibus.

CAPUT II. De Theonis Astronomiæ codicibus.

CAPUT III. Codicis Parisiensis descriptio.

CAPUT IV. De hujus editionis instituto.

PARS ALTERA.

CAPUT I. Quemnam locum inter philosophiæ platonicæ interpretes obtinet Theon?

CAPUT II. Quemnam in astronomiæ historia locum obtinere debet Theonis astronomicus liber?

CAPUT III. De auctoribus quorum in Theonis astronomico libro fit mentio.

§ 1. De Empedocle, Ibyco et tragico quodam.

§ 2. De Babyloniis, Chaldæis et Ægyptiis.

§ 3. De Thalete, Anaximandro, Anaximene et Œnopide.

§ 4. De Pythagora et Pythagoreis.

§ 5. De Platone.

§ 6. De Eudoxo, Callippo et Aristotele.

§ 7. De Menæchmo Alopeconnesio mathematico platonico.

§ 8. De Eudemo Rhodio.

§ 9. De Dicæarcho.

§ 10. De Eratosthene.

§ 11. De Arato, Archimede, Hipparcho et Posidonio.

§ 12. De Alexandro Ætolo et Alexandro Ephesio.

§ 13. De Thrasyllo Phliasio.

§ 14. De Dercyllide platonico.

§ 15. De Adrasto Aphrodisiensi peripatetico.

§ 16. De Sereno Antissensi philosopho et mathematico.

§ 17. Quos auctores Theon præcipue secutus sit.

CAPUT IV. Theonis astronomiæ expositio, qua de eadem judicatur.

§ 1. De cœli figura.

§ 2. De Terræ figura et situ.
§ 3. De Terræ et maris superficie.
§ 4. De Terræ quiete et cum cœlo proportione.
§ 5. De cœlestis sphæræ circulis.
§ 6. De errantium stellarum nominibus.
§ 7. De inerrantibus stellis.
§ 8. De errantium septem astrorum motibus.
§ 9. De ortibus et occasibus.
§ 10. De sphærarum cœlestium ordine, concentu et motibus.
§ 11. De totius mundi ordine.
§ 12. De circulari et æquabili motu et de inæquabili.
§ 13. De solaris motus inæqualitate et de hypothesibus ad eam spectantibus.
§ 14. De anno et de Solis longitudinis, latitudinis et inæqualitatis restitutionibus.
§ 15. De Lunæ et errantium stellarum motibus et inæqualitate motus, ac de hypothesibus ad ea spectantibus.
§ 16. De nodorum et apogeorum motibus.
§ 17. De variis astronomorum antiquorum hypothesibus.
§ 18. Auctoris hypothesis universa.
§ 19. Auctoris de Mercurio et Venere hypothesis.
§ 20. De hypothesium historia.
§ 21. De stationibus, retrocessibus et mediis a Terra distantiis.
§ 22. De occultationibus.
§ 23. De Solis defectibus.
§ 24. De Lunæ defectibus.
§ 25. De astronomicis inventionibus et hypothesibus, e Dercyllide.
§ 26. De zodiaci obliquitate et de sphæræ circulorum intervallis.
§ 27. De motibus in spiras.
§ 28. De Sereni fragmento.

DE

THEONIS SMYRNÆI ASTRONOMIA

DISSERTATIO.

PARS PRIOR.

CAPUT I.

DE THEONIS SMYRNÆI TEMPORE, VITA ET OPERIBUS.

§ 1.

De operis, quod nunc edimus, auctore pauca admodum scimus, præter ea quæ nos de se ipse docuit. Suidæ[1] et Eudociæ[2] nomine tenus cognoscitur *Θέων Σμυρναῖος φιλόσοφος*. In codicibus manuscriptis operis quod primus edidit Bullialdus, nominatur auctor *Θέων Σμυρναῖος πλατωνικός*; in *Astronomiæ* codice Parisiensi *Θέων Σμυρναῖος* tantum. Quæ Bullialdus[3], G. J. Vossius[4], Weidlerus[5],

[1] S. v. *Θέων*.

[2] S. v. *Θέων*, p. 229 Villoisonii.

[3] In editione Theonis arithmetici libri, *Ad lectorem*, p. 8-9.

[4] *De scientiis mathematicis*, X, 3, p. 38.

[5] *Hist. astron.* VII, 11, p. 175.

Montucla[1] et de Gelder[2] de illo attulerunt veterum testimonia, ea ad ipsum vere spectare omnia non credimus.

Noster quidem profecto est *Θέων ὁ πλατωνικός*, cujus opinionem de Platonis propinquorum Critiæ et Glauconis genere confutat Proclus[3]. Nec dubitandum quin noster sit Theon, « summus ille mathematicus, auctor operis de « quatuor mathematicis disciplinis, » sic a græco cardinali Bessarione[4] dictus ac ut princeps nominatus inter eos « expositores Platonis, qui, in explanandis ejus libris, de « mathematicis rationibus plura dixerunt. »

Verum Nostrum esse minime constat illum Theonem, qui Plutarcho, in dialogo *De facie in orbe Lunæ*, inducitur, poetarum præcipue[5] et Aristarchi[6], non mathematici illius Samii, sed grammatici Alexandrini, studiosus; contra opinionem de Lunæ incolis jocose potius quam serio disputans, quamvis triplicis Lunæ motus in longitudinem, latitudinem et altitudinem non ignarus[7], sed nihil de defectibus Solis et Lunæ se scire confitens, nisi ea quæ pueri non nesciunt, ac cetera doceri a Lucio platonico postulans[8]; sæpius etiam in Plutarchi *Convivalibus quæstionibus* obvius, semperque ita disserens, ut gramma-

[1] *Histoire des mathématiques*, 2e édition, t. I, p. 292-293.

[2] In Theonis Smyrnæi Arithmeticæ editione, *Prænonendorum*, c. 1, § 2 et 3.

[3] *In Timæum*, p. 26 A ed. gr. Basil., p. 58 Schneideri.

[4] *In calumniatorem Platonis*, c. VIII. Venetiis, 1503.

[5] Vide Plutarchum, *De facie in orbe Lunæ*, c. VII, p. 923 F; c. XIX, p. 931 E, F; et c. XXV, p. 938 D.

[6] *Ibid.* c. XXV, p. 938 D.

[7] *Ibid.* c. XXIV.

[8] *Ibid.* c. XX, p. 932 D, E.

ticum decet[1], et quem diserte sodalem suum[2], grammaticum[3] Theonem Plutarchus nominat.

Eumdem *sodalem suum* Theonem in dialogo *De ei delphico*[4] Plutarchus inducit de dialectica ratione in oraculis disserentem, et obiter oraculum de duplicatione cubi memorantem, de quo loquitur etiam Theon Smyrnæus[5]. Sed ibi quæ disputat Plutarchi sodalis multa eruditione refertum grammaticum optime decent.

Præterea mentiones, quæ ad Nostrum spectare videri possint, has invenimus.

Inter antiquos (παλαιοὺς) de arte rhetorica auctores Joanni Doxopatro[6] memoratur *Theon platonicus*, sentiens descriptionibus oratoriis non tantum *personas*, *res*, *tempora* et *locos*, ut Hermagoras et Apsines volebant, verum etiam *modos* (τρόπους) exprimi deberi. Theonem autem platonicum rhetorem illum *Progymnasmatum* quidem bene notum auctorem non esse credimus; sed an idem sit ac Smyrnæus Noster nescimus.

Minus etiam constat de Theone illo, de quo Joannes Siculus[7] ait credendum non esse *Theoni* et Sopatro, con-

[1] Vide Plutarchum, *Conviv. quæst.* I, 4; I, 9; IV, 3; VIII, 6, 8.

[2] *Ibid.* I, 4; Cf. VIII, 6.

[3] *Ibid.* I, 9; et VIII, 8.

[4] C. v, p. 386 E.

[5] *Arith.* c. 1.

[6] In Ὁμιλίας εἰς Ἀφθόνιον, c. xii, in Walzii *Rhetorum græcorum* t. II, p. 513, l. 25, et in *Excerptis* ex ejusdem Doxopatri *Comment. in Hermogenem* Περὶ εὑρέσεως, lib. I, in Crameri *Anecdotis græcis e codd. Oxon.* t. IV, p. 168, l. 20.

[7] Σχόλια εἰς Ἑρμογένους Ἰδεῶν Ϛ', c. 11, § 10, in Walzii *Rhetorum græcorum* t. VI, p. 456, l. 1-4.

tra communem opinionem Platonis et Aristotelis, censentibus quartum esse rei oratoriæ genus, præter deliberativum scilicet, judiciariumque et demonstrativum.

Denique Gregorius Corinthius[1], de δὶς διὰ πέντε intervallo musico, utitur auctoritate *Theonis commentariorum, in quibus de harmonia tractatur* : de quo Theone nihil affirmare ausim.

Alius vero certe a Nostro est Θέων ὁ μαθηματικός, cujus observationibus maximorum a Sole digressuum, uno Mercurii, tribus Veneris, utitur Ptolemæus[2], et qui a Theone Alexandrino, in commentario ad nonum Ptolemæi librum[3], vocatur Θέων παλαιός, et Θέων παλαιὸς μαθηματικός. Theonis illius observationes quatuor, quas Ptolemæus adhibuit, factæ sunt annis Hadriani imperatoris 12, 13, 14 et 16. Ptolemæi autem ipsius observationum prima facta est anno Hadriani 11[4], ultimaque anno Antonini Pii 14[5]. Juvene ergo Ptolemæo floruisse constat Theonem hunc mathematicum. Immo familiaritatem aliquam intercessisse inter Ptolemæum juvenem et florentem aut senem Theonem hunc, eo videtur demonstrari posse, quod Theonis observationes, e quibus quatuor eligit, Ptolemæo dicuntur uno loco τηρήσεις αἱ παρὰ Θέωνος εἰλημμέναι[6],

[1] Εἰς Ἑρμογένους τὸ Περὶ μεθόδου δεινότητος, c. 11, § 22, in Walzii *Rhetorum græcorum* t. VII, p. 1127, l. 20-21.

[2] *Comp. math.* IX, 9; et X, 1-2; t. II, p. 176, 193, 194, 195 et 196 Halmæ.

[3] P. 390, 395 et 396 ed. gr. Basil.

[4] Vide Ptolemæi *Comp. math.* XI, 5, t. II, p. 268 Halmæ.

[5] *Ibid.* X, 1, t. II, p. 194 Halmæ.

[6] *Ibid.* IX, 9, p. 176.

alibi *αἱ παρὰ Θέωνος*[1], clarius autem duobus in locis *αἱ παρὰ Θέωνος τοῦ μαθηματικοῦ δοθεῖσαι ἡμῖν*[2]. Unde elucet non quatuor tantum, sed plures fuisse Theonis illius observationes, quæ aut ab ipso, aut ipsius nomine, Ptolemæo datæ fuerant. Quo loco Theon ille astra observaverit, nescimus. Ejus enim generis sunt observationes illæ, quas sine ulla correctione Ptolemæus adhibere potuerit, etiamsi non sub meridiano Alexandriæ circulo factas. Illud ergo quod affirmat Delambre[3], Alexandriæ in astra observandi munere Theoni successorem fuisse Ptolemæum, in dubio manet.

Quod autem affirmaverunt Bullialdus, G. J. Vossius, Weidlerus, Montucla[4], Delambre[5], et de Gelder[6], Theonem illum mathematicum eumdem esse atque Smyrnæum, credere id velimus magis quam possumus. Nam non modo huic doctorum virorum opinioni confirmandæ argumenta desunt; verum etiam Theonis Smyrnæi *Astronomia*, tota fere ex Adrasti et Dercyllidis philosophorum operibus hausta, cœli observatorem nequaquam redolet. Immo vero in ea est error, qui apud Cleomedem etiam invenitur, sed qui allatæ a Ptolemæo Theonis mathematici observationi contrarius est : quem enim a Sole gradibus 29 digredientem viderat Theon mathematicus[7], Mercurium

[1] *Comp. math.* X, 1, p. 195.

[2] *Ibid.* X, 1, p. 193; et X, 2, p. 196.

[3] *Histoire de l'Astronomie ancienne*, t. II, p. 336.

[4] Ll. cc.

[5] *Hist. de l'Astr. anc.* t. I, p. 317; et t. II, p. 336 et 638.

[6] In Theonis Smyrnæi *Arithmeticæ* primorum 32 capitum editione (Leyde, 1827, in-8°), *Præmonendorum*, c. 1, § 1-4.

[7] Apud Ptolemæum, *Comp. math.* IX, 9, t. II, p. 176-177 Halmæ.

Theon Smyrnæus[1] et Cleomedes[2] a Sole 20 ad summum gradibus abscedere dicunt. Aut ergo non idem est observationis illius atque *Astronomiæ* auctor, aut *Astronomiam* scripsit antequam id observavit. Prius probabilius videtur; namque in multis rebus comperta jam tum aliis phænomena negligit Noster, philosophicas opiniones sequendi causa[3] : quod, siquidem philosophum, at certe nequaquam cœli observatorem decet.

Vix ergo intelligitur quomodo, lecta Theonis Smyrnæi *Astronomia*, cujus apographon præceptoris sui viri cl. J. Bake *insigni beneficio* sibi commodatum dicit, dubitare potuerit vir cl. de Gelder[4], utrum observationes a Ptolemæo memoratæ in hoc opere inveniantur, an in alio aliquo Theonis Smyrnæi de astronomia libro illas Ptolemæus legerit : quorum neutrum verum esse in aperto est.

§ 2.

Nec tamen, de tempore quo Theon Smyrnæus vixerit, magna superest dubitatio[5]. Nam primo quidem anterior

[1] *Astron.* c. XXXIII, fol. 22 *b*.

[2] II, 7, p. 150 Bakii.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 11, 15, 16 et 21.

[4] *Præmonendorum*, c. II, § 5, p. XXXVIII-XL.

[5] Eum ineunte secundo post Christum natum sæculo vixisse consentiunt Bullialdus (*Ad lectorem*, p. 8); Saxius (*Onom.* I, p. 293); Heilbroner (*Hist. mathes. univ.* p. 333 et sqq.); Weidler (l. c.); Brücker (*Hist. crit. philos.* t. II, p. 164 et sqq.); Fabricius (*Biblioth. gr.* t. IV, p. 35, ed. Harles); Harles (*ibid.*); Montucla (l. c.); Bailly (*Hist. de l'Astron. mod.* t. I, p. 134 et 504); Delambre (ll. cc.); Schœll (*Hist. de la littér. gr.* t. V, p. 232); et de Gelder (*Præmon.* c. I). J. Blancanus (*Chron. math.* p. 57), qui eum ad sæculum XI vel XII rejiciendum putat, ne refellen-

non est auctoribus, quibus ipse utitur, Thrasyllo platonico, qui sub Augusto et Tiberio vixit[1], et Adrasto peripatetico; qui post Thrasyllum vixisse putandus est[2]. Nec vero posterior est Proclo, qui errantem ipsum reprehendit[3], aut Chalcidio, qui, sub quinti sæculi finem vivens, ipsius *Astronomia* ineptissime quidem, sed evidentissime usus est[4]. Immo vero nec post Ptolomæum vixisse Theonem Smyrnæum credibile videtur : auctores enim suos indicare solitus, et contra Aristoxeni errores in toni divisione iisdem reprehensionibus obiter utens[5], quas in *Harmonicis*[6] Ptolemæus fuse exposuit, de Ptolemæi *Harmonicis* omnino silet[7]; atque ea quæ in astronomica scientia ab Hipparcho et deinceps usque ad Ptolemæi ætatem inventa sunt, pleraque optime noscens, illa penitus ignorat, quæ de suo Ptolemæus addidit, et ad Ptolemæum nullibi in opere astronomico provocat[8]. Ptolemæo ergo, qui medio ferme secundo post Christum natum sæculo floruit, Theon Smyrnæus fuit aut coævus, aut paulo anterior.

Theonis Smyrnæi effigiem antiquam post Sponium[9]

dus quidem. Nec magis audiendus G. J. Vossius (*De scient. math.* XXXIII, 13, p. 162; et LXII, 14, p. 359-360), qui duos fuisse opinatur Theones Smyrnæos. Cf. Brücker, *Hist. crit. philos.* ed. alt., t. II, p. 164-165.

[1] Vide *Diss.* hujus part. II, c. III, § 13.

[2] *Ibid.* § 15.

[3] *In Tim.* p. 26 A ed. gr. Basil., p. 58 Schneideri.

[4] Vide hujus *Diss.* part. I, c. I, § 5.

[5] Theonis Smyrnæi *Mus.* c. VIII, p. 83-84 Bullialdi.

[6] I, 10.

[7] Cf. Bullialdum, *Ad lectorem*, p. 8.

[8] Vide *Diss.* hujus part. II, c. III; et c. IV, § 15.

[9] *Miscell.* IV, p. 135.

exhibet Gronovius[1], et post utrumque magis accurate Visconti[2], cum hac subscriptione : *Θέωνα πλατωνικὸν φιλόσοφον ὁ ἱερεὺς Θέων τὸν πατέρα.* Ipsum caput marmoreum, cujus basi eodem lapide excisæ hæc subscriptio insculpta legitur, Smyrna Massiliam allatum, regnante Ludovico decimo quarto, privata pecunia emit Fouquetius ille, cujus etiam in privata bibliotheca fuit Theonis *Astronomiæ* codex Parisiensis[3]. Eadem marmorea imago, deinceps a cardinali Alexandro Albano emta, exstat nunc in Museo capitolino[4]. Theoni ergo fuit filius ejusdem nominis, sacerdos, qui Smyrnæ, in templo dei illius cui ministrabatur[5], patris sui imaginem consecravit. Nec plura de Theonis Smyrnæi vita erui possunt. De suis autem operibus plura nos ipse docet, et nonnihil hac editione primum innotescit.

§ 3.

Præcipuum ipsius opus fuit conflatum e variis auctoribus rei mathematicæ compendium, ad id maxime destinatum, ut platonicæ philosophiæ studiosis inserviret. Opus illud auctor inscripsisse videtur totum[6] *Τὰ κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρήσιμα εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν*, ac sin-

[1] *Thes. antiq. gr.* t. III, littera ffff.

[2] *Iconographie grecque*, planche XIX, nos 3 et 4.

[3] Vide *Diss.* hujus part. I, c. II, § 3.

[4] Vide Viscontium, *Iconographie grecque*, part. I, c. IV, p. 178; et *Museum capitolinum*, vol. I, tab. 29.

[5] Vide de Gelder, *Præmon.* c. 1, § 5, p. XVI-XX.

[6] Titulus hic nominandi casu nullibi invenitur, quia nullus exstat codex opus totum continens.

gulis partibus eumdem hunc titulum indidisse, sed genitivo casu et additis vocibus *τὰ περὶ ἀριθμητικῆς, τὰ περὶ γεωμετρίας, τὰ περὶ στερεομετρίας, τὰ περὶ ἀστρολογίας, τὰ περὶ τῆς ἐν κόσμῳ μουσικῆς*. Operis hujus primam tantum partem Bullialdus[1] primus et totam unus ad hunc diem edidit, cum hoc titulo, qualem in uno Parisiensi codice, nunc Bibliothecæ regiæ græco 2014, olim Thuaneo et deinde Colbertino, invenerat : *Θέωνος Σμυρναίου πλατωνικοῦ, τῶν κατὰ μαθηματικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν*. Ceteri omnes septem, quotquot sunt in Bibliotheca regia[2], qui quidem inter græcos codices numeros habent 1806, 1817, 1819, 1820, 2013, 2428 et 2450, eumdem hujus operis titulum exhibent, nisi quod in illis omnibus, pro *κατὰ μαθηματικὴν* vocibus in codice 2014 et in uno duorum, quibus de Gelder[3] usus est, codicum obviis, leguntur voces *κατὰ τὸ μαθηματικόν* : alter Gel-

[1] *Theonis Smyrnæi platonici, eorum quæ in mathematicis ad Platonis lectionem utilia sunt, expositio*, e bibliotheca Thuana opus nunc primum editum, latina versione ac notis illustratum ab Ismaele Bullialdo Juliodunensi, Lutetiæ Parisiorum, 1644, in-4°. Præter Bibliothecæ regiæ codicem græcum nunc 2014, olim Thuaneum, tribus aliis Bibliothecæ regiæ codicibus se usum esse Bullialdus (*Ad lectorem*, p. 9) testatur.

[2] Præter hos octo Theonis *Arithmeticæ* codices, in Catalogo Bibliothecæ regiæ græcorum mss. librorum, qui anno 1740 Meloti curis editus est, codex 1818 indicatur tanquam idem opus continens. Id vero falsum esse mox dicemus. In codice 2460 invenitur, inter alios musicæ græcæ auctores, Theonis *Arithmeticæ* pars musica, cum hoc titulo : *Θέωνος πλατωνικοῦ συγκεφαλαίωσις καὶ σύνοψις τῆς ὅλης μουσικῆς*.

[3] Vide ejus *Annotationem*, p. 77. Cf. ejus *Præmonenda*, c. IV, § 4, p. LXIX, LXXI.

dero lectus codex habet etiam *κατὰ τὸ μαθηματικόν*. Sed huic genitivo *τῶν χρησίμων*, quo partem id esse tantum totius operis indicatur, addendæ erant voces, qualis sit illa pars, declarantes, *τὰ περὶ ἀριθμητικῆς*. Vir doctissimus de Gelder[1], qui, tanquam Theonis Smyrnæi *Arithmeticam* totam, prima 32 illius operis capita denuo edidit, non intellexit quid sibi vellet genitivus ille *τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρησίμων* : quare titulo, qualem Bullialdus ediderat, præfigendam censuit[2] præpositionem *περί*, quam tamen, in uno tantum Laurentiano codice[3] obviam, addere non ausus est, et vocem *μαθηματικὴν* in *ἀριθμητικὴν* mutavit. Sed ejusdem operis partis astronomicæ, quam nunc edimus, codex Parisiensis subsimiliter, genitivo casu, sine præpositione *περί*, titulum habet : *Θέωνος Σμυρναίου, τῶν εἰς τὸ μαθηματικὸν χρησίμων*. Hunc nos titulum, ex omnibus octo Parisiensibus arithmeticæ partis codicibus, in quorum nullo legitur vox illa *περί*, et ex ipsis auctoris in ipsa parte astronomica[4] verbis, ita corrigendum supplendumque censemus : *Θέωνος Σμυρναίου πλατωνικοῦ, τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν, τὰ περὶ ἀστρολογίας*[5].

[1] *Θέωνος Σμυρναίου πλατωνικοῦ τῶν κατὰ ἀριθμητικὴν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν, Theonis Smyrnæi platonici exposition eorum quæ in arithmeticis ad Platonis lectionem utilia sunt.* Bullialdi interpretationem latinam, lectionis diversitatem, suamque annotationem addidit J. J. de Gelder. Lugduni Batavorum, 1827, in-8°.

[2] In annotatione sua ad titulum, p. 77.

[3] Teste quidem Bandinio, t. II, p. 11 Catalogi.

[4] In *Astronomiæ* Epilogo, fol. 28 *b*.

[5] Vide annotationem nostram ad titulum, in ima pagina.

§ 4.

Partem autem a Bullialdo editam auctor ante alias conscripserat, cujus in duobus primis capitibus futuri operis totius de mathematicis disciplinis, quatenus Platonem legenti utiles sunt, divisionem exhibet. Harum enim disciplinarum partes quinque esse statuit, earumque logicum ordinem hunc : arithmeticam, geometriam, stereometriam, astronomiam et musicen [1]. Sed quum musices partes sint tres, quarum prima in numeris, secunda in organis, tertia in mundo versatur, musicen eam quæ in organis est, tanquam a platonicæ philosophiæ studio alienam, omittit [2]; eam quæ in mundo est, cum astronomia arcte cohærentem, quinto loco, post arithmeticam, geometriam, stereometriam et astronomiam, se breviter tractaturum promittit [3]; eam autem quæ in numeris est arithmeticæ commode jungendam censet [4], et mediæ arithmeticæ inserit.

Theon ergo opus suum constare voluit, non, ut credidit de Gelder [5], partibus quatuor, arithmetica, musica, astronomia et harmonia mundi; sed partibus quinque, arithmetica musicos numeros complectente, geometria, stereometria, astronomia, et musica ea quæ in mundo est. At in Bullialdi editione, post caput trigesimum secun-

[1] *Arith.* c. II, p. 22-23 Bullialdi; et *Astron.* Epilog., fol. 28 *b*.

[2] *Arith.* c. II, p. 21 Bullialdi; et *Astron.* Epilog.

[3] *Ibid.* et *De Musica*, c. I, p. 73-74; et c. XXXVI, p. 145 et sqq. Ultimum locum ad Theonis *Astronomiam* spectare immerito credidit de Gelder (*Præmon.* c. II, § 5, p. XXXIX-XL).

[4] *Arith.* c. II, p. 21-23.

[5] *Præmon.* c. II, § 1 et 6.

dum[1], quo loco de musicis numeris agi cœpit, male, tanquam ad totam reliquam operis partem pertinens, legitur titulus Περὶ μουσικῆς, et novus incipit capitum ordo, quorum priora quidem 36, si non omnia, at certe pleraque ad musicos numeros revera spectant[2]; sed quæ sequuntur, a capite trigesimo septimo ad sexagesimum primum, quod et ultimum est, ad arithmeticam spectant, non ad musicen. In nullo autem Parisiensium Theonis *Arithmeticæ* codicum sunt capitum numeri, et in omnibus, præter unum codicem 2014, quem Bullialdus secutus est, quemadmodum Περὶ ἀριθμητικῆς capitis secundi, sic etiam Περὶ μουσικῆς unius tantum capitis est titulus, non aliter scriptus quam sunt cæteri omnes capitum tituli. Totius ergo Theonis operis liber primus, 93 capitibus constans, est de *arithmetica*, musicorum etiam numerorum considerationem continente, et cujus idcirco capita 36 fere ad musicen eam spectant quæ in numeris est; caput secundum ad arithmeticæ, trigesimum tertium ad musicæ definitionem pertinet. In libri illius a Bullialdo editi capitis ultimi fine[3] est clausula, quæ tractandam superesse *astronomiam* declarat. Hæc vero clausula suo non est loco: quippe, inter eam et ea quæ præcedunt, interciderunt secunda operis pars, *De geometria*, id est de lineis et planitiis, et tertia, *De stereometria;* nisi forte, ut suspicatur de Gelder[4], libros de geometria, de stereometria, et de musica ea quæ in mundo est, scribendi propositum non absolvit

[1] P. 73 Bullialdi.

[2] P. 73-146 Bullialdi.

[3] P. 188 Bullialdi.

[4] *Præmonendorum*, c. II, § 6 et 7, p. XL-XLII.

auctor. Sed altera opinio, nobis quidem probabilior visa, eo etiam confirmatur, quia capitis illius ultimi pars ultima ante clausulam deest; nam *medietatum*, quarum genera sex enumeravit, tres primas tantum inveniendi rationem docet in illo, quale nunc est, capite. Operis autem liber *De astronomia*, hac clausula nuntiatus, sine ullo præloquio incipit, quem nos e codice Parisiensi nunc primum edimus. Et in illius fine est Epilogus[1], quintum librum *De mundi musica* nuntians, quem e Thrasyllo præsertim se composuisse fatetur Theon, sicut jam in primo libro[2] se facturum innuerat, et nonnulla tamen de sphærarum cœlestium harmonia per sese ipse elaboravisse profitetur[3].

§ 5.

Quod vero dicunt Bullialdus[4] et Delambre[5], totius Theonis operis compendium haberi in Pselli *Syntagmate mathematicæ scientiæ*, id veri nihil habet. Psellus enim omnino nihil eorum adhibet, quæ Theoni Smyrnæo peculiaria sunt. In *Arithmetica*[6] nullum affert auctorem, et decem ἀναλογίας enumerat, quæ Nostro[7] sunt sex præcipuæ cum sex contrariis. *Musicen* eam quæ in numeris est tractat ab arithmetica seorsim, et de ea nullum citat auctorem,

[1] Fol. 28 *b*.

[2] *De musica*, c. I, p. 73-74; et c. XXXVI, p. 145-146 Bullialdi.

[3] *Astron.* Epilog., fol. 28 *b*.

[4] In Theonis *Arithmeticæ* editione, *Ad lectorem*, p. 7.

[5] *Histoire de l'astronomie ancienne*, t. II, p. 638.

[6] Pselli, *De quatuor mathematicis scientiis*, p. 1-23. Basileæ, 1554, in-12.

[7] *Mus.* c. L, p. 166-167 Bullialdi.

nisi quos παλαίους generatim vocat[1]. In *Geometria* stereometriam comprehendit, auctoribusque utitur Euclide sæpius et semel[2] Theone Alexandrino in primum Ptolemæi *Compositionis mathematicæ* librum. In *Astronomia*, exordium sumit a describendis sphæræ circulis, ac Ptolemæum secutus, ad quem provocat[3], epicyclos et excentricos, non separatim, ut fecerant Hipparchus et Theon Smyrnæus, sed conjunctim adhibet[4]; præterea astrologicas superstitiones recenset[5], de quibus apud Nostrum nihil est. Theonem Smyrnæum ne novisse quidem videtur Psellus.

Georgius Pachymeres contra, cujus etiam exstat in manuscriptis Bibliothecæ regiæ codicibus opus *De quatuor mathematicis disciplinis*[6], in paucis astronomici libri locis, aut Theone Smyrnæo, aut Adrasto, quem Theon in plerisque secutus est, usus fuisse videri potest[7].

Quod autem nemo huc usque suspicatus fuerat, Theonis *Astronomiæ* maximam partem latine versam dudum habebamus a Chalcidio, qui eam *Commentario in Timæum*, tanquam suam, inseruit. Nihil fere de suo addidit et intermiscuit; pauca mutavit consulto; plura, et ea præcipue quæ majoris erant momenti, omisit aut contraxit; non-

[1] P. 23. Basileæ, 1554, in-12.

[2] P. 49.

[3] P. 81 et 84.

[4] P. 79.

[5] P. 49 et sqq.

[6] Astronomici libri fragmenta utiliora huic volumini subjunguntur. Vide *Appendicem priorem*. Musicum librum totum ab eruditissimo viro Vincentio editum habemus (*Notices et extraits des mss.* t. XVI, part. II).

[7] Vide præmissam *Appendici priori* Dissertatiunculam.

nulla perperam intellexit; cetera fideliter, etsi prolixius, expressit. Furti autem sui vestigia sedulo delevit: Theonis, aut Adrasti, e quo se pleraque hausisse Theon sæpissime profitetur, nullam injecit mentionem; versui uni Empedoclis, qui in Theonis capite vigesimo secundo est, unum substituit Nævii versum, qui parum ad rem facit et cujus plena non est sententia; Theonis etiam capitis septimi versioni suæ Virgilii versum unum inseruit. Ceterum continuo ordine apud Chalcidium invenimus Theonis Smyrnæi prima duo capita tota[1]; tertium altera parte mutilum[2]; quartum, paucis mutatis ac paucis etiam additis[3]; quintum et sextum integra[4]; septimum, inserto, ut diximus, Virgilii versu[5]; octavum altera parte mutilum[6]; nonum, multis omissis[7]; sequentia, a decimo ad decimum quartum, tota[8]; decimum quintum et decimum sextum contracta mutilaque, in quorum priori, e versibus sex et viginti, quos Alexandri Ætoli esse dicit auctor, decem tantum latine versa Alexandro Milesio tribuuntur[9]; decimum septimum et decimum octavum tota[10]; tum, decimo nono omisso, sequentia, a vigesimo ad vigesimum

[1] Ascensii fol. 23 *b*-24 *a*, Meursii p. 140-143.
[2] Ascensii fol. 24 *a*, Meursii p. 143-145.
[3] Ascensii fol. 24 *b*, Meursii p. 145-146.
[4] Ascensii fol. 24 *b*, Meursii p. 146-148.
[5] Ascensii fol. 24 *b*, Meursii p. 148.
[6] Ascensii fol. 24 *b*-25 *a*, Meursii p. 148-149.
[7] Ascensii fol. 25 *a*, Meursii p. 149.
[8] Ascensii fol. 25 *a-b*, Meursii p. 150-155.
[9] Ascensii fol. 25 *b*-26 *a*, Meursii p. 155-157.
[10] Ascensii fol. 26 *b*, Meursii p. 157.

secundum, ferme integra[1]; vigesimum tertium valde contractum[2]; vigesimum quartum et vigesimum quintum tota[3]; vigesimum sextum, quod longissimum est, paucis mutatis, multis vero locis contractis, pluribus etiam omissis in medio et in fine[4]; e capite vigesimo septimo, quod maximi est momenti, pauca et vulgaria[5]; vigesimum octavum obscure contractum[6]; vigesimum nonum contractum, pessime et ridicule intellectum[7]; e trigesimo nihil; trigesimi primi partem priorem, paucis omissis, multis mutatis et obscure dictis[8]; e trigesimi primi parte altera, e trigesimo secundo, quod maximi est momenti, atque e sequentibus usque ad trigesimum quartum, nihil, nisi ea quæ e capite trigesimo tertio infra suis in *Timæi* astronomicum locum annotationibus Chalcidius inserit, ut mox dicemus; trigesimum quintum fere integrum[9], cui additur, de stellarum quinque errantium motu in epicyclo, *mathematicorum*, id est præcipue Ptolemæi, opinio diversa ab opinione *philosophorum* vel *physicorum*, id est Adrasti et Theonis inter alios[10]; e trigesimo sexto, nihil; sequentia, a trigesimo septimo ad trigesimum nonum,

[1] Ascensii fol. 26 *b*, Meursii p. 157-160.
[2] Ascensii fol. 26 *b*-27 *a*, Meursii p. 160-161.
[3] Ascensii fol. 27 *a*, Meursii p. 161.
[4] Ascensii fol. 27 *a*-28 *b*, Meursii p. 161-170.
[5] Ascensii fol. 28 *b*, Meursii p. 170-171.
[6] Ascensii fol. 28 *b*, Meursii p. 171.
[7] Ascensii fol. 28 *b*, Meursii p. 171-172. Vide Notam nostram FF.
[8] Ascensii fol. 28 *b*-29 *a*, Meursii p. 172-173.
[9] Ascensii fol. 29 *a*, Meursii p. 173-175.
[10] Vide Notam nostram II.

tota[1]; e ceteris ad finem, nihil. Deinde Chalcidius in *Timæi* platonici astronomiam ipse commentatur. Sed mox e Theonis capite trigesimo tertio locum valde mutatum et contractum inserit[2]; nisi forte Posidonium, eadem sentientem[3], secutus est. Tum paulo ulterius[4] invenitur locus, quem nos e Theonis vel Adrasti opere aliquo deperdito expressum esse credimus[5]. Cetera autem omnia, de quibus locuti sumus, Chalcidius non ex ipso Adrasti opere, sed e Theone sumsit; nam vigesimum primum et vigesimum secundum capita, in quibus Theon Adrasti quidem sententias, sed non ipsa verba se exprimere profitetur, Chalcidius pæne integra ad verbum latine vertit.

§ 6.

Illius ergo operis, quod de mathematicis disciplinis ad usum philosophiæ platonicæ studiosorum conscripserat Theon, primus liber a Bullialdo primum editus est, integer præter deperditum, ut videtur, capitis ultimi finem[6]. Librum quartum primus nunc edo, cujus maximam partem a Chalcidio latine versam, et misere quidem depravatam mutilamque, ad hunc diem inscii habebamus. Secundus, tertius et quintus, de geometria, stereometria et mundana musica, libri videntur interiisse, si quidem eos

[1] Ascensii fol. 29 *b*-30 *a*, Meursii p. 175-182.

[2] Ascensii fol. 32 *a*, Meursii p. 192.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 19.

[4] Ascensii fol. 33 *a*-34 *a*, Meursii p. 199-204.

[5] Vide *Diss.* part. II, c. III, § 15, et *Appendicem alteram.*

[6] Theonis Smyrnæi *Arithmeticæ* partem iterum edidit J. J. de Gelder. Lugduni Batavorum, 1827, in-8°.

scribendi propositum unquam perfecit auctor; nisi forte in Scorialensi quodam codice, de quo mox plura dicemus, sive etiam in uno aut altero bene multorum codicum, qui in variis extraneis bibliothecis asservantur et qui primum tantum librum creduntur continere, nec satis accurate describuntur in *Catalogis*[1], plures etiam ejusdem operis libri lateant : quod non verisimile quidem, sed nec impossibile est. Pari enim errore in Bibliotheca regia Parisiensi Theonis *Astronomia* usque nunc delituit, ut mox dicemus.

Præter opus illud in quinque partes divisum, aliud ad Platonem etiam spectans scripsisse videtur Theon, in quo fuerit error ille, quem reprehendit Proclus[2], de Critia et Glaucone, tanquam Callæschri filiis. Glaucon autem, Callæschri frater, matris Platonis Perictiones pater, platonici *De Republica* dialogi, *Parmenidis* etiam et *Convivii* persona est; Critias, Callæschri filius, *Protagoræ*, *Charmidæ*, *Timæi*, *Critiæ* et *Eryxiæ* dialogorum est persona; de utroque in multis Platonis dialogis sermo est. Theonem ergo, aut in aliquem horum dialogorum commentatum fuisse, aut de Platonis vita, genere et philosophia in alio opere egisse conjicere licet. Priorem conjecturam confirmare videtur id, quod in Theonis *Astronomiæ* capite decimo sexto, post allatum e Platonis *Republica* locum, legitur : « Hæc ergo etiam Plato; quorum interpretationem nos in « *Commentariis de Republica* exponimus. » Sed utrum Theon in hoc loco, an in toto hoc capite Adrastus loquatur, du-

[1] Vide præsertim Bernardi de Montfaucon *Bibliothecam bibliothecarum mss. librorum*, et Fabricii *Bibl. gr.* ed. Harles, t. IV, p. 36-37.

[2] *In Tim.* p. 26 A ed. gr. Basil., p. 58 Schneideri.

bitandi causam esse ostendemus[1]. Theoni ergo commentaria illa, aut *Constructionem sphæræ secundum Platonis opinionem*, de qua ibidem et in capite vigesimo tertio sermo est, nec tribuere ausimus, nec abjudicare.

Præterea Conradus Gessnerus[2] *in Italia* inveniri dixerat *Theonis Smyrnæi Theologumena et mathematica Platonis*. De *mathematico* Theonis opere jam dictum est. De opere autem illo ad *Theologumena* spectante dubitaverat Fabricius[3], et suspicatus fuerat sub hoc titulo latere *Theologumena arithmeticæ*, a Wechelo[4] et exinde ab Astio[5] edita, quæ Theonis non sunt. Sed potius (quanquam, quemadmodum Dercyllides *De Platonis philosophia*[6], sic etiam Theon Smyrnæus *De Platonis theologia* scribere potuit) sub dicto titulo latere crediderim Procli, non Theonis, opus *De Platonis theologia*. Illud tantum constat, in Bibliothecæ regiæ codice græco 1818, pro Theonis opere, quod confectus a Meloto Catalogus huic inesse declarat, *De iis quæ in mathematicis ad Platonis lectionem utilia sunt*, inveniri, sine titulo, Procli operis *De Platonis theologia* ultima parte mutilum exemplar, cui præfixa est hæc nota manu paulo recentiori scripta: Οἶμαι Θέωνος εἶναι. Similis error esse potuit de codice illo italiano, quem Gessnerus memoravit.

Præterea Theonis Smyrnæi codicem *in Platonem de ma-*

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 15.

[2] Vide ejus *Bibliothecam auctam per Josiam Simlerum*. Tiguri, 1574, in-fol., p. 654.

[3] *Biblioth. gr.* t. IV, p. 38, ed. Harles.

[4] Parisiis, 1543, in-4°.

[5] Lipsiæ, 1817, in-8°.

[6] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 14.

cursim tantum, ut ipse querebatur, Bullialdo teste; et tamen inde Alexandri poetæ sex et viginti versus exscripserat, notisque in Vitruvium manuscriptis inditos secum in Angliam abstulerat, ubi anno 1688 mortuus est. Eos Thomas Galeus Anglus a se edendos, anno 1675, in notis ad Parthenium[1] promisit, atque e Vossii apographo ad se nuper misso revera edidit, sed a se correctos, nec enotatis codicis lectionibus, in *Addendis* notis ad Parthenium[2]. Horum priores decem post Galeum, anno 1718, edidit Fabricius, in notis ad Chalcidium[3], nec ipse Parisiensem, de quo mox loquemur, viderat codicem, quem in Coisliniana bibliotheca esse credebat, ubi nunquam fuit[4]. Eos sex et viginti omnes Alexandri versus e Vossiano codice cum notis ad Vitruvium exscripserat Hugo Grotius, et notis manuscriptis ad J. Stobæi sermones junxerat. Grotianum codicem hunc, inter manuscriptos Gœttingensis bibliothecæ libros exstantem, Joanni Gottlob Schneidero communicavit Heynius[5], et inde Schneiderus, anno 1808, hos versus, tanquam ineditos, suæ Vitruvii editionis notis[6]

[1] P. 131, in *Historiæ poeticæ scriptoribus antiquis.*

[2] *Ibid.* p. 149.

[3] C. LXXI, p. 307, in altero S. Hippolyti operum volumine.

[4] Bibliothecæ Coislinianæ codex 273, fol. 263 et sqq., continet *Theonis*, sed *Alexandrini*, *Astronomicum opus*, ut ait Bernardus de Montfaucon (*Bibl. Coisl.* p. 229). Opus autem illud est Τπόμνημα εἰς τοὺς προχείρους κανόνας, quod totum, in tres partes divisum, primus edidit Halma, annis 1822-1825, et quod in codice lectum antea Delambre (*Histoire de l'Astronomie ancienne*, t. II, p. 616 et sqq.) animadversionibus suis elucidaverat.

[5] Vide Schneiderianæ Vitruvii editionis Præfationem, t. I, p. XXXII, et notas, t. II, p. 22.

[6] T. II, p. 23.

inseruit, multis in locis emendatos, sed sedulo enotatis codicis Grotiani lectionibus. Mox, anno 1812, versus 13-21, 25 et 26, novis a se conjecturis emendatos, *Schedis criticis*[1] indidit Nækius, ibidemque ad hos undecim versus et ad reliquorum 15 nonnullos pauca, ac præsertim Galei lectiones enotavit[2], de poeta prælocutus[3], quem Alexandrum *Ephesium* esse merito credidit, quanquam *Ætolus* a Theone nominatur[4]. Denique, anno 1843, versus omnes 26, prout a Galeo, Schneidero et Nækio emendati fuerant, attulit Meinekius in *Analectorum Alexandrinorum* Epimetro IX[5], cum Nækio de auctore consentiens[6], sed novas aliquot correctiones proponens[7], quibus quin menda sanentur omnia, multum abest. Vossianum vel Grotianum illorum sex et viginti versuum apographon non Nækius, non Meineckius vidit. Fabricianam primorum decem versuum editionem ignoravit uterque, et nemo huc usque, quod equidem sciam, indicavit. Theonis ad hos versus commentarium Galeo, Fabricio, Schneidero, Nækio et Meineckio incognitum fuit. Mediolanensi codice usus esse videtur post Vossium nemo. Eum, aliter quam Vossii testimonium referendo, solus postea, quod equidem sciam, anno 1739, indicavit Bernardus de Montfaucon[8], sed ob-

[1] P. 8 et 17, sive *Opusculorum philologicorum*, a Welkero editorum, p. 14 et 28.

[2] *Sched. crit.* p. 17-18; *Opusc. philol.* p. 28-29.

[3] *Sched. crit.* p. 8-17; *Opusc. philol.* p. 13-28.

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 12.

[5] P. 372-373.

[6] P. 242 et 372.

[7] P. 373-374.

[8] In *Biblioth. biblioth. mss. nova*, t. I, p. 505 c. Parisiis, 1739, in-fol.

scurissime, et an auctor sit vere Theon Smyrnæus immerito dubitans[1].

§ 3.

Ad alterum codicem transeamus. Anno 1653, Philippus Labbeus[2] testatus est in bibliotheca Caroli de Montchal, archiepiscopi Tolosani, fuisse codicem ms. *Theonis Smyrnæi*, *Τῶν εἰς τὸ μαθηματικὸν χρησίμων*, *De cœli et terræ figura ex astrorum motu*, qui inciperet verbis *Ὅτι ὁ πᾶς κόσμος*, desineret autem verbis *τὰ ἐλάχιστα κινούμενος*. Jam vero Bullialdus, anno 1645, in *Prolegomenis Astronomiæ philolaïcæ*[3], Theonis Smyrnæi *Astronomiam* in manibus se habuisse declarat *e bibliotheca illustrissimi ac reverendissimi archiepiscopi Tholosani* (sic) *Caroli Monchalii*. Archiepiscopi illius, anno 1651 mortui, codices mss. emit vir ditissimus et postea miserrimus Fouquetius, cujus quum bona publicata fuissent, codices illos deinde habuit Tellerii, Fouquetio infensissimi, rerum bellicarum tunc a secretis, ac postea summi cancellarii, filius natu minor, C. Mauricius Tellerius, Remensis archiepiscopus. Hic autem, sub finem anni 1700, quo cleri Gallicani conventui præfuerat, codices 500, qui omnes Fouquetii, et plerique Caroli de Montchal antea, fuerant, Bibliothecæ regiæ Parisiensi donavit[4]. Anno 1739, Bernardus de Montfaucon, inter Bibliothecæ regiæ codices mss., Theonis Smyrnæi *Astronomiæ*

[1] Vide Præfationem nostram ad lectorem.

[2] In *Biblioth. mss. libr. nova*, t. I, p. 191. Parisiis, 1653, in-4°.

[3] P. 20.

[4] Vide commentarium historicum, typis excusorum Bibliothecæ regiæ librorum Catalogi tomo primo præmissum, p. XLIX.

codicem hunc his tantum verbis indicat : N° 2163[2] *Theonis Smyrnæi de rebus mathematicis*[1]. Nempe titulus græcus, qualis in codice est, nihil amplius docet. Idem vero doctissimus vir, in eodem opere[2], bibliothecam mss. Caroli de Montchal, ab octo et triginta jam annis regiæ insertam, post Labbeum recensens, codicem eumdem indicat hoc titulo : Cod. XVI, *Theonis Smyrnæi mathematica, de cœli et terræ figura ex astrorum motu, recenti et eleganti manu, græce.* Cui titulo, aut ei qui apud Labbeum est, si quis attendisset, non tamdiu delituisset Theonis *Astronomia.* Sed hujus operis notitiæ nocuit quod prodesse debuerat. Anno enim 1740, Bibliothecæ regiæ mss. codicum plenioris nitidique Catalogi secundum volumen, quo græci codices recensentur, edens Melotus, Theonis Smyrnæi codicibus omnibus idem opus illud contineri arbitratus, quod sæculo ante Bullialdus ediderat, omnibus illis Bullialdi editionis titulum latinum applicuit, qui quidem operi in codicibus 1816, 1817, 1819, 1820, 2013, 2014, 2428 et 2450 exarato apprime convenit. Sed codex 1818 sub hoc falso titulo continet mutilum Procli opus, jam dudum editum, *De Platonis theologia*, et idem esse videtur quem Bernardus de Montfaucon, in Catalogis Bibliothecæ regiæ[3] et bibliothecæ Mazarineæ[4] codicum paulo minori errore inscripserat : *Theonis, in Platonis philosophiam*[5]. Codex vero 1821 ipsissimus est Caroli de Montchal biblio-

[1] *Biblioth. biblioth. mss. nova*, t. II, p. 729 B.
[2] T. II, p. 896 D.
[3] *Ibid.* t. II, p. 734 B.
[4] *Ibid.* t. II, p. 1322 C.
[5] Vide hujus *Diss.* part. I, c. 1, § 6.

thecæ codex XVI, in antiquiori Bibliothecæ regiæ Catalogo codex 2163[2], Theonis *Astronomiam* continens, quem Melotus[1], tanquam cæteris omnibus similem, ita inscripsit: « MDCCCXXI. Codex chartaceus, olim Tellerianus, quo con- « tinetur Theonis Smyrnæi platonici, eorum quæ in ma- « thematicis ad Platonis lectionem utilia sunt, expositio. Is « codex sæculo XVI exaratus videtur. » Ejusdem sæculi est codex 1820, ea tantum continens, quæ Bullialdus edidit. Hunc ita inscribit Melotus: « MDCCCXX. Codex chartaceus, « olim Tellerianus, quo continetur Theonis Smyrnæi pla- « tonici, eorum quæ in mathematicis ad Platonis lectionem « utilia sunt, expositio. Is codex Josephi Auriæ manu, sæ- « culo decimo sexto, exaratus esse videtur. » Codici autem illi Bibliothecæ regiæ græco 1820, qui et ipse in Caroli de Montchal bibliotheca fuerat codex XXI, præmissus est in peculiari pagina hic titulus : *Θέωνος Σμυρναίου πλατωνικοῦ, Τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν. Τοῦ αὐτοῦ περὶ ἀστρονομίας.* Cui titulo manu recentiori additum est : « *Λείπει. Vide cod.* 2163[2]. » *Astronomiam* enim in hoc codice 1820, etsi titulo nuntiatam, deesse jam observaverat Bernardus de Montfaucon, cujus hæc sunt verba, in Catalogo bibliothecæ mss. Caroli de Montchal, quæ regiæ inserta fuerat[2] : « Cod. XXI chart. Theonis Smyrnæi « platonici in Platonem et de Astronomia. Codex XVI forsan « est secunda pars hujus libri, qui in titulo promittit se « acturum de Astronomia et finit in eadem promissione, « neque de ea in libro illo disserit. » Si ergo vera esset doc-

[1] In *Catologi codicum mss. Bibliothecæ regiæ* t. II, *complectente codices mss. græcos.* Parisiis, 1740, in-fol., p. 407.

[2] *Biblioth. biblioth. mss. nova*, t. II, p. 897 B.

tissimi viri conjectura, probabile videretur Josephum Auriam, Italum astronomum, qui sub XVI sæculi finem vivebat, Theonis operis arithmeticam partem in codice 1820 exaravisse, et partem astronomicam, quam exarare destinaverat, ipsius manu scriptam revera inveniri in codice 1821. Sed, inspectis codicibus 1820 et 1821, eos eadem manu non esse scriptos procul dubio affirmamus. Cujuscumque autem librarii manu scriptus sit codex ille 1821, cui Theonis *Astronomia* inest, id nobis probandum venit, quod supra nuntiavimus, eum esse accuratum Mediolanensis Ambrosiani codicis apographon, nisi uterque forsan accuratissimum antiquioris unius ejusdemque codicis apographon est.

§ 4.

Et primo quidem Parisiensi antiquior esse debet Mediolanensis, quandoquidem hic pergameno constat, teste Bernardo de-Montfaucon[1], et Parisiensis chartaceus sæculo XVI exaratus est.

Jam vero e Mediolanensi Theonis *Astronomiæ* codice petitos esse Alexandri poetæ versus sex et viginti, quos ab Isaac Vossio descriptos iterum e Vossiano codice exscripserat Hugo Grotius, nulli dubitamus, etsi id nemo diserte testatur. Verum per Bullialdum scimus Vossium, anno 1644, non eo quidem, quo voluisset, otio et libertate, Mediolanensem illum codicem inspexisse, et in eo multa egregia animadvertisse. Parisiensis autem codex Tolosæ in privata Caroli de Montchal bibliotheca mansit

[1] *Biblioth. biblioth. mss. nova*, t. I, p. 505 C.

ad annum usque 1651, nisi quod, anno 1645, Bullialdo commodatus fuerat, qui inde paucissima et brevissima fragmenta, nequaquam vero Alexandri versus, descripserat et Prolegomenis *Astronomiæ philolaïcæ* inseruerat. Post annum 1651, codex ille in privatam Fouquetii bibliothecam, inde iterum, post annum 1662, in Tellerii, Remensis archiepiscopi, bibliothecam, et anno demum 1700 in Bibliothecam regiam transiit[1]. Illo usum esse aut Vossium, aut Thomam Galeum Anglum, qui hos versus in *Addendis notis in Partheniam*, inter *Historiæ poeticæ scriptores* editum, primus evulgavit, nequaquam probabile est. Vossii, qui tunc in Anglia degebat, apographo certe Galeus usus est, cujus hæc sunt verba : « Atque hæc quidem « ad me nuper misit v. c. et mihi amicissimus Isaacus « Vossius, ex cujus exemplari nostram (*sic*) emendavimus. » Vocis *nostram* nullus est sensus, nisi *editionem* intellexeris. Alium antea Galeo fuisse manuscriptum exemplar, intelligi non potest, nisi mutata voce *nostram*, et unde illud habuisset exemplar, ipse profecto dixisset. Se hos versus ex uno Vossiano codice, sed prius a se emendatos, edidisse, id Galeum dicere voluisse credimus, et rem ita intellexit Fabricius[2], cujus hæc sunt verba : « Versus illos « Alexandri cujuscumque græcos Isaacus Vossius commu- « nicavit cum Thoma Galeo, qui illos edidit notis ad Par- « thenii Erotica, p. 149. » Cæterum parvi refert. Vossiani enim exemplaris, ex Ambrosiano codice descripti, Grotiano apographo unice usus est Schneiderus[3]. Atqui si

[1] Vide dicta in præcedenti paragrapho.

[2] S. Hippolyti operum t. II, p. 371.

[3] Vide dicta in hujus capitis § 2.

versuum illorum, in Theonis *Astronomia*[1] obviorum, variantes lectiones, quas omnes e Parisiensi codice, atque e Vossiano Grotianoque Mediolanensis codicis apographis per editores cognitis, imis nostræ editionis paginis adscripsimus, attente consideraveris, videbis quæcumque sunt in codice Parisiensi menda notatione digna (et permulta sunt), ea etiam in Vossiano Grotianoque eorum versuum apographis e codice Mediolanensi fuisse, paucissimis et minimis tantum exceptis, quæ Vossius, aut Grotius, aut, qui ea refert, Schneiderus, tacite vel inconsulto corrigere potuerunt. Galeus, ut ipse profitetur, tacita emendatione usus est, quæ ipsi non semper successit. Verbi gratia in versu duodecimo, pro νότης, Parisiensis et Grotiani codicum lectione, legendum conjecit νότοις, ubi legendum νήτη; in versu vigesimo primo, metri causa, addidit παρά, ubi addere oportebat πέντε; in versu sexto, vocem φωσ[illegible]ῆρ e conjectura Galeus dedit, pro qua in codice Parisiensi legitur φ ου, in Grotiano autem φ οο, et legendum φονίου : ultimam nempe litteram in Mediolanensi codice aliter librarius ille qui Parisiensem codicem exaravit, aliter Vossius legit, aut in Vossiano codice Grotius. In versu tamen vigesimo quarto, ubi legendum Οὐρανὸς ἑξάτονος τόνον, et Parisiensis codex habet Οὐρανὸν ἑξάτονον τόνον, in margine[2] recenti manu annotatum est τόνον in Ambrosiano deesse. Sed suspicamur τόνον in Mediolanensi Ambrosiano esse, et omissum fuisse tantum ab exscribente Vossio. Certe Grotianum Vossiani codicis apographon habet Οὐρανὸν ἑξάτονον (γρ. τόνον), Schneidero teste, et inde

[1] C. XV, fol. 7 *b*-8 *a*.

[2] Fol. 8 *a*.

orta esse videtur nota Parisiensis codicis margini adscripta.

Quidquid id est, in his sex et viginti versibus, qui Parisiensem codicem habuerit, is neque e lectione Grotiani, neque ergo e lectione Ambrosiani codicis ullum omnino fructum percipiet. Ambrosianus ergo codex, etiamsi eum in manibus haberemus, codicis Parisiensis mendis innumeris et non paucis lacunis fore ut mederetur sperandum non est, quoniam eumdem ambo textum exhibent, et sive hoc illius, sive ambo unius ejusdemque pessimi codicis sunt apographa. Paucis tantum mendis, quæ, quamvis sedulus, librarius ille, qui Parisiensem exaravit codicem, addere potuit, et quæ, auctoris sententia duce, et adjuvante aliquando Chalcidii versione, facile corrigi possunt, Ambrosianus codex opitularetur. Potius ergo est sine illo Theonis *Astronomiæ* editionem fieri, quam ipsius causa differri.

§ 5.

« Hujus libelli *De Astronomia*, inquit de Gelder[1], exem-
« plar e codice Parisiensi transcriptum vir cl. Bake.....
« .... mihi legendum concessit : pro quo insigni bene-
« ficio, si verum profitear, optimo viro debitas gratias re-
« ferre non satis possum. Exemplar, perspicua et nitidis-
« sima manu transcriptum, octoginta et tribus paginis
« formæ quartæ continetur. » Cujus vero manu aut quo tempore transcriptum sit exemplar illud, vir cl. non indicat.

[1] *Præmon.* c. II, § 4, p. XXXVI.

CAPUT III.

CODICIS PARISIENSIS DESCRIPTIO.

§ 1.

Codex Parisiensis est 35 *centimetra* longus, 24 *centimetra* largus, rufa pelle indutus, fortioris chartæ foliis triginta constans; quorum primum et ultimum vacua sunt. Cetera octo et viginti, numeris recenti manu scriptis insignita, Theonis *Astronomiam* plenis sex et quinquaginta paginis continent, quarum unaquæque habet triginta lineas 11 *centimetra* et dimidium longas, exceptis prima pagina, cui novem et viginti tantum lineæ insunt, quartaque, cujus post lineæ vigesimæ secundæ dimidiam partem cætera vacua librarius reliquit, et ultima, quæ in linea vigesima sexta, cum Sereni fragmento Theonis *Astronomiæ* postposito, desinit. Ipsius Theonis *Astronomiæ* finis est, verso folio vigesimo octavo, in paginæ quinquagesimæ sextæ linea octava.

Indumento affixum est chartæ fragmentum octogonum, in quo legitur:

Gr.

1821.

In primi folii, vacui et numero carentis, priori pagina, recenti manu scriptum est:

« Codex chart. 16 sæc. quo continetur Theo de iis quæ « mathematicarum disciplinarum studioso sunt addiscenda. « Is vero tractatus de rebus astronomicis potissimum agit. « Nondum editus. »

Et paulo infra scriptum est:

1821

Paulo etiam infra, alia manu:

Codex Telleriano-Remensis, 35

Reg. 2163

2

§ 2.

In hoc codice, capitum tituli rubro colore scripti sunt, nisi ubi aliter monemus, nec vero majoribus intervallis a ceteris lineis distinguuntur. Nonnulli medio textui, mediæ lineæ, sine ullo discrime, inserti sunt. Sed capitum titulos nullos auctoris esse persuasum habemus. Non enim indicandis diversarum operis partium argumentis sufficiunt, et aliqui sunt inutiles. Credimus hos omnes titulos notas fuisse de variorum operis locorum argumento, antiquioris alicujus codicis margini adscriptas, ac inde in textum translatas. Eos tamen omnes e codice Parisiensi edidimus, sed minoribus litteris eos, quos judicavimus esse inutiles, et uncis eos inclusimus, quos censuimus addendos, sive titulos totos, sive titulorum partes.

Rubro etiam colore scriptæ sunt primæ litteræ capitum, aut etiam propositionum paucarum, quæ ad initium lineæ, priori non plena, rejiciuntur.

Allati poetarum versus textui et alii aliis, prosæ orationis instar, continuantur.

Scriptura concinna est et perspicua, ita ut de lectione raro dubitare liceat. Sed verba bene multa, quæ facillime leguntur, aut græca non sunt, aut a re evidenter aliena sunt. Nonnulla verba, aut longiores etiam propositionum

partes, imprudentis librarii culpa abesse liquet, qui nonnunquam propter ὁμοιοτέλευτον erravit, id est ubi in primario auctoris codice eadem verba non magnis intervallis iterum inveniri oportebat, a priori loco ad alterum, mediis omissis, transilivit. Sed hæc peccata aut omnia, aut pleraque, jam in codice Ambrosiano fuisse, supra dictis de causis, credimus.

In Parisiensi codice, *accentus spiritusque* quos vocant recte plerumque positi sunt : menda hujus generis pauca, in quibus nihil subesse potest dubii aut momenti, tacite correximus; de cæteris monuimus. Adjectivum ἀπλανὴς in codice semper scribi ἀπλανὴς, semel dixisse satis fuerit. *Puncta* et *virgulas*, in codice perverse omnino et temere sparsa, a suis locis plerumque absentia, affatim intrusa alienis, nihil curavimus : puncta ergo et virgulas tacite posuimus ubi oportuit.

Descriptiones geometricæ, ad quas provocat auctor, omnino desunt, nec vacuum illis spatium in textu relictum est. Græcæ litteræ, quibus numeri aut geometricæ lineæ indicantur, frequentissimis erroribus laborant. Additæ a nobis Tabulæ descriptiones geometricas, quales voluerat auctor, ostendunt.

Compendiosa scripturæ signa usque ad tertiam fere codicis partem pauca sunt, in sequentibus multo plura. De iis compendiosis scripturæ signis, quæ in omnibus ejusdem ætatis codicibus inveniuntur, non est cur moneamus[1]. De iis quæ rariora sunt, et de vocibus quarum lectio dubia videri potest, in notis imæ paginæ cuique adscriptis

[1] Vide Bernardi de Montfaucon *Palæographiam græcam*, et Bastii *Commentationem palæographicam*.

monemus, atque ea, quæ opus esse visum est, in tabula B, huic editioni annexa, delineanda curavimus. In tabula A, locorum in codice maxime corruptorum est accurata effigies : unde etiam librarii scriptura cognosci poterit.

CAPUT IV.

DE HUJUS EDITIONIS INSTITUTO.

§ 1.

Quam difficile fuerit hunc librum emendatum edere, ex ipsa codicis descriptione liquet, et multo magis e pravarum codicis lectionum inspectione elucebit. Quum tamen ad id opus Astronomiæ antiquæ, cujus nunc scribimus historiam, diuturno studio accincti devenerimus, vidimus non sine gaudio, quamquam obstantibus tot mendis lacunisque, posse Theonis astronomicum opus certa et indubitata ratione a principio ad finem intelligi, menda corrigi et lacunas compleri, ita ut, si hic illic de voce una aut altera, at certe nunquam de auctoris sententia dubitatio supersit.

Non ergo id nobis fuit propositum, ut, quales multæ existunt græcorum auctorum editiones principes, codicis unius aut alterius menda omnia in ipso textu religiose servata exhibentes, talem Theonis *Astronomiæ* editionem curaremus. Sed *textum suscepimus emendandum supplendumque*, quatenus fieri potuit et oportuit; ita tamen, ut, quid sit in codice, ubique lector accuratissime doceatur. Codicis ergo menda omnia imis adscripsimus editionis nostræ paginis, et ne minima quidem prætermisimus, in quibus a codicis lectione recedendum fuit. Quæ in codice

desunt, a nobis suppleta inclusimus uncis, eaque addendi causas in notis attulimus.

§ 2.

Quam fecimus *versionem latinam*, conati sumus ut ea sit, quæ et harum rerum paululum peritis facile intelligatur, et tamen a græco textu quam minime recedens, perpetui commentarii instar esse possit. E Chalcidii versione, utpote inaccurata, ibi etiam ubi nihil omittit aut contrahit, non multum fructum percepimus, nisi ad corrigenda aut supplenda verba quæ in codice Parisiensi aut male scripta, aut omissa sunt.

In hac priore hujus *Dissertationis* parte, ea præmonemus quæ ad Theonis vitam, opera, *Astronomiæ* codices, et præsentem editionem pertinent.

In altera ejusdem *Dissertationis* parte, ea afferimus, quæ ad intelligendam Theonis *Astronomiam* ac ferendum de eadem judicium viam patefaciunt, et quæ, conjunctim exposita, magis prosunt, quam si in Notas divisa disjectaque forent.

In *Notis* iis, quæ sunt in voluminis fine, ea tractamus, quæ ad ipsa auctoris verba et ad res quasdam peculiares spectant, quæ vel post alteram *Dissertationis* partem obscuræ manere possent.

In *notulis* eis, quæ imis paginis adscriptæ leguntur, codicis lectiones enotamus, et ad *Notas* quæ in fine voluminis sunt lectorem dimittimus.

Appendicibus insunt : 1° cum versione latina et præmissa Dissertatiuncula, Georgii Pachymeris ineditæ *Astronomiæ* fragmenta, Theonem legenti aut astronomiæ his-

toriam scrutanti utilia; 2° præmissa etiam Dissertatiuncula et additis notis, Chalcidii locus, ex Adrasti, quem Theon sequi solet, *Astronomia* expressus, ut nos quidem credimus.

Index auctorum ad Theonis ipsius et *Dissertationis* nostræ locos dimittit, ubi de unoquoque sermo est.

Index rerum ordine alphabetico ea complectitur quæ Theonis *Astronomiæ* insunt, et paginas indicat. Adeundas ad locum unumquemque Notas semel monemus.

Index græcitatis eas complectitur in Theonis *Astronomia* semel vel sæpius obvias voces, quæ in græcæ linguæ lexicis aut desiderantur omnino, aut non ita acceptæ inveniuntur, ut eis Theon usus est.

Jam diximus de *Tabulis* in fine voluminis positis, et quibus tum *Descriptiones geometricæ*, tum *codicis scripturæ* et *compendiosorum signorum effigies* exhibentur.

His monitis, in exsequendo proposito perginus.

PARS ALTERA.

CAPUT I.

QUEMNAM LOCUM INTER PHILOSOPHIÆ PLATONICÆ INTERPRETES OBTINET THEON?

§ 1.

Post audaces Ionicæque Italicæque philosophiæ conjectationes, unde orta erat arrogans et veritati inimica so-

phistarum dubitatio, is fuit philosophiæ Socraticæ finis, ut ab universæ rerum naturæ interpretatione ad mentis humanæ investigationem et doctrinæ morum studium Græcorum animos converteret. Sed, ut fit, paulo ultra modum progressus, scientiæ mathematicæ, aut naturalis, id tantum, teste Xenophonte[1], Socrates probavit, quod usui vulgari et quotidiano inserviret. Intra hos fines se non continuit Platonis ingenium, qui, humanæ quidem naturæ contemplator assiduus, inde vero in sublimiores *idearum* regiones evolare ausus est, pythagoricorumque imitator et æmulus, mathematicas considerationes per sese philosopho necessarias esse[2], et rerum mutabilium naturam, si non scientiæ, at certe opinioni, ut jam censuerat Heraclitus, patentem, philosopho etiam esse meditandam judicavit[3].

E pythagoricorum platonicorumque scholis egressa, mathematica brevi adolevit, peculiarisque et per sese constans scientia facta est : quæ tamen, cum naturali scientia conjuncta, philosophis, stoïcis præcipue, summo culta est studio. Naturali autem scientiæ, Aristotelis et Theophrasti exemplo, peripatetici maxime incubuerunt, quæ tamen non diu in eorum schola viguit. Sed nec in platonica, quæ disceptationibus de cogitationum origine et certitudine ingenii vires consumens, in probabilitatis

[1] *Commentariorum* (*De Socrate*) IV, 17.

[2] Vide Platonis locos, e *Republica* et *Epinomide* præsertim, a Theone congestos, *Arithm.* c. 1, p. 1-21 Bullialdi. Cf. Plutarchum, *Conviv. quæst.* VIII, 2, p. 718-719; et *De virt. mor.* c. XII, p. 452 D.

[3] Vide Platonis *Timæum*, p. 27 D-28 A, p. 29, et p. 59 C, D; *Remp.* V, p. 477-480, et VI, p. 508 D, E, et p. 510.

doctrinam et de veritate rerum dubitationem abiit. Unde factum est, ut e media novaque Academia nullus fere exstiterit Platonis vere interpres, qui in prisca Academia multi fuerant.

§ 2.

Et sane, quod ad res mathematicas pertinet, Philippus Medmæus, Platonis ipsius discipulus, ab ipso ad earum rerum studium incitatus, et secundum ipsius consilia in perquirendo sese dirigens, ea præcipue excoluerat, quæ in hoc studio ad platonicam philosophiam facere videbantur[1].

Xenocratis operum, quæ recensuit Diogenes Laertius[2], multa ad rem mathematicam spectabant, quam ille maxime faciebat[3]. Loca *Timæi* Platonis mathematica in operum suorum aliquo interpretatus fuerat[4].

Locum *Timæi* Platonis mathematicum de anima mundi elucidare conati fuerat Xenocratis discipulus Crantor[5],

[1] Vide Proclum, *In Euclidem*, II, p. 19 ed. gr. Quæ de Philippo *Mendæo* duobus in locis (t. II, p. 41, et t. IV, p. 582 vet. ed.) *Bibliothecæ græcæ* habet Fabricius, ea ad *Medmæum* spectant, errorque ortus est e prava Barocii correctione in Procli textu. Vide Stephanum, *De urbibus*, s. v. Μέδμη, et Petavii *Uranol. var. diss.* VI, 9.

[2] IV, 10-14.

[3] Vide Plutarchum, *De virtut. mor.* c. XII, p. 452 D, et Diogenem L., IV, 10.

[4] Vide Plutarchum, *De animæ procreatione*, c. I et III, et *De defectu oraculorum*, c. XIII; Simplicium, *in Phys.*, fol. 265 Ald.; Themistium, *De anima*, I, fol. 66 *b*, l. 47 Ald.; et Suidam, s. v. Ξενοκράτης.

[5] Vide Plutarchum, *De animæ procreatione*, c. I, II, XVI, XX et XXIX.

Clearchus discipulus Aristotelis[1], Theodorusque[2], Solenses omnes, quorum ultimus quo tempore vixerit, in dubio est.

Libros etiam composuerant Clearchus de mathematice dictis in Platonis *Republica*[3], et Theodorus de iis quæ ad rem mathematicam in Platone spectant[4].

Longo post tempore, in *Timæum*, atque ergo in Platonis arithmeticam, musicen, geometriam et astronomiam commentati fuerant stoïci Panætius Rhodius[5] Posidoniusque Apamensis[6], et platonicus Eudorus[7] Strabonis æqualis[8] : quorum auctorum nullo usus esse videtur Theon.

§ 3.

Mox autem post Christum natum cæpit renasci genuina priscæ Academiæ doctrina, virique exstiterunt, sectæ neoplatonicæ prænuntii, qui totam magistri philosophiam, quatenus etiam res mathematicas et physicas complectitur, elucidandi studium receperunt : quorum præcipui Adrastus peripateticus, platonici vero Thrasyllus, Dercyllides, Theon Smyrnæus, Plutarchus Chæronensis, Alci-

[1] Vide Plutarchum, *De animæ procreatione*, c. XX.

[2] *Ibid.* c. XX et XXIX, et *De defectu oraculorum*, c. XXXII.

[3] Vide Athenæum, IX, 11, § 48, p. 393 A.

[4] Vide Plutarchum, *De defectu oraculorum*, c. XXXII.

[5] Vide Proclum, *in Timæum*, p. 50 B ed. gr. Basil. (p. 115 Schneideri).

[6] Vide Sextum Emp. *adv. Logic.* I, 93, p. 389 Fabricii; et Plutarchum, *De animæ procreatione*, c. XXII.

[7] Vide Plutarchum, *De animæ procreatione*, c. III et XVI.

[8] Vide Strabonem, XVII, 1, t. III, p. 421 Tauchnitii, et Achillem Tatium, *Intr. ad Phæn.* p. 169, in Petavii *Uranol.* 1630, in-fol.

noûs, Maximus, Albinus, Atticus, Numenius, Taurus[1], et alii, quibus addendus Dionysius Halycarnassius musicus, qui de musice dictis in Platonis *Republica* librum scripserat[2]. Horum autem tres tantum tempore sunt Theone Smyrnæo priores, qui eorum operibus usus est, Thrasyllus, Adrastus et Dercyllides, de quibus mox plura dicemus.

Id autem notandum est, quum platonicam inter aristotelicamque doctrinam jam tum concordiam instituere nonnulli eniterentur sectæ utriusque philosophi, Theonem platonicum de astrorum motibus eorumque motuum ratione et causis magis Adrasti peripatetici, quam Dercyllidis platonici, vestigiis institisse. Sed prior rem plenius tractaverat, et ambo videntur fere concordes fuisse, etiam in iis quæ a genuina Platonis opinione recederent, videlicet in epicyclorum usu et motuum cœlestium per sphæras, non per circulos, effectione.

In interpretanda *Timæi* parte astronomica, notionibus iis Chalcidius usus est, quas ex Adrasto sumserat Theon. Sed, ut sagacitate, sic fide inferior Theone, auctorem, cujus opus a se vix intellectum expilaverat, omnino tacuit. Proclus, in Commentariis in *Timæum*, Adrasto de musica tantum, Theone Smyrnæo de Platonis propinquis, Dercyllide de una dialogi unius persona, usus est[3].

[1] Vide Plutarchum, *De anim. procr.*; Proclum, *in Tim.*; J. Philoponum, *De æternitate mundi*, etc. Cf. Fabricii *Biblioth. gr.* t. VIII, p. 535-552, et t. II, p. 23, vet. ed.

[2] Vide Suidam, s. v. Διονύσιος.

[3] Vide hujus *Diss.* part. I, c. I, § 1, et part. II, c. III, § 14 et 15.

CAPUT II.

QUEMNAM IN ASTRONOMIÆ HISTORIA LOCUM OBTINERE DEBET THEONIS ASTRONOMICUS LIBER?

Ea tantum de mathematicis disciplinis se dicturum professus est Theon, quæ ad Platonis philosophiam melius intelligendam facerent[1]. Plus tamen effecit quam promisit. De astronomia enim non id tantum attulit, quod intelligendis Platonis libris satis foret. Sed eas de motibus astrorum considerationes exposuit, quæ philosophum naturæ rerum curiosum, et post Eratosthenis, Archimedis, Aristarchi, Hipparchi, Sosigenis, Adrasti tempora viventem decerent. Apud eum ergo, præter multa, partim hactenus ignorata nobis, de anterioribus astronomiæ temporibus, compendium totius astronomiæ græcæ invenimus, qualis in doctissimorum ea de re philosophorum scholis paulo ante Ptolemæum fuit. Quæ omnia quanti sint pretii, facile æstimabit, qui animadverterit cuncta, præter unum minoris momenti commentarium, Hipparchi opera, atque omnia opera astronomorum, quicumque inter Hipparchum et Ptolemæum floruerunt, præter Geminum et forsan Cleomedem, de cujus ætate ambigitur, et quorum uterque arduas scientiæ partes neglexit, injuria temporis interiisse; ita ut usque nunc non sit definitum, quid per sese ipse præstiterit Ptolemæus, quid Hipparcho aut aliis debeat: cui solvendæ quæstioni Theonis *Astronomia* multum affert luminis. Multarum etiam opinionum, de quibus tacuit Ptolemæus, et illius præsertim quæ Mercurii et

[1] *Arithm.* c. 1, p. 1-21; et *Mus.*, c. 1, p. 74 Bullialdi; *Astron.* Epilog., fol. 28 *b*.

Veneris circuitibus Solem vult coronari, nova et pretiosa vestigia apud Nostrum inveniuntur. Denique per illum nobis innotescunt astronomi duo non contemnendi, Adrastus et Dercyllides, quorum priorem præcipue Theon in maxima operis parte sequitur, aut illius etiam verba describit. De Adrasto autem illo dixerat Marcus Meibomius[1]: « Auctorem ex quibusdam locis notum auro redimere vellem. » Nec nos asserere dubitamus, quæ hoc opere continetur, Adrasti *Astronomiam* fere totam illis, quæ Meibomius noverat, arithmeticis et musicis fragmentis, ut longe ampliorem, sic multo potiorem esse.

Sed antequam de Theonis *Astronomia* plura disseramus, utile videtur de auctoribus quibus usus est aut qui in hoc opere memorantur, ea tantum quæ minus nota sunt nostroque proposito conveniunt, vel e Theone nunc primum cognoscuntur, breviter exponere.

CAPUT III.

DE AUCTORIBUS, QUORUM IN THEONIS ASTRONOMICO LIBRO FIT MENTIO.

§ 1.

Ab iis incipiamus mentionibus, quæ minus ad astronomiam spectant.

Empedocles. Versus unus, qui, auctore non nominato, affertur in Theonis *Astronomia*[2], exstat inter edita EMPEDOCLIS fragmenta[3].

[1] In præfatione libri *De proportionibus*.

[2] C. XXII, fol. 10 *b*.

[3] V. 21, p. 98 Karstenii.

Theoni[1] debemus IBYCI versus ineditos duo, e quibus vocem unam enotaverant Hesychius et Suidas[2]. Ibycus.

Versum alium ineditum, cujus auctor dicitur[3] ὁ τραγικός, TRAGICI cujusvis esse potest, nec potissimum Euripidis, quanquam ille τραγικώτατος τῶν ποιητῶν dicitur Aristoteli[4], et voce παρθμεύειν, in hoc versu paulo insolentius accepta, similiter usus est[5]. Tragicus quidam.

§ 2.

Cetera, quæ e variis auctoribus in Theonis *Astronomia* afferuntur, ad astronomiam omnino pertinent.

Quod de BABYLONIIS vel CHALDÆIS et de ÆGYPTIIS in hoc opere affirmatur, eos per longum tempus astra observavisse, nemo ibit infitias. Eorum tamen nullas observationes alicujus pretii Nabonassari regno antiquiores Græcis vere innotuisse, contra Porphyrium et alios in alio opere[6] demonstrabimus. Quod apud Theonem nostrum etiam legimus, utrumque populum hypothesibus astronomicis nonnihil indulsisse, Chaldæos autem *arithmetice* præsertim, id est cyclis constituendis, Ægyptios paulo magis *geometrice*, id est definiendis lineis, quas astra vere describunt, Græcos solos *physice* tractasse astronomiam, id est motuum cœlestium indagavisse causas, id nos in illo eodem opere confirmabimus. Babylonii vel Chaldæi, Ægyptii.

[1] C. XVI, fol. 9 *b*. Vide Notam 8.

[2] S. v. Σείριος. Vide Bergkii *Poetas lyricos græcos*, p. 664.

[3] C. XVI, fol. 9 *b*.

[4] *De arte poetica*, c. XIII, p. 1453 *a*, l. 29-30 ed. Berol.

[5] Vide Euripidis *Orestem*, v, 1031.

[6] In *Historia astronomiæ antiquæ*, quam scribimus.

§ 3.

Thales. Anaximander. Anaximenes. Œnopides.

Quæ Theon[1] ex Eudemo a Dercyllide petita refert de THALETIS, ŒNOPIDÆ, ANAXIMANDRI et ANAXIMENIS astronomicis inventionibus, ea jam ex Anatolio ad verbum ediderat Fabricius[2], nec magni sunt pretii, nec perspicua, nec aliunde notæ rerum veritati omnino consentanea: quod nos, in supra dicto opere demonstrandum, hic breviter tantum indicabimus.

Et primo quidem, quod ibi dicitur Thales *Solis defectum invenisse*, intelligendum est defectus solaris, Luna obstante fientis, naturam perspexisse Thalem, vel, ut Simplicius loquitur[3], Thalem defectum scivisse quid sit, quod antea Græci nesciebant. Immerito vero Theon et Eudemus recensentur inter commenti illius auctores de prædicto a Thale Solis defectu[4]. Hunc Eudemi locum, in quo de prædictione non agitur, male intellexerunt Diogenes Laertius[5] et Clemens Alexandrinus[6]. Quod autem apud Nostrum dicitur Thales *invenisse Solis secundum solstitia circuitum non semper æquo tempore fieri*, intelligendum est, aut primum voluisse Thalem annum *civilem* nunc 24, nunc 25

[1] C. XL, fol. 26 *a*.

[2] *Biblioth. gr.* t. II, p. 277 (278) vet. ed.

[3] *In categorias*, fol. 48 E ed. gr. Basil. Cf. fol. 49 Γ.

[4] Defectum Solis illum anno ante Christum natum 610 exstitisse, sed non a Thale prædictum fuisse, et unde ortum sit commentum illud, in *Historia astronomiæ antiquæ* ostendemus.

[5] I, 23.

[6] *Strom.* I, p. 302 A, ed. Paris., 1641, in-fol. Nec apud Proclum *in Euclidem* invenitur quod ibi de hac prædictione se legisse dicit Menagius.

lunaribus mensibus constare, aut potius ipsum revera credidisse a solstitio ad idem solstitium non semper idem esse tempus : in quo errore et Hipparchus[1] fuit, et ipse post Adrastum Theon Smyrnæus[2]. Sed an hac de re cogitaverit Thales, valde dubito, tametsi auctorem id affirmare voluisse credo. Prior interpretatio historica commendatur probabilitate, sed cum auctoris textu vix congruere potest.

Quod ibidem dicitur Anaximander *statuisse Terram circa mundi medium suspensam moveri*, id esse omnino falsum, ut censuit Idelerus[3], non equidem dixerim; at certe est obscure et non accurate dictum. Nequaquam enim putandum est Anaximandri fuisse non spernendam illam paucorum inter Græcos opinionem de Terræ in mundi centro quotidiana conversione. Sed credidit Anaximander *Terram esse circa mundi medium*, id est in medio fere, disco latissimo et tenui similem, et credere potuit eam circumfuso aere aliquando nonnihil agitari, et hanc esse *Terræ motus*, id est terræ tremoris raro accidentis, non vero revolutionis quotidianæ, tunc ignoratæ, causam[4].

[1] Vide Ptolemæi *Comp. math.* III, 2, t. I, p. 152 et sqq. et maxime p. 155 et sqq. Halmæ.

[2] C. XXVII, fol. 17 *b*.

[3] In nota ad commentationem *Ueber das Verhæltniss des Copernicus zum Alterthum*, in libro *Museum der Alterthumswissenschaft*, t. II, p. 396-397.

[4] Vide Aristotelem, *De cœlo*, II, 13, p. 294-295 ed. Berol.; Plutarchi *Stromatum* fragmentum apud Eusebium, *Præp. evang.* I, 8; pseudo-Origenis *Philosophumena*, in Orig. Op. t. IV, p. 235-236 Oberthurii, etc. Cf. Senecæ *Nat. quæst.* VI, 6, et quæ in *Historia astronomiæ antiquæ* fusius ea de re disputabimus.

Anaximenes ibidem dicitur *intellexisse primus Lunam a Sole lumen habere, et quæ sit Lunæ defectus causa* : quod de Anaximene verum esse potest; defectus enim solaris causam, magis obviam, Thales jam antea perspexerat.

Œnopides ibidem dicitur *zodiaci cincturam invenisse primus*. Alii[1] minus recte dicunt eum invenisse zodiaci obliquitatem : quod Plinius[2] Anaximandro, nonnulli[3] Pythagoræ tribuunt, non ignotum tamen etiam Thaleti fuisse zodiacum existimantes. Sed zodiacum nemo cognoscere potuit, qui eum ab aquilone ad austrum inclinatum esse ignoraverit. Immo vero, qui de zodiaco nondum cogitabat, Hesiodus[4] sciebat hieme Solem magis ad austrum moveri. Superest ergo ut prioribus jam observatam cœli zonam illam mundi axi obliquam, intra quam Sol et Luna moventur, primus aut inter primos definire conatus sit Œnopides et τῶν ζωδίων κύκλον appellaverit. Id autem optime congruit cum iis, quæ de zodiaci signorum apud Græcos origine, assentiente maximam partem Idelero, disputavit vir doctissimus Letronnius[5], statuens siderum in illa zona nomine insignitorum apud Græcos numerum paulo ante Œnopidæ tempora ad undecim excrevisse, quorum decem duodecimam fere singula ejus zonæ partem, Scorpius autem cum Chelis reliquam sextam partem, obtine-

[1] Vide Diodorum S. I, 98; J. Stobæum, *Ecl. phys.* I, 24; ps.-Plutarchum, II, 12; ps.-Galenum, c. XLIX, t. IV, p. 434 Galeni Op. ed. gr. Basil.

[2] II, 6 (8).

[3] Vide J. Stobæum, ps.-Plutarchum, et ps.-Galenum, ll. cc.

[4] *Operum et dierum*, v. 527. Cf. v. 564 et 663.

[5] In diario *Journal des Savants*, anno 1839, mensibus augusto et septembri.

bant[1]; atque ideo zona illa jam tum ζωδίων, id est undecim siderum animalium hominumve figuris distinctorum zona, dici poterat. An hæ figuræ, quas undecim sideribus in zodiaco a se paulatim excogitatis Græci applicuerunt, e multo pluribus sphæræ Chaldæorum astrologicæ figuris, zodiaci locos, non sidera, indicantibus, originem habuerint, alia quæstio est[2]. Quidquid id est, Œnopides Chius, geometra, *menisci* quadraturæ inventor[3], Pythagoricæ autem doctrinæ imitator et expilator[4], Anaxagoræ æqualis aut paulo junior fuit[5]. Quod apud Theonem additur, *ab Œnopide inventam fuisse magni anni vicissitudinem*, id eo sensu accipiendum est, quod Œnopides unus e multis fuerit, qui, a Thalete ad Callippi tempora, multiplici *magnorum annorum*, id est *cyclorum*, inventione lunarem mensem cum anno solari copulare studuerunt : et annorum quidem 59, dierum autem 21557 erat Œnopidis cyclus[6]. De eo cyclo, sicut de ceteris rebus quæ ad Œnopidem spectant, alibi[7] plura disputabimus.

[1] Vide *Journal des Savants*, mense septembri, p. 532-536.

[2] Quæstionem hanc in *Historia astronomiæ antiquæ* breviter tractabimus; sed magis ad mythologiæ sculpturæque et picturæ, quam ad astronomiæ historiam pertinet.

[3] Vide Proclum, *in Euclidem*, in Fabricii *Bibl. gr.* t. IV, p. 85 Harlesii.

[4] Vide pseudo-Plutarchum, II, 12, et III, 1. Cf. Achillem Tatium, c. XXIV, in Petavii *Uranol.*, et Diodorum S., I, 98.

[5] Vide Proclum, *in Euclidem*, l. c.

[6] Nam 59 anni, dierum $365\frac{11}{59}$ singuli, ut volebat Œnopides, sunt dies 21557. Vide Æliani *Var. hist.* X, 7, et Censorini opus *De die natali*, c. XIX.

[7] In *Historia astronomiæ antiquæ*.

§ 4.

Pythagoras. Pythagorei.

Theon[1], post Adrastum, asseverat PYTHAGORAM primum intellexisse ideo inæquabiles mutabilesque videri errantium astrorum motus, quod in propriis circulis propriisque sphæris alligata et illis mota, nobis per zodiacum videantur moveri. Sed qualis fuerit hæc Pythagoræ de circulis aut sphæris cœlestibus doctrina, aut unde et quibus testimoniis ea sibi innotuerit, auctor minime declarat. Nec tamen, ut fecit Proclus[2], excentricorum circulorum epicyclorumque inventionem pythagoreis tribuit; sed merito dicit ex eorum schola ortam esse opinionem de concentu quem motibus suis astra errantia efficere credebantur. Quæ autem Theon refert[3] de eorum ordine secundum pythagoreorum quosdam, Solem in quarto circulo locatum tanquam cor universi esse statuentes, ea, etsi non ex antiquissimis fontibus petita videntur, id tamen confirmant, quod alibi[4] jam diximus et melius etiam ostendemus[5], pythagoreorum plurimos Terram in centro mundi immobilem statuisse. Pythagoreorum nullum in centro mundi immobilem statuisse Solem, post Idelerum[6] jam probavimus[7], hac de re plenius tractaturi[8].

[1] *Astron.* c. XXII, fol. 11 *a*.

[2] In *Hypotyposeon astronomicarum positionum* initio, ubi græco textui, non autem Halmæ versioni attendendum.

[3] *Astron.* c. XV, fol. 7 *b*. Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 10.

[4] In opere *Études sur le Timée de Platon*, t. II, p. 101-119.

[5] In *Historia astronomiæ antiquæ*.

[6] *Ueber das Verhæltniss des Copernicus zum Alterthum.*, in libro *Museum der Alterthumswissenschaft*, t. II, p. 391-454.

[7] *Études sur le Timée*, t. II, p. 92-101, et p. 113-129.

[8] In *Historia astronomiæ antiquæ*.

§ 5.

Quæ Theon[1], vel potius Adrastus, ex *Epinomide*[2] se descripturum promiserat de barbarorum Græcorumque astronomia, non ea tantum, sed etiam plura de astronomia PLATONIS, codicis lacuna deesse nobis videntur[3]. Locum autem e Platonis *Republica*[4] difficillimum describens, post Adrastum, Theon[5] novas lectiones præbet, quarum nonnullæ contemnendæ non sunt, et una forsitan propositionem sanat, quæ vix in omnibus Platonis editionibus intelligi poterat[6]. Nec Theon, vel Adrastus, multa disputat de hoc loco, quem Commentariis in *Rempublicam* elucidaverat. Sed tantum nos docet Sirenas circulis cœlestibus, secundum Platonem, insidentes quibusdam ipsa esse videri astra errantia, quibusdam vero sonos quos illa edere creduntur[7], nonnullis etiam epicyclos[8]. Et ipse quidem alio loco[9], solaris epicycli doctrinam exponens, postquam dixit epicyclum aut in motu ab oriente ad occidentem pone astra inerrantia tardiorem relinqui, aut motu proprio ab occidente ad orientem ferri, addit opinionem hanc Platoni magis placere : quibus verbis innuere videtur Platonem, non Plato.

[1] *Astron.* c. XXX, fol. 19 *a*.

[2] P. 986-988.

[3] C. XXXIV, fol. 23 *a*; ubi vide notam in ima pagina.

[4] X, p. 616 B-617 B.

[5] C. XVI, fol. 9 *a-b*. Vide Notam R.

[6] In Platonis *Rep.* X, p. 617 B, et in Theonis *Astron.* c. XVI, fol. 9 *b*. Vide Notam R.

[7] C. XVI, fol. 9 *b*.

[8] C. XXXI, fol. 20 *a*. Vide Notam JJ.

[9] C. XXVI, fol. 14 *a*.

modo ab Anaxagoræ sententia recessisse, qui Soli motum unum, diurnum scilicet, inerrantium stellarum diurno motu tardiorem, tribuebat, sed etiam epicyclo usum esse. Idem affirmatur et in Chalcidii loco de motibus Mercurii et Veneris, quem e Theonis, vel Adrasti, opere aliquo expressum esse credimus[1]. Proclus[2] contra contendit a Platonis doctrina alienam fuisse et epicyclorum et excentricorum circulorum considerationem. Sed merito dicit Noster[3], quum secundum alios Sol, Luna et errantes stellæ ab oriente in occidentem, sicut stellæ inerrantes, sed oblique et paulo tardius, quotidie ferantur, secundum alios ab oriente in occidentem pari cum eis celeritate, sed simul proprio motu ab occidente in orientem oblique ferantur, posteriorem sententiam Platoni magis placuisse. Prior contra Anaxagoræ et Democrito placuit[4]; sed accipi nequit[5], nisi intellexeris non unum circulum, sed 365 parallelos circulos, vel potius spiram, ut Cleanthes aiebat[6], inter ambos tropicos a Sole describi. In hac opinione et Adrastum fuisse credimus, qui dicebat astrorum errantium unum esse motum ab oriente in occidentem, inerrantium motu paulo tardiorem[7]. Merito hac de re Theon Smyrnæus Platonem et Dercyllidem sequi maluit[8].

[1] Vide *Appendicem alteram.*

[2] *In Tim.* p. 221 F ed. gr. Basil. (p. 534 Schneideri).

[3] C. XXVI, fol. 14 *a*, et c. XVIII, fol. 10 *a*.

[4] Vide pseudo-Plutarchum, *De placitis philosophorum*, II, 16.

[5] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 13 et 18.

[6] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 27.

[7] Vide Theonis *Astron.* c. XVIII, fol. 10 *a*, et c. XXXII, fol. 21 *a*.

[8] Vide Theonis *Astron.* c. XVIII, fol. 10 *a*, c. XLI, fol. 26 *b*, et c. XLIII, fol. 28 *a*.

Sphæris astra moveri dicunt peripatetici, Plato autem circulis. Utrosque concordes efficere studens, post Adrastum, Theon[1] suspicatur circulorum nomine Platonem intellexisse sphæras, quemadmodum axes *polorum* nomine. De Platonis astronomia in alio opere[2] multa jam disseruimus, quæ judex optimus Brandisius[3] probavit, et in quibus tamen nonnulla, *Historiam astronomiæ antiquæ* scribendo, mutabimus[4].

§ 6.

Bullialdo assentiri non possumus asseveranti[5] de aristotelica sphærarum doctrina Theonem Smyrnæum in *Astronomia* eadem atque Simplicium dixisse. Nam quæ ex Aristotele, de cælestibus sphæris astra erratica moventibus, non ad verbum exscripta, in Theonis *Astronomia*[6] sunt, ea non recte ARISTOTELIS sententiam exprimunt, nec melius ea quæ de subsimilibus EUDOXI et CALLIPPI sphæris, non ex ipsorum aut Eudemi scriptis, sed ex uno Aristotele[7] male intellecto, breviter exponuntur. Hoc enim nesciunt Adrastus et Theon, quod ex Eudoxo et Eudemo didicerat Simplicius[8], sphæras illas omnes concentricas

Eudoxus. Callippus. Aristoteles.

[1] C. XXXIV, fol. 23 *a*.

[2] *Études sur le Timée*, t. II, p. 39-48, 63-92, 136-146.

[3] *Handbuch der Geschichte der griechisch-römischen Philosophie*, t. II, p. 364-371.

[4] Vide etiam quæ dicimus in Nota R, et in *Appendicis alterius* nota *a*.

[5] In *Astronomiæ philolaïcæ* Prolegomenis, p. 20. Parisiis, 1645, fol.

[6] C. XXXI, fol. 19 *a*-20 *a*.

[7] *Metaph.* Λ, 8; *De cœlo*, II, 8.

[8] *De cœlo*, II, fol. 119 *a* et 120 *a* Ald. (p. 498 *a*, l. 35, et p. 498 *b*, l. 34-35 Brandisii).

fuisse[1]. Male ergo conjicit Noster stellarum quinque errantium cujusque quartam sphæram fuisse *Sirena*, id est sphærulam, circulorum majoris sphæræ axi ad perpendiculum sitorum maximo insidentem, et cujus maximus axi ad perpendiculum circulus foret majoris illius circuli epicyclus[2], ac eam ab Eudoxo ad id inventam fuisse, ut motus in altitudinem et variarum ejusdem stellæ a Terra distantiarum causam redderet. Recte jam, præeunte Simplicio[3], ostendit Idelerus[4] tertiam et quartam cujusque errantium stellarum sphæras, parum invicem inclinatas et eodem tempore circum proprium sibi quamque axem sese vertentes, id effecisse, ut stella in zodiaci aliquam latitudinem hinc inde ferretur, atque inæquabili motu procederet, staretque et nonnihil etiam retrogrederetur[5]. Inde etiam id sequebatur, ut stella in unoquoque *synodico* circuitu, id est inter duas cum Sole conjunctiones, quater circulum per signa medium, quem nos *eclipticum* vocamus, pertransire deberet; et hæc illa est, quam merito Alexandrini astronomi Eudoxo exprobrarunt[6], ἱπποπέδη,

[1] Ipse tamen auctor (c. XXVI, fol. 12 *b*) de mathematicis quibusdam loquitur, qui astrorum errantium circulos omnes Terræ et mundo concentricos faciebant : quod de Eudoxo, Callippo et Aristotele verum est. Sed de recentioribus mathematicis quibusdam loqui voluisse videtur.

[2] Vide Notam JJ.

[3] *De cœlo*, II, fol. 120 *b*-221 *a* Ald. (p. 499 *b*-500 *a* Brandisii).

[4] *Ueber Eudoxus*, 2te Vorlesung, p. 78-80.

[5] De sphæræ unius oscillatione frustra cogitavit Adam Smith (*Essays on philosophical subjects*, History of astronomy, p. 35. Londini, 1795, in-4°), male intellecto Simplicio.

[6] Vide Simplicium, l. c. fol. 121 *a* Ald. (p. 500 *a*, l. 10 Brandisii).

id est sinuosa linea, qualem equi describunt ad utrumque rectæ viæ marginem discurrendo[1]; *eclipticam* enim circulum erraticarum stellarum unaquæque bis tantum in *periodico* circuitu pertransit, non vero quater in *synodico*, qui in Saturno, Jove et Marte *periodico* circuitu multo brevior est. In illo tamen errore Callippus Aristotelesque permanserunt. De usu sphærarum a Callippo additarum, ut Aristoteles, sic etiam Theon silet. Additas autem ab Aristotele ἀνελιττούσας, id est in contrariam partem revolventes, sphæras Theon, post Adrastum, ut videtur, credidit dentata quædam fuisse tympana, inter sphærarum dentatas superficies interposita : quod ab Aristotelis mente, qualem recte explicuit Simplicius[2], alienissimum est. Ut ceteræ, sic etiam ἀνελιττουσαι, concentricæ fuerunt. Eudoxo et Callippo placuerat ut Sol, Luna et quinque errantes stellæ suas haberent sphæras, nec ab aliorum sphæris unumquodque corpus quidquam pateretur. Aristoteles contra voluit involutam unamquamque sphæram, præter proprium sibi motum, involventium omnium sphærarum motuum esse participem. Oportuit ergo, excepta Luna, quot sunt sphæræ quarum motus uni tantum astro proprius videtur, totidem esse sphæras concentricas, quarum quæque, minori radio, circum eumdem axem, eodem omnino tempore atque superiorum una, sed contrariam in partem sese convertens, illius motum sibi ipsi et om-

[1] Similem sinuosam lineam vocat Noster (*Astron.* c. XLI, fol. 27 *a*) ἱππικῇ παραλλαγῇ. Vide descriptionem geometricam XVII et hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 27. Sinuosam etiam lineam vocat Proclus (*in Euclidem*, II, p. 31) ἱπποπέδην.

[2] *De cœlo*, II, fol. 121 Ald. (p. 500 et sqq. Brandisii).

nibus astris inferius sitis irritum faceret[1]. De qua re nos alibi fusius tractare destinamus[2]. De Eudoxo satis fuit ea monere, quæ doctissimi viri Idelerus[3] et Letronnius[4] dicere supersederant. Nobis aliunde[5] notam Eudoxi opinionem de commenticio Solis motu in utramque ab ecliptico circulo partem non memorat Theon Smyrnæus, qui tamen ipse motum illum asseverat[6]. De Callippi cyclo sex et septuaginta annorum, mensium autem noningentorum et quadraginta, qui, tricentesimo trigesimo ante Christum natum anno institutus, optimus usitatissimusque inter Græcos fuit, Idelerum[7] adire licet. De Callippi *Parapegmatis* disserere locus vetat. De Aristotele satis sunt, quæ philosophiæ historici habent.

§ 7.

Menæchmus. Theon[8] vero e Dercyllide id nobis notum facit, quod jam enotavit Bullialdus[9], in sphærarum cœlestium constitutione Menæchmum institisse Eudoxi vestigiis. Menæchmus autem ille, Eudoxi discipulus et Platonis æqualis, de

[1] Vide Sosigenem apud Simplicium, l. c. fol. 121 *b*-122 *a* Ald. (p. 500-501 Brandisii).

[2] In *Hist. astron. antiq.*

[3] *Ueber Eudoxus, in Comm. Acad. scient. Berol.* ad annos 1828 et 1830.

[4] *Sur les écrits et les travaux d'Eudoxe de Cnide.* Paris, 1841, in-4°.

[5] Vide Aristotelem, *Metaph.* Λ, 8, p. 1073 *b* ed. Berol.; Simplicium, *De cœlo*, II, p. 498 *b*-499 *a* ed. Berol. t. IV; et Hipparchum, *in Aratum*, I, 21.

[6] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 8 et 14.

[7] *Handbuch der Chronologie*, t. I, p. 344 et sqq.

[8] *Astron.* c. XLI, fol. 27 *a*.

[9] Vide quæ monuimus in Præfatione ad lectorem.

tota geometria bene meritus, mathematici Dinostrati frater[1], conicis sectionibus aut primus, aut inter primos, uti conatus est ad solvendum problema de duplicatione cubi[2]: quod absque illarum sectionum auxilio tentaverant Archytas[3] per dimidios cylindros[4], et Eudoxus per lineas quæ *κάμπυλαι* dicuntur[5]. « Sed, ait Eratosthenes[6], illi omnes demonstrandi causa scripsere, nec vero potuere rem « manu efficere et vertere in usum. » Quum autem eis hic etiam demonstrandi conatus parum successisset, si Plutarcho[7] credendum, confugerunt ad instrumenta et mechanicas operationes, et ideo a Platone sunt reprehensi, tanquam geometriam ad sensibilia deprimentes. Menæchmum autem nostrum eumdem esse censemus atque Menæchmum Alopeconnesium, trium librorum in Platonis *Rempublicam* auctorem, quem male *Manæchmum* vocant Suidas et Eudocia[8], et in eo forsan opere, ad fusi Par-

[1] Vide Proclum, *in Euclidem*, II, p. 19, ed. gr. Basil. (vel in Fabr. *Bibl. gr.* t. II, p. 385 vet. ed.). Cf. p. 21-22, 31 et 68 ed. gr. Basil.

[2] Vide Eratosthenem, apud Eutocium in Archimedem *De sphæra et cylindro*, p. 21-22 ed. gr. Basil. (vel in Bernhardyi *Eratosthenicis*, p. 177 et 180); Proclum, *in Euclidem*, II, p. 31; et *in Timæum*, p. 149 C, D, ed. gr. Basil. (p. 353 Schneideri).

[3] Vide Proclum, *in Timæum*, l. c.

[4] Vide Eratosthenem, ll. cc. et Vitruvium, IX, Præf. (IX, 3), p. 239 Schneideri.

[5] Vide Eratosthenem, ll. cc.

[6] L. c. p. 177 Bernhardyi.

[7] *Conviv. quæst.* VIII, 2.

[8] S. v. *Μάναιχμος*. Simili errore, *Μάναιχμος Σικυώνιος* apud Suidam et Eudociam est Menæchmus Sicyonius, statuarius et historicus, de quo vide Harduinum in *Indice auctorum Plinii*, et Vossium, *De historicis græcis*, I, 11.

carum descriptionem[1], de sphæris cœlestibus ea scripserat, quæ legerat Dercyllides.

§ 8.

Eudemus. Eudemi Rhodii, Aristotelis auditorum post Theophrastum præstantissimi, *Historiam astronomiæ* sub oculis habuisse non videtur Theon Smyrnæus[2], quoniam ea tantum descripsit quæ inde Dercyllides excerpserat. Neque ex illo fragmento, quod jam ex Anatolio Fabricius[3] ediderat, judicium ullum de opere ferri potest, præsertim quum quæ in illo aut obscura sunt, aut a vero aberrant, partim Dercyllidis indiligentiæ imputari possint, et certe a Diogene Laertio et Clemente Alexandrino male intellecta sint ea quæ ad Thalem spectant[4]. Ambo autem et Simplicius[5] *Historiam astronomiæ* nominant, quæ hic brevius dicitur Ἀστρολογίαι. Quæ vero inde Simplicius[6] hausit, et maxime quæ e secundo ejus operis libro exscribere supersedit[7] de additarum a Callippo Marti, Mercurio et Veneri sphærarum usu, ea sane augendo de operis illius jactura desiderio apta sunt. De Eudemi *Historia geometriæ* et ceteris operibus, vide Fabricium[8].

[1] In Platonis *Rep.* X, p. 616-617.

[2] *Astron.* c. XL, fol. 26 *a*.

[3] *Biblioth. gr.* t. II, p. 277 (278) vet. ed.

[4] Vide supra, § 3.

[5] *De cœlo*, II, fol. 115 *a*, 119 *a* et 121 *a* Ald. (p. 497 *a*, 498 *a* et 500 *a* Brandisii).

[6] Ll. cc.

[7] *De cœlo*, II, fol. 121 Ald. (p. 500 *a*, l. 30-34 Brandisii).

[8] *Biblioth. gr.* t. II, p. 80, 300-301 et 628, et t. IV, p. 82 vet. ed.

§ 9.

Quæ apud Nostrum refertur e Dicæarcho Messenio, maximorum montium altitudinis, tanquam decem tantum stadiorum, mensura[1], ea quidem Plutarchi loco[2] confirmatur, quem ad Dicæarchum respicere jam suspicati fuerant Petavius[3] et Fuhrius[4], sed qui tamen æque Eratosthenis auctoritate niti potest; nam apud Nostrum[5], Simpliciumque[6], Theonem Alexandrinum[7] et Georgium Pachymerem[8], eadem etiam Eratostheni opinio tribuitur. In ea vero non perstitisse videtur Dicæarchus, si revera illius sunt ea quæ refert Geminus[9] de monte Cyllenio alto quindecim stadia. De Dicæarcho Messenio, Aristotelis ipsius auditore, plura, post Fuhrium[10], dicere supervacaneum est. Dicæarchus.

[1] C. III, fol. 2 *b*.

[2] In *Paulo Æmilio*, c. XV.

[3] *Var. Diss.* VII, 10, in *Uranol.*

[4] *Dicæarchi Messenii quæ supersunt*, p. 128. Darmstadt, 1841, in-8°.

[5] L. c.

[6] *De cælo*, II, sub finem, fol. 134 (136) *b* Ald. (p. 508 *b* Brandisii).

[7] In *Ptolomæi Comp. math.* I, p. 62-63 Halmæ (p. 23 ed. gr. Basil.).

[8] Vide Georgii Pachymeris *Astronomiæ* ineditæ locum e Theone Alexandrino expressum, in Bibliothecæ regiæ codice græco 2338, fol. 268 *b*.

[9] *Elem. astron.* I, 14. Cf. Strabonem, VIII, 8, t. II, p. 226 Tauchnitii; Eustathium, *in Odyss.* Ψ, p. 1951, l. 15 ed. rom., et Stephanum Byz., s. v. Κυλλήνη.

[10] *Dicæarchi quæ supersunt.* Darmstadt, 1841, in-8°, pp. VIII et 528.

§ 10.

Eratosthenes. Iis auctoribus[1] Noster addendus est, qui Terræ maximum circulum stadiorum esse 252000 post ERATOSTHENEM[2] statuerunt. De maxima secundum Eratosthenem montium altitudine, Noster[3] etiam, ut Georgium Pachymerem[4] taceamus, cum Theone Alexandrino et cum Simplicio[5] consentit, quibus anteponendum unius Cleomedis[6] testimonium Bernhardyus[7] frustra credidit. De maximi montis cum Terræ ipsius mole comparatione locum, qui, mutatis numeris, sed iisdem fere verbis, apud Theonem Alexandrinum atque apud Theonem Smyrnæum legitur, ex Eratosthene ab utroque paulo liberius exscriptum esse credimus[8]. Præterea, de Eratosthene, iis quæ Bernhardyus collegit et disseruit, e Theonis Smyrnæi *Astronomia*[9] addenda est *Mercurii* poematis fabulæ initii expositio, quam, a se non accurate satis latine versam, tanquam suam Chalcidius[10] dedit, et tanquam vere Chalcidii Bernhar-

[1] Vid. Strabonem, II, 5, t. I, p. 180 et 210 Tauchnitii; Vitruvium, I, 6, § 9, p. 26 Schneideri; Plinium, II, 112 (108); et Martianum Capellam, VI, 596, p. 499 Koppii.

[2] Cf. Bernhardyi *Eratosthenica*, p. 60, ubi paulo diversi in Cleomede (I, 10, p. 68-69 Bakii) numeri causa indicatur.

[3] *Astron.* c. III, fol. 2 *b*.

[4] L. c.

[5] Ll. cc.

[6] I, 10, p. 69 Bakii.

[7] *Eratosthenica*, p. 56.

[8] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 3.

[9] C. XV, fol. 8 *b*.

[10] *In Timæum*, fol. 26 *a* Ascensii (p. 156 Meursii). Cf. Achillem Tatium, *in Aratum*, c. XVIII.

dyus[1] adhibuit. Ad Bernhardyum de ceteris lectorem dimittimus.

§ 11.

Arati Solensis e *Phænomenis*[2] versus unius pars apud Theonem Smyrnæum[3] legitur. Nec idcirco de Arato disserere suscipiemus[4]. Aratus.

Nec magis disseremus de Archimede, e cujus edito opere *De sphæra et cylindro* paucæ geometricæ propositiones a Theone Smyrnæo[5] afferuntur. Archimedes.

Hipparchi, summi viri, cujus opera præcipua[6] interierunt, noscendis de astronomia meritis quantum conferat Theonis Smyrnæi opus, etiam quum de Hipparcho silet, sed ea exponit, quæ in Ptolemæi astronomiam aut nequaquam, aut mutata, transierunt, jam indicavimus[7]. Hipparchum ipsum citat sexies Theon[8], vel apud Theonem Adrastus; unde hæc comperimus. Hipparchus *arcticum*, id est *semper apparentem*, circulum ab æstivo tropico gradibus 30, et a polo gradibus 36 distare tradiderat: et id quidem in Rhodo insula verum est, nisi quod ab æstivo Hipparchus.

[1] *Eratosthenica*, p. 143.

[2] V. 332, t. I, p. 82 Buhlii.

[3] *Astron.* c. XVI, fol. 9 *b*.

[4] Vide Buhlium, *De Arati Solensis vita, etc.* in Arati editionis t. II, p. 449-482.

[5] *Astron.* c. III, fol. 3. Vide Notam e.

[6] Eorum catalogum vide in Fabricii *Bibliotheca græca*, t. IV, p. 27-30 Harlesii.

[7] Hujus *Diss.* part. II, c. II.

[8] *Astron.* c. XXVI, XXXII, XXXIII, XXXVIII, XXXIX et XLII, fol. 15 *b*, 22 *a*, 23 *a*, 24 *b*-25 *a*, 25 *b* et 27 *b*.

ad æquinoctialem circulum 24 esse gradus parum accurate ponitur [1]. Idem Lunam intra decem gradus in zodiaci latitudine moveri censuerat [2]. Solarem motum, qualis apparet, utraque hypothesi, sive per epicyclum, sive per excentricum circulum, explicari posse dixerat; quomodo vero id fieret, ut tam dissimiles hypotheses duæ idem omnino efficerent, mathematicis demonstrandum proposuerat [3]: quod præstitit Adrastus, et plenius post eum Theon Smyrnæus, ut mox videbimus [4]. Epicyclum autem prætulerat Hipparchus et excentricum rejecerat, utpote rerum naturæ minus consentaneum [5]. Idem tamen, teste Ptolemæo [6], in explicanda priori solaris motus inæqualitate excentrico usus fuerat, quem Ptolemæus alteri inæqualitati reservavit. Neque e naturali scientia quæsiverat Hipparchus motuum cœlestium causas, et sphæras illas motus effectrices, quibus Adrastus utitur, nequaquam excogitaverat [7]. Nec, ut postea Ptolemæus, in explicandis stellarum quinque errantium motibus *excentricum* adhibuerat *cum epicyclo;* sed, quemadmodum Theon et Adrastus, sic etiam ipse *epicyclo aut concentrico* tantum usus fuerat [8]. Teste præ-

[1] Vide Theonis *Astron.* c. XLII, fol. 27 *b*, et hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 26.

[2] Vide Theonis *Astron.* c. XXXVIII, fol. 24 *b*-25 *a*, et hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 8.

[3] Vide Theonis *Astron.* c. XXVI, fol. 15 *b.*, et c. XXXII, fol. 22 *a.*

[4] *Diss.* part. II, c. IV, § 13.

[5] Vide Theonis *Astron.* c. XXXIII, fol. 23 *a.*

[6] *Comp. mathem.* IV, 10, t. I, p. 274 Halmæ. Cf. IV, 4, p. 238-239.

[7] Vide Theonis *Astron.* c. XXXIII, fol. 23 *a.*

[8] Vide *ibidem.*

terea Theone Smyrnæo [1], Hipparchus, in opere περὶ ἀποσ/ημάτων καὶ μεγεθῶν ἡλίου καὶ σελήνης, Terra septies et vicies ferme contineri arbitratus fuerat Lunæ magnitudinem, quæ illa bis fere toties continetur : in qua re Ptolemæus [2] paulo minus erravit. In definienda autem Solis magnitudine, Hipparchus, a vero longissime recedens, sed multo tamen minus quam postea Ptolemæus [3], Sole ferme millies octingenties octogies contineri Terræ magnitudinem censuerat. Id ipsum dixit etiam Chalcidius [4], Theonem latine vertens. Paulo aliter Cleomedes [5] : « Bythynum, in- « quit, Hipparchum dicunt demonstravisse Solem millies « et quinquagies esse Terra majorem. »

Posidonius. Posidonius in Theonis opere non nominatur. Sed ibi nonnulla esse ostendemus [6] quæ Adrastus Posidonio debet, et plura sunt forsan quæ ex eodem ab Adrasto hausta sunt, præcipue in primis quatuor capitibus, cum quibus conferas licet ea quæ e Posidonio maximam partem hausit Cleomedes [7].

§ 12.

(Alexander Ætolus.) Alexander Ephesius. Sub Alexandri Ætoli nomine, poetæ in tragico, elegiaco, epigrammatico, epico et cinædico generibus exercitatissimi, qui cum æquali Arato Solensi apud Antigonum

[1] *Astron.* c. XXXIX, fol. 25 *b*.

[2] *Comp. math.* V, 16, t. I, p. 347-348 Halmæ. Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 24.

[3] Vide *ibidem*.

[4] *In Tim.* fol. 30 *a* Ascensii (p. 181 Meursii).

[5] II, 1, p. 102 Bakii.

[6] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 14, 17 et 19. Cf. § 8.

[7] I, 8-11.

Gonatam aliquandiu commoratus est [1], afferuntur apud Theonem Smyrnæum [2] de astris erraticis et eorum concentu sex et viginti versus, quorum duo, nonum et decimum, Alexandro Ephesio tribuit Heraclides sive Heraclitus Grammaticus [3], sed quos *Ephesii* esse Nækius [4] contendit. In hoc quidem Nækio assentitur Meineckius [5], at contra illius tamen opinionem demonstrat Alexandro non Ephesio tantum, sed et Ætolo et Lycaïtæ Alexandris, et Anacreonti *juniori*, qui carmine elegiaco ad id usus est [6], et multis aliis ejusdem scholæ poetis scripta esse *Phænomena* Arateis subsimilia [7]. De Alexandro *Ætolo* optimam Meineckii dissertationem [8] indicasse satis est, præsertim quia et nos arbitramur illos sex et viginti versus *Ephesii* esse Alexandri, cui cognomen *Lychno* fuit, et qui eloquentia publicisque rebus administrandis inclaruit, scripsitque historiam, et epicos versus reliquit, in quibus cœlestia disposuit, ac tres Terræ partes descripsit, de unaquaque poemata edens, Strabone teste [9]. Hic autem Alexander Ephesius, inter *νεωτέρους* a Strabone positus, non multo

[1] Vide Anonymos *De vita Arati*, t. II, p. 431, 442 et 444 Buhlii; Suidam, s. vv. Ἀλέξανδρος et Ἄρατος, et Eudociam, s. v. Ἀλέξανδρος.

[2] *Astr.* c. XV, fol. 7 *b*-8 *a*.

[3] In *Opusculis mythologicis*, p. 426 Galei. Amst. 1688, in-8°.

[4] *Sched. crit.* p. 7 et sqq. (*Opusc. philol.* I, p. 13 et sqq.).

[5] In *Analectis Alexandrinis*, p. 242.

[6] Vide Hyginum, *Astron.* II, 6. Cf. Meineckium, l. c. p. 243.

[7] Vide Anonymos *De vita Arati*, t. II, p. 433 et 443 Buhlii; Sextum Emp. *Adv. Log.* II, p. 496 Fabricii, et Hyginum, l. c.

[8] *Anal. Alex.* p. 215-251.

[9] XIV, 1, t. III, p. 177 Tauchnitii.

antè Augusti tempora vixisse censendus est[1]. Quem quod historiæ auctorem fuisse dicit Strabo, respexisse videtur *Historiam belli Marsici*, cujus in libro primo mentionem Æneæ in Italiam navigationis invenit Aurelius Victor[2]. Alexandri Ephesii poematis astronomici, quem Φαινόμενα inscriptum fuisse non immerito suspicatur Meineckius[3], præter *Vitæ Arati* anonymum auctorem[4], mentionem injecisse videtur Hyginus[5], ad Hyadas et Pleïadas pertinentem; nisi forte Alexandri Ætoli Φαινόμενα respexit. Apud Chalcidium[6] autem, sub Alexandri *Milesii*, ejusdem ac Polyhistoris, nomine leguntur, de astrorum errantium ordine, decem latini versus, quibus primos decem de eadem re Alexandri nostri apud Theonem versus, non accurate quidem, exprimi notavit post Fabricium[7] Rauchius[8]. Theon ergo, et Chalcidius, quem Theonis *Astronomiæ* locum hunc et libri totius maximam partem latine

[1] Cf. Rauchii commentationem *De Alexandri Polyhistoris vita atque scriptis.* Heidelbergæ, 1845, in-8°. De Alexandro Ephesio, præter Rauchium, qui illum a Cornelio Alexandro Milesio Polyhistore recte distinguit, videantur Vossius, *De historicis græcis*, III, p. 381 Westermanni; Ukertus, *Geographie der Griechen und Romern*, I, 1, p. 155; Forbiger, *Handbuch der alten Geographie*, I, p. 250-251; Nækius, l. c.; Düntzer, *Fragmente der epischen Poesie der Griechen*, p. 115, et Meineckius, *Anal. Alex.* Epimetr. IX, p. 371-377.

[2] *Orig. gent. rom.* c. IX.

[3] L. c. p. 372.

[4] Buhlii *Arateorum* t. II, p. 442 et 443.

[5] *Astron.* II, 21.

[6] *In Tim.* fol. 26 *a* Ascensii (p. 155 Meursii).

[7] *Biblioth. gr.* t. III, p. 56 Harlesii.

[8] Comm. *De Alexandro Polyhist.* p. 30.

vertisse nunc compertum est [1], de horum versuum auctore varie erraverunt. Nam, ut merito censuit Nækius [2], hi versus, quos *elegantissimos* indulgentior Galeus vocaverat, revera technici, obscuri, inelegantes, Alexandrum Ætolum, elatioris poeticæ linguæ generis studiosum, parum decent. *Homeri allegoriarum* auctori [3] ergo potius credendum, qui eorum duos minus noto ejusdem nominis Ephesio poetæ tribuit. De hoc autem legendum Ciceronis, eodem tempore viventis, judicium. Ad Atticum scribit Cicero [4] : « A Vibio libros accepi : poeta ineptus, nec tamen « scit nihil, et est non inutilis. Describo et remitto. » Et rursus [5] : « Libros Alexandri, negligentis hominis et non « boni poetæ, sed tamen non inutilis, tibi remisi. » Cum Cicerone omnino facit Theonis, vel potius Adrasti, durum satis de istis versibus judicium, cui equidem assentior. Theonis enim, vel Adrasti, vituperationem de musica poetæ ignorantia multis verbis declaratam nescientes, ac una voce, quam, in Theonis Mediolanensi Parisiensique codicibus corruptam, e Mediolanensi descripserat Vossius, decepti, post eum Grotiumque et Galeum, Schneiderus [6] et Nækius [7] Alexandrum a Theone ut μουσικώτατον laudari immerito crediderunt : hæc autem laudatio in Eratosthenem cadit [8]. Quod ad Alexandri Ephesii Γεωγραφού-

[1] Vide *Diss.* hujus part. I, c. 1, § 5.

[2] *Sched. crit.* p. 8-17 (*Opusc. philol.* t. I, p. 13-28).

[3] In *Opusc. mythol.* p. 426 Galei.

[4] *Epist. ad Att.* II, 20.

[5] II, 22.

[6] In Vitruvium, t. II, p. 24, e Grotio.

[7] *Sched. crit.* p. 8 (*Opusc. philol.* t. I, p. 14).

[8] Vide Theonis *Astron.* c. XV, fol. 8 *b*, et Notam Q.

μενα spectat, eorum apud Eusthatium[1] et Stephanum Byzantinum[2] supersunt octo ad summum versus aut versuum fragmenta, quæ Meineckius[3] accuratissime collegit.

§ 13.

Thrasyllus.

Thrasyllus ille, Θράσυλλος, vel Θραςύλος[4], ad quem Theon, in libro de arithmetica et de musica ea quæ in numeris est, sæpe provocat[5], et ex quo tum ibidem[6], tum in *Astronomia*[7] promittit musicæ illius quæ in mundo est doctrinam se traditurum, idem ille est, de quo Sevinus[8] docte disputavit, Thrasyllus Phliasius, cujus librorum Περὶ τῶν ἑπτὰ τόνων[9], Περὶ ἑπταχόρδου, et aliorum, ut videtur, de musica librorum fragmenta apud Porphyrium[10] et Theonem Smyrnæum[11] habemus. Secutus antiquum et platonicum[12] musicæ genus, non modo chordarum mul-

[1] Ad Dionysii *Perieg.* v. 558, 593 et 608. De ultimo loco vide Dionysii scholiastam, quem citat Meineckius, *Analect. Alex.* p. 373.

[2] S. vv. Ἀυρράχιον, Ἑλίμεια, Ἐρχύνιον, Τυραχῖναι, Δῶρος, Λάκηθος, Μελίταια, Σάταλα, Σεβασλή, Ταπροβάνη, Ὑρκανοί, Χαονία.

[3] L. c. Epim. IX, p. 374-377.

[4] Vide Boissonnadium, ad Aristæneti *Epistolas*, p. 441.

[5] *Mus.* c. II, p. 74; c. XXXV, p. 137, et c. XXXVI, p. 145 Bullialdi.

[6] C. XXXVI, p. 145-146 Bullialdi.

[7] *Astron.* Epilog. fol. 28 *b.*

[8] *Mémoires de l'Académie des inscriptions*, t. X, p. 89-97. Paris, 1736, in-4°.

[9] Vide Fabricii *Biblioth. gr.* t. III, p. 65 Harlesii.

[10] *In Ptolemæi Harmon.* I, 5, in Wallisii Operum t. III, p. 266 et 270.

[11] Ll. cc.

[12] Vide Proclum, *in Timæum*, p. 191 ed. gr. Basil. (p. 456 Schneideri).

titudine et variis recentioris apud Græcos musicæ inventionibus, sed et chromatico genere consulto abstinuit[1], quod tamen optime noscebat[2], et de tribus musicæ partibus, quas Theon[3] discernit, commentatus fuisse videtur[4], præcipueque de pythagorico illo sphærarum cœlestium concentu, de quo, præter multos, scripserant etiam[5] ante illum Aratus in *Canone*[6], Eratosthenes in *Mercurio* poemate[7] et Hypsicles, post illum autem Adrastus Aphrodisiensis, cui tamen ea de re Thrasyllum auctorem Theon prætulit. Astronomiæ etiam deditus, Thrasyllus de Sole commentarium[8] ediderat, nec non libros de superstitiosa mathesi[9], cui summopere studuit. Platonicus etiam fuit[10], scripsitque libros, in quibus, sicut postea Plotinus, philosophiæ pythagoricæ amantissimum sese ostendebat[11], et illius philosophiæ in plerisque discipulum fuisse volebat

[1] Vide Plutarchum, *De musica*, c. XXI, p. 1137 F.

[2] Vide Theonem Sm. *Mus.* c. XXXVI, p. 145 Bullialdi.

[3] *Arithm.* c. II, p. 21 Bullialdi, et *Astron.* Epilog. fol. 28 *b*.

[4] Vide Theonem, ll. cc.; Nicomachum Geras. *Harmon.* I, p. 24 Meibomii; Porphyrium, *in Ptolemæi Harmon.* I, 5, in Wallisii Op. t. III, p. 266 et 270, et Achillem Tatium, c. XVI, p. 136, in Petavii *Uranol.* 1630, in-fol.

[5] Vide Achillem Tatium, l. c.

[6] Vide Achillem Tatium, l. c., et c. XV, p. 135.

[7] Præter Achillem Tatium, vide Theonem Sm. *Astron.* c. XV, fol. 8 *b*, et Chalcidium, fol. 26 *a* Ascensii (p. 156 Meursii).

[8] Vide Achillem Tatium, c. XIX, p. 139.

[9] Vide Demophili *Scholia in Ptolemæum de effectibus astrorum*, p. 195. Basileæ, 1559, in-fol.

[10] Vide Scholiastam Juvenalis, ad *Sat.* VI, 575.

[11] Vide Porphyrium, *De vita Plotini*, in Fabricii *Biblioth. gr.* t. IV, p. 130 vet. ed.

Democritum [1], de cujus operum lectioni præviis meditationibus librum composuerat [2], et cujus opera recensuerat ac diviserat in *tetralogias* [3]. Idem de Platonis vita scripserat [4], atque in *tetralogias* quidem, non vero primus [5], digesserat ejus dialogos [6], qui antea ab Aristophane grammatico in *trilogias* distributi fuerant [7]. Ob philosophiam, Augusto imperatori, cum Areo philosopho [8], carissimus fuit [9]. Rhodi enim Tiberius, nondum imperator, ut sapientiæ professorem [10] simulque astrologiæ superstitiosæ magistrum [11], eum contubernio admoverat. Idem postea, imperator factus, eum in maxima gratia habuit [12], et astrologicis ejus prædictionibus maximam adhibuit fidem [13]. Vana autem scientia Thrasyllus ad mitigandum crudelissimi

[1] Vide Diogenem Laertium, IX, 38.

[2] *Ibid.* IX, 41.

[3] *Ibid.* IX, 45.

[4] *Ibid.* III, 1, et IX, 37.

[5] Vide § 14 de Dercyllide.

[6] Vide Diogenem Laertium, III, 56-61. Sed cf. Albini *Introductionis* c. VI, in Fabricii *Biblioth. gr.* t. II, p. 48 vet. ed.

[7] Vide Diogenem Laertium, III, 61-62.

[8] De quo videatur Brückeri *Hist. crit. philos.* t. II, p. 98 et 536, ed. alter.

[9] Vide Themistii *Orat.* VIII, p. 108 Morellii, et Suetonii *Augustum*, c. XCVIII.

[10] Vide Suetonii *Tiberium*, c. XIV.

[11] Vide Taciti *Ann.* VI, 20-22, et Dionem Cassium, LV, 11.

[12] Vide Themistium, *Orat.* V, p. 63, et *Orat.* XI, p. 145 Morellii, et Juvenalis scholiastam, in *Sat.* VI, 472.

[13] Vide Tacitum, l. c.; Suetonium, in *Tiberio*, c. XIV et LXII, et in *Caligula*, c. XIX; Dionem Cassium, LV, 11, LVII, 15, et LVIII, 27-28.

principis animum nonnunquam usus est[1], scriptisque suis sese, qualis erat, ostendens, de Tiberii familiaritate sese purgavit[2]. Thrasylli filius, astrologus et ipse, ad quem forsan pertinent Juvenalis acerbi versus[3], Neroni imperium prædixisse fertur[4].

Diversum a Nostro esse Thrasyllum Mendesium, historicum, *Ægyptiacorum*[5], librorum *De lapidibus*[6], *Tragicorum* vel potius *Thracicorum*[7], et, ut videtur chronologici operis[8] auctorem, cujus operum pauca habentur anili superstitione referta fragmenta[9], cum Sevino credimus, aliter sentientibus G. J. Vossio[10] et Schœllio[11], qui Plutarchi[12] testimonium de Thrasylli musici patria neglexerunt.

§ 14.

Dercyllides. Iisdem fere, quibus Thrasyllus, temporibus vixisse videtur DERCYLLIDES[13] platonicus. De iis locutus, qui Pla-

[1] Vide Suetonium et Dionem, ll. cc.

[2] Vide Julianum imp. *ad Themistium*, p. 489 Petavii.

[3] *Sat.* VI, 472 et sqq.

[4] Vide Taciti *Annal.* VI, 22. Cf. XII, 68.

[5] Vide Plutarchum, *De fluviis*, c. XVI; et J. Stobæi *Florileg.* tit. 100, p. 541 Gesn.

[6] Vide Plutarchum, *De fluviis*, c. XI.

[7] *Ibid.* Cf. Westermanni notam ad Vossium, *De historicis græcis*, p. 232. Lipsiæ, 1838, in-8°.

[8] Vide Clementis Alex. *Strom.* I, p. 335 D, ed. Paris. 1641, in-fol.

[9] Vide Plutarchum, *De flav.* et J. Stobæum, ll. cc. et præterea Plinium, XXXII, 19 (5), et I, in Indicibus librorum II, IX et XXXI.

[10] *De historicis græcis*, p. 232 Westermanni.

[11] *Histoire de la littérature grecque*, t. V, p. 75-76.

[12] *De musica*, c. XXI, p. 1137 F.

[13] De nomine vide Notam oo.

tonis dialogos in *tetralogias* distribuunt, Albinus [1] addit : « Ejus opinionis sunt Dercyllides et Thrasyllus. » Hic vero Platonis dialogorum ordo fuisse videtur jam Varronis tempore, qui [2], ut Fabricius [3] notavit, nonnihil e *Phædone* proferens, allegat Platonem *in quarto*. Et certe multos præter et forsan ante Dercyllidem et Thrasyllum eo ordine usos fuisse, Albini verba indicant. Hac autem de re disserere poterat Dercyllides in libris *de Platonis philosophia*, quorum laudat Porphyrius [4] undecimum, in quo de materia sententia Platonis, ex Hermodori, Platonis ipsius familiaris [5], libro *de Platone*, exponebatur. Ex eodem Dercyllidis opere, potius quam e peculiari *in Timæum* commentario, petitum esse videtur, quod Proclus [6] refert, Dercyllidem censuisse quartam anonymam personam, quæ Socratem dialogos *De Republica* narrantem audiverat et quæ in *Timæo* [7] absens desideratur, ipsum Platonem fuisse. Haud scio an etiam unus multorum ejus operis librorum fuerit ille Dercyllidis liber *De fuso et spondylis quorum mentio fit apud Platonem in Republica*, unde Theon Smyrnæus [8] longum satis locum, partim ad verbum exscriptum et totum ad astronomiam pertinentem, operi suo inseruit.

[1] *Introd. in Platonis Dial.* c. VI, in Fabricii *Biblioth. gr.*, t. II, p. 48 vet. ed.

[2] *De ling. lat.* VI, col. 51, l. 39 Gothofredi.

[3] *Biblioth. gr.* t. III, p. 71 Harlesii.

[4] Apud Simplicium, *in Phys.* I, fol. 54 *b* Ald. (p. 344 *a* Brandisii) et fol. 56 *b* Ald.

[5] *Ibid.* fol. 54 *b* Ald. (p. 344 *a*, l. 35 et sqq. Brand.)

[6] *In Timæum*, p. 7 B ed. gr. Basil. (p. 14 Schneideri).

[7] Initio.

[8] *Astron.* c. XL et XLI.

Denique ex inedita Procli dissertatione in Platonis *Reipublicæ* locum de Here Armenio fragmentum hoc[1] non contemnendam Dercyllidis opinionem continet de ruituris in unum cœlestibus corporibus, si vel uno momento revolutiones eorum cessarent : *Δερκυλλίδης τὴν τοῦ θείου σώματος περίοδον, τὸ αὐτὸ τέλος ποιουμένην καὶ ἀρχήν, τοῦ μηδέποτε συμπεσεῖσθαι τὸ πᾶν αἰτιᾶται· καὶ γὰρ τὴν ῥαδδὸν τὴν περὶ τῷ δακτύλῳ κινουμένην μὴ πίπτειν, ἕως ἂν περιδίνηται, καὶ τὸν ἐπὶ τῆς γῆς κυλιούμενον τρόχον· σίαντα δὲ ταῦτα πίπτειν εὐθύς· εἰ οὖν συναποκατασιάντες εἰς ἓν σημεῖον ἔσηκαν οἱ ἀστέρες, ταὐτὸν ἂν ἔπαθον· νῦν δὲ τὸ πέρας αὐτῶν ἀρχὴ ἄλλης γίνεται περιόδου· καὶ ἡ συναποκατάστασις, οὐκ οὖσα στάσις, ἀλλ' ἐρετηρία τῆς ἐξῆς περιόδου, τηρεῖ τὴν κοσμικὴν τάξιν.*

§ 15.

Adrastus. ADRASTUS Aphrodisiensis, philosophus simul et mathematicus[2], inter peripateticos illustris, nec vero cum Adrasto Philippensi, Aristotelis ipsius auditore[3], confundendus, a nullo auctore, qui ante Theonem nostrum vixerit, nominatur : quare non multo ante ipsum tempore vixisse putandus est. Probabili ergo conjectura inter Neronis et Marci Antonini tempora a Patricio[4] collocatur. Superstites

[1] Quod edidit doctissimus cardinalis Angelus Maius in notis ad Ciceronis *Reipublicæ* reliquias, VI, 26 (*Classic. auct.* t. I, p. 362. Romæ, 1828, in-8°).

[2] Cf. Claudianum Mamertum (*De statu animæ post mortem*, I, 25), qui narrat *Adrasti mathematici* responsum ad Marcium quemdam philosophum de longitudinis latitudine carentis existentia dubitantem.

[3] Vide Stephanum Byz. s. v. *Φίλιπποι*.

[4] *Discussionum peripateticarum* t. I, lib. XI, p. 145. Basileæ, 1581, in-fol. Cf. lib. X, p. 137.

Adrasti de musica libros, de quibus mox loquemur, si quis ediderit, inde forsan ipsius ætas certius et accuratius definiri poterit, si videlicet in illo mentio sit aut Thrasylli, aut recentioris etiam alicujus auctoris. Ut Theoni Alexandrino Theon ille mathematicus Ptolomæo natu paulo major[1], sic Proclo[2] Adrastus, quem suspicamur paucis tantum annis Theone Smyrnæo majorem fuisse, inter παλαίους numeratur. Illius et nonnullorum ejusdem ætatis peripateticorum scripta Plotinus discipulis recitabat[3]. Achilles Tatius[4], secundum temporum, ut videtur, seriem, qui de Sole scripserint, nominat Aratum, Eratosthenem, Hypsiclem, Thrasyllum et Adrastum; iterumque paulo infra, de sphærarum cœlestium concentu, Adrastum post Thrasyllum laudat.

Illorum autem Adrastus e numero fuit, qui sinceram Aristotelis doctrinam retinuerunt, ἀνὴρ τῶν γνησίων περιπατητικῶν γεγονώς, inquit Simplicius[5], qui ejusdem opus *De ordine Aristotelis librorum* bis[6] nominat Τὸ περὶ τῆς τάξεως τῶν Ἀριστοτέλους συγγραμμάτων, et semel[7] Τὸ περὶ τῆς τάξεως τῆς Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας. In hoc autem opere Adrastus, improbante Simplicio[8], Aristotelis *Prædicamenta* dicebat *Antetopica*, et *Prædicamentis Topica*, nulla re in-

[1] Vide hujus *Diss.* part. I, c. 1, § 1.

[2] *In Timæum*, p. 198 E ed. gr. Basil. (p. 475 Schneideri).

[3] Vide Porphyrium, *De vita Plotini*, c. XIV, in Fabricii *Biblioth. gr.* t. IV, p. 116 vet. ed.

[4] C. XIX, p. 139 Petavii *Uranol.* 1630, in-fol.

[5] *In Prædicamenta*, fol. 4 Γ. Basileæ, 1551, in-fol.

[6] *Ibid.* fol. 4 Z, et *in Phys.* fol. 1 *b* (p. 321 *b* Brandisii).

[7] *In Prædicamenta*, fol. 4 Γ.

[8] *Ibid.* fol. 4 Γ.

terposita, postponebat, atque exstare dicebat Aristotelis breviorem *de Prædicamentis* librum, cujus prima verba afferebat[1], Aristotelisque *Physica* nonnullis inscribi dicebat περὶ Ἀρχῶν[2], et primos quidem quinque libros præcipue aiebat esse *de principiis*, tres vero ultimos *de motu*[3].

Præterea Adrasti *in Prædicamenta* commentarium legerat Galenus[4].

An ex aliquo Adrasti in Aristotelis *Physica* commentario petita sint quæ laudat Simplicius[5], dubium est.

E commentariis Adrasti in Platonis *Timæum* Porphyrius[6] affert consonantiarum definitionem, in qua notatur, si consonantium chordarum una pulsata fuerit, alteram sonare per sympathiam. Inde etiam hausta videntur quæ Proclus[7] refert de Adrasto et antiquis aliis auctoribus harmonicos animæ mundi numeros in formam litteræ A disponentibus.

Adrasti Aphrodisiensis *Harmonicorum* libri tres, typis nondum editi, exstant in Italicis bibliothecis[8]. Quoniam autem Adrastus, teste Achille Tatio[9], de sphærarum cœ-

[1] *In Prædicamenta*, fol. 4 Z.

[2] Vide Simplicium, *in Phys.* I, fol. 1 *b* Ald. (p. 321 *b* Brandisii).

[3] *Ibid.* paulo infra.

[4] *De libris propriis*, Op. t. IV, p. 367 ed. gr. Basil.

[5] *In Phys.* I, 3, fol. 26 *b* Ald.

[6] *In Ptolemæi Harmon.* I, in Wallisii Op. t. III, p. 270.

[7] *In Timæum*, p. 192 C, p. 197 C, et 198 E ed. gr. Basil. (p. 458, 471 et 475 Schneideri).

[8] Vide Labbei *Nov. Biblioth. mss.* p. 167. Parisiis, 1653, in-4°, et Fabricii *Biblioth. gr.* t. III, p. 459 et 653 Harlesii. Adrasti autem *Harmonicorum* editio, quam promittebat Harlesius, facta non est.

[9] C. XVI, p. 136, in Petavii *Uranol.* 1630, in-fol.

lestium harmonia scripserat, id aut in libris illis fieri potuit, aut in commentariis *in Timæum*. Aut ex his etiam, aut ex illis hausit Proclus [1] Adrasti acerbum de Aristoxeno musico judicium et animadversiones de variis Platonis et Aristoxeni diagrammatum magnitudinibus.

De Sole commentationem scripsisse Adrastum, per Achillem Tatium [2] notum est, sed e compendioso de tota astronomia opere [3] hausta videntur quæ ex Adrasto, partim ad verbum, partim paulo liberius, per totum fere *de Astronomia* librum Theon Smyrnæus descripsit. Quum ergo non magis Theonis quam Adrasti sit hic liber, jam nunc quid in eo sit Adrasti, quid non sit, quantum potest fieri, monendum est.

In primis quatuor capitibus Theon Smyrnæus Adrasti, si non verba, at certe sententias recitat, ut fatetur ipse [4]. In fine autem quarti capitis Theon apertissime declarat quæ sequuntur esse ipsius Adrasti verba. Neque a quinto capite ad decimum septimum quidquam invenias, quo Adrastum desinere et Theonem ipsum iterum loqui indicetur, nisi forte Adrasti sint ultima tantum capitis decimi sexti verba, quæ illius esse expresse dicuntur. In decimi octavi capitis initio, ne quis Adrastum loqui obliviscatur, prohibent verba : φησὶν ὁ Ἄδραστος. Adrasti ergo etiam esse censemus capita XVII, XIX et XX, et capitum XVIII et XXI cujusque propositionem primam. Capitis XVIII cetera pars

[1] *In Timæum*, p. 192 A, B, ed. gr. Basil. (p. 457 Schneideri).

[2] C. XIX, p. 139.

[3] Vide Theonem Smyrnæum, *De Astronomia*, c. 1, fol. 1 *a*, et in c. XXXIX fine, fol. 26 *a*.

[4] Sub c. 1 initium et in c. IV fine, fol. 1 *a* et fol. 4 *a*.

Theonis est, Platonis opinionem Adrasto opponentis. Capitis XXI cetera pars et sequens totum, Theone ipso indicante, Adrasti non verba, sed sententias exprimunt. Capitis XXIII finem Theonis esse posse Adrastum excipientis negare non ausimus, quanquam in capitis XXIII initio, et in capite XXIV una propositione constanti, Adrastus ipse loquens inducitur, cujus etiam esse caput XXV et longissimi capitis XXVI initium ad tertiam fere partem credimus, et id Theon ipse voce φησὶ in hujus capitis initio sæpius repetita indicat. Post hanc autem primam capitis partem, in qua agitur de hypothesi per excentricos circulos, Adrastum excipiens, Theon ait : « Talem ille quidem secundum « excentricum circulum considerationem tradit, per quam « salva sunt phænomena. » Hypotheseos vero per epicyclum expositio an ipsis Adrasti verbis fiat, non indicat auctor, nisi forte pro λέγουσι legendum λέγει [1]. At certe ex Adrasto hausta est : quod ipse Theon [2] postea declarat. Tum, postquam pauca de Hipparcho dixit, Adrasto iterum duce, ostendit quomodo hypothesim per epicyclum sequatur hypothesis per excentricum. Sed inversæ propositionis demonstrationem, quam Adrastus omiserat [3], Theon de suo addit. Capitis XXVII Adrasto non deberi partem illam ostendemus [4], in qua de anno *anomalistico* agitur. In illo tamen et sequentibus capitibus a XXVIII ad XXXIX, Adrasto multum a Theone deberi probabile est; nam in capitis XXXIX fine præcedentia Adrasti esse ingenue confitetur

[1] C. XXVI, fol. 13 *b*.

[2] C. XXVI, fol. 15 *b*.

[3] C. XXVI, fol. 15 *b*.

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 13-14.

his verbis : « Et hæc quidem Adrastus. » Tum in capite XL loquentem inducit Dercyllidem ipsum, et in capite XLI de hypothesibus astronomiæ necessariis Dercyllidis sententiam exponit. In duobus ultimis capitibus, quem sequatur, aut num propriis utatur viribus, non declarat. In Epilogo, quintam operis partem annuntiat, in qua sic Thrasyllo duce se usurum profitetur, ut Adrasto in præsenti libro usus est.

Si quidem in totis capitibus XVI et XXIII Adrastus ipse loquitur, — de qua re dubitamus, — ipsius, non Theonis, sunt *Commentaria in Platonis Rempublicam*, et *Sphæræ constructio secundum Platonis opinionem*, de quibus ibi sermo est [1].

Ex his Adrasti vel Theonis commentariis, aut ex Adrasti astronomico opere sumtum esse suspicamur Chalcidii locum, in quo de Mercurii et Veneris motibus opiniones eædem ambæ, ac in Theonis capite XXXIII, recensentur, sed altera, Adrasto et Theoni magis accepta, Heraclidæ Pontici fuisse, et altera, Chalcidio magis probata, ipsius fuisse Platonis dicitur. Quare, ne quid eorum prætermittamus, quæ ex Adrasti vel Theonis astronomicis placitis supersunt, totum hunc Chalcidii locum huic volumini subjungemus [2].

§ 16.

Auctoribus quibus Theon usus est SERENUM philosophum non annumeramus. A librario enim aliquo post Theonis Epilogum additum esse credimus Sereni e *Lem-* Serenus.

[1] Vide hujus *Diss.* part. I, c. I, § 6.

[2] Vide *Appendicem alteram.*

matibus fragmentum illud ad motus solaris inæqualitatem spectans. Serenus ille idem sine dubio est, cujus libri duo, unus *De sectione cylindri*, alter *De sectione coni*, latine per Commandinum [1], iterumque per Marium Mersennum [2], græce et latine semel per Edmundum Halleyum [3], editi sunt. Sereni illius Antissensis mathematici una tantum certa apud antiquos mentio invenitur, in Marini *Præfatione* ad Euclidis *Data* [4], ubi, si sanus foret textus, Serenus Archimede antiquior diceretur. Sed corrigendum esse textum Gregoryus recte annotavit. Nam Serenus recentior est Archimede, immo et Apollonio Pergæo, quem laudat [5] et cujus *Conica* commentariis illustrasse se innuit [6]. Sereni autem *Lemmatum* mentionem apud antiquos nullam invenimus. Id vero non prætermittendum, Serenum in codice nostro *philosophum* dici; nec improbabile est, ut Adrastum et Theonem Smyrnæum, sic eum etiam mathematicæ simul et philosophiæ studuisse. Atqui Joannes Stobæus [7] e Sereni cujusdam Ἀπομνημονευμάτων multa allegat variorum, qui inter Thaletis et Antipatri Macedonii ætatem vixerunt, hominum et præcipue philosophorum moralia dicteria.

[1] Cum Apollonii Pergæi *Conicorum* libris prioribus quatuor. Bononiæ, 1566, in-fol.

[2] In *Univ. geom. mixt.que math. synopsi*, p. 313-328. Parisiis, 1644, in-4°.

[3] In Apollonii Pergæi Operum t. III. Oxoniæ, 1710, in-fol.

[4] Euclid. Oper. p. 457 ed. Davidis Gregoryi. Oxoniæ, 1703, in-fol.

[5] Lib. I, prop. 18.

[6] Lib. I, prop. 16.

[7] *Floril.* V, 46, 47, 82; VI, 33, 36, 49; XIII, 28, 29, 42; XXIX, 96; XXXIX, 27; XLVII, 20; LXII, 48; LXXII, 15; LXXV, 11; LXXX, 5; et LXXXII, 10.

Illud quidem grammatici potius quam philosophi opus esse videatur. Serenus tamen ille a Photio, in Catalogo auctorum quibus J. Stobæus usus est, non inter grammaticos, sed inter *philosophos* ponitur. Hunc eumdem esse atque mathematicum non affirmaverim, sed neque negaverim. Hæc de Sereno monere utile visum est, quanquam non a Theone, sed a librario aliquo, descriptum esse putamus fragmentum illud *Sereni philosophi*, quod in fine Theonis *Astronomiæ* invenitur.

§ 17.

Quibus auctoribus præcipue usus sit Theon Smyrnæus in scribendo astronomico opere, nunc in aperto est: duobus enim, Adrasto et Dercyllide, tertioque forsan, Hipparcho. Ceteris autem omnibus, quorum nomina in hoc opere leguntur, non tam ipse usus esse videtur, quam Adrastus et Dercyllides, quos, ab operis initio ad finem, aut loquentes inducit, aut paulo liberius exscribit. Id est ergo Theonis meritum, in hoc astronomiæ compendio, pretiosa Adrasti maxime et Dercyllidis astronomicæ scientiæ monumenta, et simul auctorum quos illi laudant non contemnendas reliquias servavisse. Nempe Theon Smyrnæus non est ille cœli observator, quem Montucla sibi somniaverat[1], sed philosophus astronomiæ studiosus, et qui nunc perditorum hac de re operum doctrinam intelligenter compilando, de nobis et de scientiarum historia optime meritus est.

Nunc autem, jam non auctoribus, sed rebus ipsis intenti, eas, quæ Theonis opere continentur, considerationes bre-

[1] Vide Præfationem nostram ad lectorem.

viter et lucide, quantum fieri poterit, hic exponendas suscipimus, quo facilior et tutior ad eas aditus pateat, ac simul examini subjiciendas, quo, quid valeant et unde ortæ sint, plenius dignoscatur. Theonis *Astronomiæ* capita, de quibus agitur, margini adscripta sunt.

CAPUT IV.

THEONIS ASTRONOMIÆ EXPOSITIO, QUA DE EADEM JUDICATUR.

§ 1.

DE CŒLI FIGURA.

Cap. I. Cœlum esse sphæricum Adrastus demonstrare conatur, non metaphysicis argumentis, quibus Aristoteles [1] usus est, et quorum partem Ptolemæus [2] retinuit, sed geometricis illis, quæ jam apud Euclidem [3] inveniuntur, et quæ theorema non probant, sed tantum ostendunt omnia fieri tanquam circum Terræ centrum quotidie cunctæ simul stellæ circulos describerent parallelos. Quæ ultra pertingunt Adrasti argumenta, ea et intelligere et refellere facile est. Nec est cur eis immoremur. Has autem omnes apparentias non effici Terræ quotidiana circum axem revolutione demonstrare ne tentavit quidem Adrastus, quod frustra tentaverunt Aristoteles [4] et Ptolemæus [5].

[1] *De cœlo*, II, 4, § 1-8, p. 286 *b*-287 *a*, ed. Berol.
[2] *Comp. math.* I, 2, t. I, p. 9-10 Halmæ.
[3] *Phænom.* p. 561 Dav. Gregoryi.
[4] *De cœlo*, II, 13-14.
[5] *Comp. math.* I, 6, t. I, p. 19-21 Halmæ.

§ 2.

DE TERRÆ FIGURA ET SITU.

Terram esse sphæram firmis Adrastus probat argumentis, quorum magna pars Aristoteli[1] debetur : illa autem Noster in duas series dividit, quarum prior est de Terræ rotunditate ab oriente ad occidentem, altera ab aquilone ad austrum. Argumentorum unum tantum explicatione indiget, quod, optimum quidem, nec in Aristotele obvium, sed a Cleomede[2] etiam et Ptolemæo[3] traditum, paulo obscurius ab Adrasto expositum est. Diserte quidem dicit Terræ rotunditatem eo probari, quod eadem Lunæ defectio, quæ fit simul omnibus regionibus, quæcumque Lunam eo tempore spectare possunt, non eadem noctis hora ab omnibus cernitur, ac eodem ergo tempore non eadem est hora apud omnium Terræ partium incolas. Sed addit semper majorem defectionis partem iis conspici, qui magis ad orientem siti sunt : scilicet quod iis, nocte citius adveniente, major defectionis pars post Solis occasum fiat; sed, vice versa, fieri potest ut mane ii qui magis ad occidentem sunt diutius defectionem videant, cujus magna pars orientalibus plagis post Solis ortum fiat. Non ergo *semper* verum est id, quod optimo ceterum argumento Adrastus addidit. Cap. II et III.

§ 3.

DE TERRÆ ET MARIS SUPERFICIE.

Quum asperam esse constet Terræ superficiem, eam tamen a sphærica forma non multum aberrare, et superfi- Cap. III.

[1] *De cœlo*, II, 14, § 8 et sqq. p. 297 ed. Berol.

[2] I, 8, p. 52 Bakii.

[3] *Comp. math.* I, 3, t. I, p. 11 Halmæ.

ciem maris sphæricam esse, post Aristotelem [1] demonstrat. Totius Terræ cum sphæra pedalis diametri, et maximi montis cum una parte grani milii in sexaginta quatuor millia partium divisi comparatio ipsius Adrasti ingenio deberi videtur. Terræ ipsius cum maximo monte comparatio ex Eratosthene, ut videtur, sumta est, quæ, pæne ad verbum excerpta, apud Theonem Alexandrinum [2] rursus invenitur, nisi quod, qualem dedit post Posidonium [3] et Marinum Ptolemæus [4], diversam ab eratosthenica, Terræ mensuram sumit Theon Alexandrinus, et omnes idcirco mutat numeros. Et eratosthenicorum quidem in Parisiensi Theonis Smyrnæi *Astronomiæ* codice numerorum multi aut corrupte scripti sunt, aut etiam desunt, quos certo et facile restituimus. In fine capitis tertii est lacuna. Propositionem unam, quæ sententiam complet, addidimus. Cetera, quæ deesse possunt, non est cur multum desideres [5].

§ 4.

DE TERRÆ SITU, QUIETE ET CUM CŒLO PROPORTIONE.

Cap IV. Terram omnino quiescere, quod demonstrare Aristote-

[1] *De cœlo*, II, 14, § 8 et sqq. et II, 4, § 10, p. 297 et p. 287 *b* ed. Berol. Cf. Archimedem, apud Strabonem, I, 3, t. I, p. 88 Tauchnitii, et Cleomedem, I, 8.

[2] In *Ptolemæi Comp. math.* I, 3, t. I, p. 62-65 Halmæ (p. 23 ed. gr. Basil.). Cf. Simplicium, *De cœlo*, II, fol. 136 Ald. Hunc Theonis Alex. locum pæne ad verbum descripsit et astronomico libro tanquam suum inseruit Georgius Pachymeres (In Biblioth. reg. cod. gr. 2338, fol. 267 *a*-268 *b*).

[3] Apud Strabonem, II, 3, t. I, p. 150 Tauchnitii.

[4] *Geogr.* I, 6, § 1; I, 11, § 2. Marinum sequitur.

[5] Vide Notas B, C, D, E, F, G, H.

les[1], Ptolemæus[2] et Theon Alexandrinus[3] frustra conniuntur, Noster tacite tantum in hoc loco innuit. Terram esse in mundi centro, paucis verbis et nihil probantibus asseverat[4]. Terram esse puncti instar, non tantum præ inerrantium stellarum sphæra, sed et præ sphæra Solis, non est satis accurate verum, quanquam id Ptolemæus[5] etiam innuere videtur. Solis enim æstimabilis aliqua est, quam astronomi dicunt, *diarna* vel *geocentrica* parallaxis, atque eam Hipparchus, non sine magno quidem errore, jam æstimare conatus fuerat[6]. Noster autem, siquidem dixit hemisphærium nobis cerni, *aut paulo minus*, de montibus partem hemisphærii aliquam occultantibus cogitavit, et *refractionem* quam dicunt *astronomicam*, propter quam paulo amplius hemisphærio cernimus, penitus ignorasse videtur. Sed fassi sumus dubiam esse lectionem[7]. Sin vero dixit auctor nobis hemisphærium cerni, *aut paulo magis*, astronomicam refractionem respexit, Sexto Empirico[8] et *De optica* scribenti Ptolemæo[9] notam, nec Cleomedi[10] omnino incognitam.

[1] *De cælo*, II, 14, § 1-7, p. 296 ed. Berol.

[2] *Comp. math.* I, 6, t. I, p. 17-21 Halmæ.

[3] *In Ptolemæum*, I, 6, t. I, p. 83-95 Halmæ (p. 30-34 ed. gr. Basil.).

[4] Vide et *Astron.*, c. XXII, fol. 10 *b*, et c. XLI, fol. 26 *b*.

[5] *Comp. math.*, I, 5; V, 11, et V, 19, t. I, p. 16, 327 et 363 Halmæ.

[6] Vide Ptolemæi *Comp. math.* V, 11, et V, 19, t. I, p. 326-327, et p. 365 Halmæ.

[7] Vide textum, c. IV, fol. 4 *a*, et notam imæ paginæ adscriptam.

[8] *Adv. Astrol.* V, 82, p. 351 Fabricii.

[9] Apud Delambre, *Hist. de l'astr. anc.* t. II, p. 423-425.

[10] II, 6, p. 148-149 Bakii.

In hoc omni Theonis, vel potius Adrasti, *Astronomiæ* initio multa Posidonio debita videri jam diximus [1].

§ 5.

DE CŒLESTIS SPHÆRÆ CIRCULIS.

Cap. v-x. Tunc Adrastus agit de præcipuis in sphæra cœlesti circulis, unumquemque accurate definiens. Id autem est notandum, quod ipsi, ut ceteris antiquis astronomis [2], *arctious* et *antarcticus* dicuntur, quos *semper apparentem* et *semper occultum* circulos vocamus, et quod de ζωδιακοῦ bis loquens, eum prima vice [3] ita definit, ut is esse videatur vere circulus, qui, in uno tantum puncto singulos tropicos tangens, nobis quidem *eclipticus* vocatur, ac ipsi *per signa medius* [4]; sed altera vice [5] eum zonam esse, non circulum dicit, et in ejus latitudine signa contineri. Nec vero nunquam deinceps ζωδιακὸν pro *ecliptico* dicet, quanquam alterum ab altero sæpius optime discernit. Quæ verborum, non sententiarum, confusio, apud Eudoxum [6] etiam, Aratum [7] et alios [8] obvia, inde oritur, quod olim,

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 11.

[2] Vide Euclidis *Phænom.* p. 557 Gregoryi; Hipparchum, *in Aratum*, I, 26; Gemini *Elem. astron.* c. IV, et Cleomedem, I, 2.

[3] *Astron.* c. VI, fol. 4 *b*.

[4] C. X et passim.

[5] C. X.

[6] Letronnio teste, e papyro astronomica, ubi Eudoxi opiniones expositæ sunt. Vide diarium dictum *Journal des Savants*, anno 1839, octobri mense, p. 580-583.

[7] *Phænom.* v. 544.

[8] Vide auctorem *de Mundo*, c. IV, in Aristot. Op. ed. Berol., p. 392 *a*, l. 11, etc.

in rudi adhuc astronomia græca, circuli cœlestes omnes non vere circuli, sed zonæ fuerant[1]. Notandum etiam *coluri* nomine meridianum vocari : nec illud mirum; namque ad *horarios* omnes circulos nomen illud, Ptolemæo[2] teste, pertinebat.

Attendendum etiam lucidæ et utili geometricæ considerationi, qua Adrastus[3] *datos* circulos a *non datis* discernit, statuens datos esse magnitudine et positione æquinoctialem et tropicos, ita ut cognoscatur ipsorum ambituum et intervallorum mensura, si modo sphæræ ipsius radius cognosceretur; datum esse magnitudine, et erga cœlum, sed non erga nos, positione, zodiacum; datum esse magnitudine, sed non positione, horizonta et meridianum; nec magnitudine, neque positione datos esse arcticum et antarcticum.

§ 6.

DE ERRANTIUM QUINQUE STELLARUM NOMINIBUS.

Stellas erraticas, quæ cum Sole et Luna in zodiaco moventur, duobus quamque apud Græcos usitatis nominibus, altero adjectivo, proprio et a diis sumto altero, designat. Immo Veneri est adjectivum duplex, ἑωσφόρος et ἕσπερος; Marti autem et Saturno divinum duplex; nam Martis astrum dicitur etiam *Herculis*, et astrum Saturni dicitur etiam *Solis* : quod ultimum documentum in Sim- Cap. VI.

[1] Vide J. Stobæi *Ecl. phys.* I, 24, p. 502 Heerennii; pseudo-Plutarchum, *De plac. phil.* II, 12, et pseudo-Galenum, *Hist. philos.* c. XLIX, t. IV, p. 430 Galeni Op. ed. gr. Basil. Cf. Hipparchum, *in Aratum*, I, 21, p. 199 *Uranol.* 1630, in-fol.

[2] *Comp. math.* II, 6, t. I, p. 78 Halmæ.

[3] Theonis Sm. *Astron.* c. IX, fol. 5 *a-b*.

plicio[1] miratus, alibi nusquam inveniri Idelerus[2] credidit. Sed præter Simplicium et Theonem Smyrnæum, idem legitur etiam apud Diodorum Siculum[3] Hyginumque[4] et in papyro astronomica cujus notitia doctissimo viro Letronnio debetur[5], nec vero apud Chalcidium[6], qui, totum hoc Theonis *Astronomiæ* caput latine vertens, id omisit.

§ 7.

DE INERRANTIBUS STELLIS.

Cap. XI. In iis quæ ad stellas inerrantes spectant, Noster, philosophicis, ut videtur, opinionibus mancipatus, duas Hipparchi observationes tacite rejicit. Negat enim ullam in eis corporibus mutationem cerni, et ullum alium eis esse motum, præter eum quo circa Terram quotidie, utpote cœlo infixa, volvuntur. Nempe, primo quidem, de astrorum inerrantium perpetuitate et immutabilitate, Aristotelis[7] doctrinam sequi maluit, quam Hipparchi[8] observationi de stellæ unius nova generatione credere. In eadem

[1] *De cœlo*, II, p. 499 *b*, l. 21 Brandisii, in Aristot. Op. ed. Berol. t. IV. Hoc deest in Aldino textu, qui genuinus non est.

[2] *Ueber Eudoxus*, 2te Vorlesung, *in Comm. Berol. Scient. acad.* ad annum 1830, p. 87, in nota : *Diese Notiz steht ganz isolirt da.*

[3] II, 30.

[4] *Astron.*, II, 42. In loco enim valde corrupto, ubi *Phaëthon* et *Phænon* perperam confunduntur, leguntur sana tamen hæc verba : « Stella « dicitur Solis, quam alii Saturni dixerunt. » Vide etiam IV, 18 : « Solis « stella, nomine Phænon..... Hanc stellam nonnulli Saturni esse « dixerunt. » Cf. pseudo-Eratosthenis *Catasterismos*, c. XLII.

[5] *Journal des Savants*, l. c.

[6] *In Timæum*, fol. 24 *b* Ascensii (p. 148 Meursii).

[7] *De cœlo*, I, 3, p. 270 *b*, l. 13 et sqq. ed. Berol.

[8] Apud Plinium, *Hist. nat.* II, 24 (26).

opinione fuit Simplicius[1], qui, Chaldæorum Ægyptiorumque jactantia deceptus, eos per immensa sæcula simile aliquid, si revera exstitisset, nimirum visuros fuisse contendit. Secundo vero, punctorum æquinoctialium motum *ad antecedentia signa*, id est in zodiaco occidentem versus, quo motus sphæræ cœlestis quotidianus tendit, veterum græcarum observationum cum suis collatione perspexerat Hipparchus[2], sed recte æstimare non potuerat; et nihil in hac æstimatione profecit Ptolemæus, sed rem ipsam auctoritate sua confirmavit[3]; nec tamen Proclo fidem fecit, qui, barbaræ et ipse vaniloquentiæ cultor, Græcorum astronomorum observationes Chaldæorum Ægyptiorumque silentio satis refelli arbitratus est[4]. Major ea de re dubitatio ante Ptolemæum fuerat. Non ergo mirum de illo, sive stellarum inerrantium, sive punctorum æquinoctialium, motu, ut Geminum, sic etiam Adrastum et Theonem Smyrnæum siluisse; quos Chalcidius secutus est.

§ 8.

DE ERRANTIUM SEPTEM CORPORUM MOTIBUS.

Erraticis astris Solem et Lunam, Alexandrinorum more, annumerat Adrastus[5], et ab illorum tamen turba distinguit. Platonis autem et Aristotelis exemplo, statuit hæc Cap. XII.

[1] *De cœlo*, I, fol. 27 *a* Ald. Cf. p. 475 *b*, l. 18-20 Brandisii.

[2] Apud Ptolemæum, *Comp. math.* VII, 2 et 3.

[3] *Ibid.*

[4] *In Timæum*, p. 277 D-278 A ed. gr. Basil. (p. 671-672 Schneideri), et *Hypotyp. Astron. hypothes.* p. 150 Halmæ, ubi versionem gallicam nihil cures.

[5] Theonis *Astron.* c. XII et c. XXVI, fol. 6 *a* et fol. 11 *b*.

astra septem quotidiano totius sphæræ motu ad occidentem rapi, et simul in sphæra, proprio sibi motu, ad orientem ferri. Præter eum motum, qui fit in zodiaci longitudinem, et quo, propter zodiaci obliquitatem, ab æquinoctiali nunc ad aquilonem, nunc ad austrum discedunt et utrumque tropicum tangunt, omnia septem moveri dicit etiam in zodiaci latitudinem aliquam et sic a circulo per signa medio discedere, tertioque etiam moveri in altitudinem et profundum, ita ut a Terra modo propius, modo longius absint, et idcirco inæquabiliter ferri videantur. Huic ultimo motui, Chaldæis etiam cognito[1], nullum locum in sphærarum cœlestium constitutione dederant Eudoxus, Callippus et Aristoteles, quidquid etiam hac de re Adrastus temere conjecerit[2]; sed primus id inter Græcos Autolycus tentavit[3], etsi motum illum jam suspicati fuerant Polemarchus Cyzicenus et ipse Aristoteles[4].

Solis vero motum in latitudinem, quem primus Eudoxus[5], observationum erroribus deceptus, somniavit, tacite autem rejecit Ptolemæus[6], unius esse totius gradus,

[1] Vide Berosum, apud Cleomedem, II, 4. Cf. Bedæ *Elementa philosophiæ*, II, p. 215-216, Operum t. II. Coloniæ, 1612, in-fol.

[2] Theonis *Astron.* c. XXXI, fol. 19 *a*-20 *a*. Cf. *Diss.* part. II, c. III, § 6.

[3] Vide Simplicium, *De cælo*, II, fol. 122 *b* Ald. (p. 502 *b*, l. 11 et sqq. Brandisii).

[4] Vide Simplicium, fol. 123 *a* Ald. (p. 503 *a*, l. 1 et sqq. Brandisii).

[5] Vide Aristotelis *Metaph.* Λ, 8, p. 1073 *b* ed. Berol.; Simplicium, *De cælo*, II, fol. 120 *a-b* (p. 498 *b*-499 *a* Brandisii); et Hipparchum, *in Aratum*, I, 21.

[6] *Comp. math.* III.

id est gradus esse dimidii ab ecliptico in utramque partem, post Adrastum crediderunt Theon Smyrnæus[1], Chalcidius[2] et Martianus Capella[3]. Eumdem unius ferme gradus esse ab ecliptico in utramque partem credidisse videtur Plinius[4]. Nec omnino nullus existit Solis apparens in latitudinem motus, propter axis terrestris motum illum quem *nutationis* vocant; sed Soli cum astris omnibus communis ac ita minimus est, ut ab antiquorum nullo perspici potuerit. Maximas autem Solis in latitudinem digressiones semper in Libra fieri credit Martianus Capella; Adrastus et Theon, contra, solaris circuli et ecliptici per signa medii *nodos* per zodiaci longitudinem moveri, sed inter ambos circulos angulum semper eumdem esse, et idcirco maximas Solis in latitudinem digressiones in omni pariter signo fieri arbitrantur. Illum autem Solis nodorum circuitum, quem Chalcidius omisit, perfici credunt annis 2922, quemadmodum infra dicemus[5].

Lunæ motum, qui revera *geocentricus* est, Adrastus, priscos auctores secutus, ad quos provocant et ipse et ipsius verba latine vertens Chalcidius[6], credit intra duodecim gradus in zodiaci latitudine fieri, et sic angulum inter lunarem et eclipticum circulos esse graduum sex, et eumdem semper manere. Hic duodecim graduum nu-

[1] *Astron.* c. XII, XXVII et XXXVIII, fol. 6 *a-b*, fol. 18 *a* et fol. 24 *b*.

[2] *In Timæum*, fol. 125 *b* Ascensii (p. 152 Meursii).

[3] VIII, 867, p. 675 Koppii.

[4] II, 13 (16): « *Sol deinde medio fertur inter duas partes;.... Saturni* « [stella] *duas, ut Sol.* » Videndus etiam auctor *De mundi constitutione*, in Bedæ Operum t. I, p. 329 *a*, *De lineis zodiaci*. Coloniæ, 1612, in-fol.

[5] Vide hujus capitis § 14.

[6] *In Timæum*, fol. 25 *b* Ascensii (p. 152 Meursii).

merus etiam Plinio[1] et Martiano Capellæ[2] placuit, atque mathematicis plerisque, ut Adrastus[3] ait; nec vero Hipparcho, quanquam id affirmat Martianus. Hipparchus enim, Ptolemæo[4] ipsoque Adrasto[5] et post eum Chalcidio[6] testibus, ac Ptolemæus ipse[7], maxima Lunæ utrinque ab ecliptico spatia graduum decem fuisse statuerunt. Cleomedes[8], a Posidonio pleraque mutuatus, latius quam quinque gradus utrinque patere dicit Lunæ motum in latitudinem : quod quidem verum est. Nam angulus inter lunarem circulum et eclipticum non idem semper est, sed media ipsius magnitudo est fere 5° et 9′, quorum duplum est 10° et 18′.

Stellarum quinque errantium motus *verus* in latitudinem *heliocentricus* est, et multum diversus ab *apparenti geocentrico*, quem unum antiqui respexerunt. Hic autem posterior, si Adrasto, Theoni Smyrnæo et Chalcidio credas, ab ecliptico utrinque est Veneri graduum 6; Marti et Jovi 2 1/2; Saturno 1 1/2 : quos tamen numeros non ut accurate veros præbet Adrastus, nec accurate possunt assignari. Nam, quum harum stellarum a Terra distantiæ magnas experiantur mutationes, summopere etiam mutabiles illæ in latitudinem digressiones e Terra spectatæ

[1] II, 13 (16) : « *Luna quoque per totam latitudinem ejus* (zodiaci) *vagatur.* » Et mox : « *Duodenis partibus; tot enim sunt latitudinis.* »

[2] L. c.

[3] In Theonis Sm. *Astron.* c. XXXVIII, fol. 25 *a*.

[4] *Comp. math.* V, 7, t. I, p. 315 Halmæ.

[5] L. c.

[6] *In Timæum*, fol. 29 *b* Ascensii (p. 177-178 Meursii).

[7] L. c. et V, 12, t. I, p. 331-332 Halmæ.

[8] II, 7.

videntur : Martem videlicet ad gradus usque septem ab ecliptico distare videri[1], Jovem usque ad tres gradus, et Saturnum usque ad duo[2], dicit Ptolemæus. Venus vero usque ad gradus novem, Mercurius usque ad gradus prope septem, ab ecliptico distare aliquando cernuntur, testibus recentioribus astronomis. Digressionum autem illarum in latitudinem, quæ a Cleomede[3] aliter, a Plinio[4] aliter etiam æstimantur[5], medias fere, ut videtur, quantitates Adrastus dare voluit; nisi forte eas non semper easdem esse ignoravit. Credidit etiam erraticam unamquamque stellam semper in duobus iisdem signis maxime ab ecliptico in utramque partem discedere : earum ergo nodorum motus, qui tardissimus quidem est, ipsi incognitus fuit. De Lunæ nodorum motu, quem sane ignorare non potuit, semel tantum locutus est[6].

Motus erraticarum stellarum in zodiaci longitudinem *apparentes* et tanquam *geocentrici* a *veris* et *heliocentricis* plurimum discrepant, maxime quod ad stellas duas Soli Terra propiores spectat. E Terra apparentium illorum a signo zodiaci ad idem signum circuituum tempora, propter inæqualitatem stationesque et retrogressus, accurate definiri non possunt, nisi inter varia multorum uniuscujusque stellæ circuituum tempora medium computaveris. Illa vero tempora Adrastus, Platonis et antiquorum

[1] Vide Ptolemæum, *Comp. math.* XIII, 3, t. II, p. 379 Halmæ.
[2] Vide *ibidem*, p. 381.
[3] II, 7, p. 150 Bakii.
[4] II, 13 (16).
[5] Cf. Ptolemæum, *Comp. math.* XIII, 3.
[6] Vide hujus capitis § 16.

plerorumque[1] exemplo, plenis tantum annorum numeris definit. Et certe apparentis illius, a vero omnino diversi, circuitus temporum mutabilium media quantitas Mercurio et Veneri accurate est ea quam Adrastus ceterique omnes antiqui et ipse Ptolemæus[2] statuerunt, unius anni, id est dierum 365 1/4 *fere;* hanc enim anni mensuram non esse accuratissimam, post Hipparchum[3], Adrastus sciebat. Propterea, ut ait post Platonem[4] Adrastus, hæ duæ stellæ a Sole nunquam longe abscedunt, et ipso nunc citiores, nunc tardiores, eum cursu assequuntur, et ipse vicissim eas. Idem circuituum illorum tempora esse dicit Marti duorum fere annorum, Jovi prope duodecim, et Saturno paulo minus triginta. Saturno vero et Jovi, utpote a Terra multum distantibus, hæc tempora ab *heliocentrici* circuitus temporibus non magna sui parte differunt. Circuituum autem, quos *synodicos* vocant, id est inter duas cum Sole conjunctiones, tempora Adrastus non definit.

[1] Vide Platonis *Remp.* X, p. 617 A; *Timæum*, p. 36 D, 38 D et 39 C; *Epinomidem*, p. 986 E et 987 C; pseudo-Aristotelem stoïcum *De mundo*, c. VI, p. 399 *a*, l. 5-11 ed. Berol.; pseudo-Plutarchum, *De plac. philos.* II, 32; Ciceronem, *De nat. deor.* II, 19-21; Hygini *Astron.* IV, 13-19; Gemini *Elem. Astron.* I, 1, p. 3; Achillem Tatium, *in Phænom.* c. XVIII, p. 137, in Petavii *Uranol.* 1630, in-fol. etc. Ptolemæus (*Comp. math.* IX, 3, t. II, p. 122-123 Halmæ) dierum numeros assignare conatur.

[2] *Comp. math.* IX, 3, t. II, p. 123 Halmæ.

[3] Apud Ptolemæum, *Comp. math.* III, 2.

[4] In *Timæo*, p. 38 D, et in *Epinomide*, p. 986 E, p. 987 B et 990 B. Cf. Proclum, *in Timæum*, p. 259 B, C, ed. gr. Basil. (p. 627 Schneideri).

§ 9.

DE ORTIBUS ET OCCASIBUS.

Tum de Lunæ et quinque errantium stellarum ortibus et occasibus iis qui ad Solem referuntur, Adrastus breviter disserit. Luna, ab occidente ad orientem Sole citius iens, post conjunctionem vespere semper e Solis radiis emergit, et ante conjunctionem mane semper ultima vice cernitur, priusquam Solis obscuretur radiis. Saturnus, Jupiter et Mars, contra, Sole tardius ab occidente in orientem euntes, semper vespere ultima vice ante conjunctionem cernuntur et mane prima vice post conjunctionem apparent. Mercurius vero et Venus utroque modo; nam Sole nunc citiores, nunc tardiores videntur in illo e Terra spectato circuitu. Nec omni intervallo ad dimidium usque circulum, sicut aliæ errantes stellæ, sed nunquam multum a Sole discedunt, Mercurius scilicet plerumque viginti ad summum gradus, et Venus ad gradus usque quinquaginta [1], ut Adrastus autumat; ac numeri iidem, a vero multum aberrantes, in capite XXXIII iterum afferuntur [2]. Nunc vero de stellarum tam errantium quam inerrantium ortibus et occasibus loqui suscipit. Illi enim maximum semper locum in antiqua astronomia retinuerunt, quæ illorum consideratione quondam pæne tota constiterat. Cap. XII et XIII.

Secundum Adrastum et Theonem, astrorum omnium et ipsius Solis ἀνατολαὶ et δύσεις proprie dicuntur illorum per horizontem sursum et deorsum quotidianæ transitiones. Sed iisdem nominibus appellari dicunt astrorum, Cap. XIII et XIV.

[1] Vide Theonis *Astr.* c. XIII (fol. 7 *a*) textum et notam in ima pagina.

[2] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 19.

præter Solem, omnium ortus et occasus illos qui ad Solis locum referuntur, et qui Autolyco [1] dicuntur ἐπιτολαὶ καὶ δύσεις, Gemino [2] et Ptolemæo [3] ἐπιτολαὶ καὶ κρύψεις. Horum autem ortuum Autolycus et Geminus alios *veros* appellant, alios *apparentes*. *Verorum* ortuum *vespertinum* tantum Adrastus et Theon indicant, ἀκρόνυχον nomine, qui fit quum, Sole occidentalem horizontem pertranseunte, astrum in orientali horizonte est; et similiter *verorum* occasuum *matutinum* tantum indicant, ἀκρόνυχον etiam nomine, qui fit quum, Sole orientalem horizontem pertranseunte, astrum in occidentali horizonte est. Silent ergo de vero ortu matutino et de vero occasu vespertino, qui *cosmici* dicuntur. Eos autem ortus et occasus, quos *apparentes* nominant Autolycus, Geminus et Ptolemæus, et qui *heliaci* dici solent, proprie etiam dici ἀνατολὰς et δύσεις Theon et Adrastus aiunt. Sed volunt omnes ejus generis ortus esse primas astrorum e Solis radiis emergentium apparentias, sive in ortu, sive in occasu. Liquet ergo stellis inerrantibus et stellarum errantium iis quæ orientem versus Sole tardius eunt, non esse ejus generis ortum, nisi matutinum, qui Ptolemæo dicitur ἑῴα προανατολὴ φαινομένη, id est *matutinus ante ortum Solis ortus apparens*. Sed, Theoni et Adrasto neglectus, Autolyco *vespertinus apparens ortus* dicitur inerrantium ortus ille, qui, vero vespertino ortui paucis diebus anterior, ultima vice post Solis occasum cernitur, et qui Ptolemæo dicitur ἑσπερία ἐπανατολὴ φαινομένη, id est *vespertinus post Solis occasum ortus apparens*.

[1] Περὶ ἐπιτολῶν καὶ δύσεων, ed. Dasypodii, 1572, in-8°.

[2] *Elem. astron.* c. XI.

[3] *Comp. math.* VIII, 4-6.

Theon et Adrastus, contra, *vespertini ortus* nomine, intelligunt Lunæ post novilunium, vel Mercurii et Veneris post superiorem conjunctionem, Sole tunc celerius orientem versus euntium, primam post Solis occasum in occidentali horizonte apparentiam. Similiter volunt omnes ejus generis occasus esse primas astrorum in Solis radios incidentium obscurationes, sive in ortu, sive in occasu. Liquet ergo stellis inerrantibus, et stellarum errantium iis quæ Sole tardius eunt orientem versus, non esse ejus generis occasum, nisi *vespertinum*, et illum uno die posteriorem esse ultimo apparenti occasu, qui Autolyco dicitur *vespertinus apparens occasus*, et Ptolemæo ἑσπερία ἐπιτατάδυσις φαινομένη. Sed, Theoni et Adrasto neglectus, Autolyco *matutinus apparens occasus* dicitur inerrantium occasus ille, qui, vero matutino occasu paucis diebus superior, ultimus ante Solis ortum cernitur, et qui Ptolemæo dicitur ἑώα πρόδυσις φαινομένη. Theon et Adrastus, contra, *matutini occasus* nomine, intelligunt Lunæ ante novilunium, vel Mercurii et Veneris ante superiorem conjunctionem, Sole tunc citius orientem versus euntium, primam in orientali horizonte propter Solis radios obscurationem[1].

§ 10.

DE SPHÆRARUM CŒLESTIUM ORDINE, CONCENTU ET MOTIBUS.

Inter antiquos astronomos, qui Solis, Lunæ et errantium stellarum omnium circuitibus Terram immobilem coronari arbitrabantur, magna erat dubitatio de ordine

Cap. XV et XXXVII.

[1] Geminus cum Autolyco de ortibus et occasibus consentit, nisi quod uno in loco (p. 46 D *Uranol.* 1630, in-fol.), a se dictorum oblitus, de vespertino ortu apparenti cum Adrasto et Theone facit.

quo illa corpora a Terra distarent. Lunam ceteris omnibus, quæ occultat aliquando, inferiorem esse satis constabat. Sole Martem superiorem esse, Marte Jovem, Jove Saturnum, satis probabili conjectura credebant, quia maximos circulos maximis temporibus percurri verisimile videbatur[1]. De Sole, Venere et Mercurio, quorum circuitus in zodiaco e Terra spectati eodem tempore fiebant, integra quæstio manebat. Adrastus hoc quidem loco opiniones duas apud plerosque florentissimas, nec vero suam exponit, de qua dicet in capite XXXIII[2]. Harum autem prior est pythagoreorum quorumdam et Alexandri poetæ[3], qui supra Lunam primo loco Mercurium, altero Venerem, tertio Solem ponebant: hanc Pythagoræ ipsi tribuunt Plinius[4] et Censorinus[5], et eam antiquiorum mathematicorum fuisse dicit Ptolemæus[6]; eamdem etiam secuti sunt Geminus[7], Cleomedes[8], Cicero[9], Plinius[10], Ptolemæus ipse[11], et mathematici plerique, Proclo teste[12].

[1] Vide hujus capitis § 22.

[2] Vide hujus capitis § 19.

[3] Vide Theonis Smyrn. *Astron.* c. XV, fol. 7 *b*, et Chalcidium, *in Timæum*, fol. 25 *b*-26 *a* Ascensii (p. 155 Meursii).

[4] II, 20 (22).

[5] C. XIII. Cf. Hygini *Astron.* IV, 14.

[6] *Comp. math.* IX, 1.

[7] *Elem. astron.* c. 1, p. 4 *Uranol.* 1630, in-fol.

[8] I, 3, p. 22-23 Bakii.

[9] *De divin.* II, 43; *Rep. fragm.* VI, 16 et 17 (*Somn. Scip.* c. III et IV).

[10] II, 6 (8 et 9).

[11] *Comp. math.* IX, 1.

[12] *In Timæum*, p. 257 F et 258 C ed. gr. Basil. (p. 623 et 624 Schneideri).

Altera est Eratosthenis [1], qui supra Lunam ponebat primo loco Solem : hanc, Ptolemæo teste [2], secuti fuerant illis antiquioribus recentiores mathematici, et eam quidem Adrastus mathematicis etiam tribuit; addit autem eorum quosdam Venerem infra Mercurium, alios Mercurium infra Venerem posuisse, Sole infra utrumque posito. In priori numero fuerunt Anaxagoras [3], Plato [4], Eudoxus, Aristoteles [5], Stoïcus *De mundo* [6] et alii. In altero numero fuit Eratosthenes [7], et ante eum jam Pythagoras, si anonymo *Vitæ* [8] auctori credimus.

De sphærarum cœlestium concentu, quæ contra Alexandrum poetam disputat Adrastus, ea vera esse in Notis probabimus [9]. Ibidem de Platonis *Reipublicæ* loco ad errantium stellarum ordinem spectante ac de breviori Theonis et Adrasti ad hunc locum commentario tractabimus [10]. Cap. XV et XVI.

Tum auctor, ex Adrasto, accurate definit quo sensu Sol, Cap. XVII-XXI.

[1] Vide Theonis Sm. *Astron.* c. XV, fol. 8 *b*, et Chalcidium, fol. 26 *a* Ascensii (p. 156 Meursii).

[2] *Comp. math.* IX, 1.

[3] Vide Proclum, *in Tim.* p. 258 C ed. gr. Basil. (p. 624 Schneideri).

[4] In *Timæo*, p. 38 D, E; in *Republica*, X, p. 616-617; in *Epinomide*, p. 986-987.

[5] Vide Proclum, *in Timæum*, p. 257 F ed. gr. Basil. (p. 623 Schneideri), et Simplicium, *De cœlo*, II, fol. 115 Ald. (p. 497 *a* Brandisii).

[6] C. II, in Aristot. ed. Berol., p. 392 *a*. Cf. Balbum Stoïcum apud Ciceronem, *De divinatione*, II, 20.

[7] Vide Hygini *Poët. astron.* II, 42. Cf. pseudo-Eratosthenis *Catasterismorum* c. IV, et Manuelis Bryennii *Harmonicorum* sect. I, p. 362-364, in Wallisii Operum t. III.

[8] *De vita Pythagoræ*, apud Photium, cod. 249.

[9] Vide Notam Q.

[10] Vide Notam R.

Luna et quinque errantes stellæ inerrantibus ab oriente in occidentem quotidie euntibus *pone relinqui*, et quo sensu errantes quinque in proprio sibi ab occidente in orientem motu nonnunquam *stare*, atque etiam *ad antecedentia* (id est occidenti propiora) *signa* in zodiaco moveri et *retrogredi* dicantur ac videantur. Sed Adrasto censenti astra errantia vere non ire orientem versus, et reipsa ferri tantum occidentem versus, inerrantibus stellis paulo tardius, Theon cum Platone contradicit[1].

§ 11.

DE TOTIUS MUNDI ORDINE.

Cap. XXII. Deinceps, cum Platone[2], dicit Adrastus mundum ordinatum esse optimi causa, et cum Aristotele[3] asserit eum a *primo movente* in circulum volvi, in cœlestibusque sphæris ætheream esse naturam ad primum movens propius accedentem, ita tamen ut Solis, Lunæ et errantium stellarum varii motus majoris etiam infra Lunam aberrantis ab ordine varietatis causæ sint[4]; atque infra æthera[5] esse ignem, aerem, aquam, denique Terram, quæ necessario in medio stat, immobilis quidem ipsa tota, sed in cujus partibus singulis dominantur omnia motus mutationumque et malorum genera, quemadmodum etiam

[1] Vide *Diss.* part. II, c. III, § 5.

[2] In *Timæo*, p. 29 E, 41 B, 46 C, D, 48 A, etc.

[3] *Metaph.* Λ, 7 et 8, p. 1072-1073 ed. Berol. Cf. *Metaph.* A min. 2, p. 994 *a*, l. 18-19, et *b*, l. 19-20; Λ, 10, p. 1075 *b*, l. 22; *Phys.* VI, 10; VIII, 5-10; *De cælo*, II, 4, etc.

[4] Cf. Aristotelis *Meteorol.* I, 2.

[5] Cf. Aristotelem, *De cælo*, I, 3, p. 269 *b*-270 *a*; *Meteorol.* I, 3, p. 339 *b*-341 *a* ed. Berol.

Empedocles ait. Plato contra æthera, subtiliorem aeris partem [1], infra ignem, id est infra astra ignea, collocat [2], inter quæ tamen etiam eum expandi censet [3].

§ 12.

DE CIRCULARI ET ÆQUABILI MOTU, ET DE INÆQUABILI.

Adrastus ponit oportere cœlestia corpora per circulos æquabiliter et composite ferri: æquabiliter autem ferri dicit quæ æqua spatia æquis temporibus percurrunt, et composite ferri quæ semper eodem versus, eumdem in modum, nunquam stantia aut retrogredientia, feruntur; Solis autem, Lunæ et stellarum errantium motum nec inæquabilem, nec incompositum esse, sed ita videri tantum, quia non in zodiaco, sed in aliis sphæris et aliis moventur circulis, qui zodiaco concentrici non sunt. Illud est ergo astronomicum antiquis propositum problema, circulos aut sphæras invenire, in quibus sese æquabiliter et composite moventes Sol, Luna et stellæ errantes, sic in zodiaco moveri videantur, ut apparent. Eorum tamen corporum motum aliquem esse revera incompositum et inæquabilem Adrastus fatetur, sed consequentem ac e primariis illis compositis æquabilibusque astrorum motibus *per accidens* orientem, ut Aristoteles loquitur [4]: quod in Sole primum demonstrabit. Cap. XXIII-XXV.

[1] In *Phædone*, p. 109 B et 111 A, B, et in *Timæo*, p. 58 D.

[2] In *Phædone*, p. 109 B et 111 A, B, et in *Cratylo*, p. 410 B, C. Cf. in *Timæo*, p. 40 A, in *Rep.* X, p. 616, et Proclum, *in Timæum*, p. 259 D ed. gr. Basil. (p. 628 Schneideri).

[3] In *Phædone*, p. 109 B.

[4] Vide Notam X.

§ 13.

DE SOLARIS MOTUS INÆQUALITATE ET DE HYPOTHESIBUS AD EAM SPECTANTIBUS.

Cap. XXVI. Solaris ergo motus inæqualitatem describit, qualis etiam a Gemino[1] et Ptolemæo[2], Hipparcho duce, notata est, ita ut quatuor anni partium, inter solstitia et æquinoctia, pars verna *fere* sit dierum 94 1/2, æstiva 92 1/2, autumnalis 88 1/8, et hiberna 90 1/8, quarum summa est dierum 365 1/4; utque Sol feratur tardissime sub initium Geminorum, citissime sub initium Sagittarii, media celeritate sub initia Virginis et Piscium. Notandum est autem Geminos, Sagittarium, Virginem et Pisces non esse ita dicta sidera, sed ita dictas etiam duodecimas quatuor zodiaci partes[3], quarum initia in via Solis annua triginta gradibus ante solstitia et æquinoctia sita sunt. Notandum præterea Adrastum, horum quatuor *signorum* initia indicantem, mathematica diligentia uti noluisse. Hipparchum enim sequitur, cujus exemplo Ptolemæus maximas minimasque Solis a Terra distantias in horum quatuor signorum sexti gradus media parte posuerat[4]; et eas similiter omnino Adrastus ipse ponit in tota ea, quæ hoc capite continetur, demonstratione. Et sane Solis apogeum, quod, anno post Christum natum 1800, ab æstivo

[1] *Elem. astron.* c. 1, p. 3 *Uranol.* 1630, in-fol.

[2] *Comp. math.* III, 4.

[3] Cf. Geminum, c. 1, p. 1.

[4] Id inde elucet, quod Ptolemæus (*Comp. math.* III, 4, t. I, p. 187-188 Halmæ. Cf. III, 6, in fine) 24 gradibus et dimidio apogeum Hipparchi tempore distitisse et nunc etiam distare dicit ab æstivo solstitio occidentem versus.

solstitio distabat gradibus novem et paulo magis dimidio orientem versus, et quod eodem versus 12″ quotannis erga stellas inerrantes movetur, dum ab ipsis solstitia et æquinoctia 50″, 1 quotannis occidentem versus recedunt, anno ergo ante Christum natum 179, quo tempore jam vivebat Hipparchus, ab æstivo solstitio revera distare debuit 24 gradibus et dimidio occidentem versus et esse in Geminorum quinto et dimidio gradu; sed jam 19 tantum gradibus a solstitio distabat ætate Ptolemæi, qui ergo quinque gradibus et dimidio de solaris apogei præsenti positione erravit. Mirandum est doctissimis viris Bailly [1] et Delambre [2], variis de causis, perspectum non fuisse hunc

[1] *Histoire de l'Astronomie moderne*, VI, t. I, p. 229 : « Hipparque et « Ptolémée en avaient déterminé la position (des apogées du Soleil et « des cinq planètes) pour leur temps. Ptolémée leur attribue, comme « aux étoiles, un mouvement d'un degré en cent ans. » Hæc Bailly, quæ de quinque stellarum errantium tantum apogeis vera sunt; Solis enim apogeum ex Hipparchi tempore in eodem gradu permansisse et in eo semper mansurum Ptolemæus statuit. (Vide Ptolemæi *Comp. math.* III, 4 et 6, et ejusdem *Hypotheses errantium astrorum*, p. 44-45 Halmæ.) Ptolemæi ergo error non solum vero solaris apogei erga stellas inerrantes motui, sed motus illius et æquinoctiorum præcessionis summæ æquus esse debuit.

[2] *Histoire de l'Astronomie ancienne*, t. II, p. 119-120.: « Pour le lieu « de l'apogée (du Soleil), il (Ptolémée) a trouvé qu'il avait gardé la « même position par rapport aux équinoxes et aux solstices..... C'est « l'apogée (du Soleil d'après Ptolémée) qui était à peu près bon et qui « devait être à peu près 65° (à l'est de l'équinoxe de printemps). » Vide et ejusdem *Histoire de l'Astronomie du moyen âge*, p. 136 : « Il faut di- « minuer les 16° 40′ (différence entre la position de l'apogée trouvée « par Albategni et celle que Ptolémée avait admise après Hipparque) « de 1° 1′, que Ptolémée aurait dû ajouter à son apogée déduit des ob- « servations d'Hipparque. » Hæc omnia falsa sunt. Solis enim apogei

Ptolemæi non levem errorem. Quemadmodum enim ab inerrantibus stellis et a quinque erraticarum apogeis æquinoctia recedunt, sic etiam a Solis apogeo eadem recedere tacite forsan credidit Hipparchus; sed hoc Ptolemæus noluit. Quod autem Solis apogeum, non modo erga solstitiorum æquinoctiorumque puncta, verum etiam erga stellas inerrantes, orientem versus movetur, id nec Hipparchus animadvertit, neque astronomorum, quorum huc usque opera innotuerant, aliquis ante Albatenium [1]. Atque etiam Albatenius, e cujus notatione solaris apogei, cum solaris apogei situ secundum Hipparchum collata, hic motus inferri potest, non ipse tamen apogeum moveri erga stellas inerrantes affirmavit, sed erga æquinoctia tantum, et motum hunc æquinoctiorum præcessioni æquum fecit [2]; nec aliter sensit Ibn-Younis [3]. Quod vero nemo exspectavisset, apud Theonem Smyrnæum Solis apsidum motum, de quo in hoc capite siletur, in capite XXVII admitti videbimus [4], sed ita justo majorem fieri, ut Solis apogeum, siquidem Hipparchi tempore in Geminis fue-

positio in zodiaci longitudine, non tantum 1° 1′, propter ipsius apogei motum, sed præterea 4° fere, propter æquinoctiorum præcessionem, inter Hipparchi et Ptolemæi tempora mutari debuit. Solis apogeum ergo, quod Hipparchi tempore a verno æquinoctio distabat fere 65° 1/2, ab eodem æquinoctio non 65° fere, ut ait Delambre, sed 71°, Ptolemæi tempore distare debuit. Ceterum Delambre, erroris sui oblitus, sese alio in loco refellit. (*Histoire de l'Astronomie du moyen âge*, p. 98-99.)

[1] Vide Bailly, *Hist. de l'Astron. anc.* t. I, p. 228-230.

[2] Vide Delambre, *Histoire de l'Astronomie du moyen âge*, p. 35-36 et 44.

[3] Vide Delambre, *ibid.*, p. 98.

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 14.

rat, Adrasti tempore jam non in Geminis, sed in Cancro futurus fuisset. Capitis ergo XXVII pars ea quæ ad *annum anomalisticum* spectat, cum hac capitis XXVI parte, quæ ex Adrasto sumta est, consentire non videtur. Aut ergo secum pugnavit Adrastus, Solis apogeum suo tempore ibi fere esse statuens, ubi Hipparchi tempore fuerat; aut, quod magis credimus, non Adrasto debentur ea quæ de *anno anomalistico* in capite XXVII Theon Smyrnæus habet.

Id autem nunc Adrastus et Theon probare volunt, quum acceptum sit cœlestia corpora per circulos æquabiliter et composite ferri, duas, nec vero plures esse hypotheses, quæ motus solaris phænomenis satisfaciant, quarum una tamen in duas scindi potest. Dicit ergo Terram, quæ est in zodiaci centro, non esse in centro solaris circuli; nec vero esse posse in circuli hujus circuitu [1], sed aut intra circulum, aut extra, ita ut circulus ille aut *excentricus* sit, aut *epicyclus* in circuli alicujus concentrici circuitu delatus. Excentrici hypothesim prius exponit, ostenditque eam cum phænomenis consentire, quod ad Solis in solstitia et æquinoctia adventum, et fere quod ad minimas maximasque et medias celeritates, minimasque et maximas et medias disci solaris apparentes magnitudines spectat; ostenditque præterea apsidum lineæ et excentrici circuli centri positionem unius trianguli resolutione facile inveniri posse : hanc autem curam mathematicis relinquens, enuntiare satis habet centrum excentrici a centro zodiaci et Terræ distare vigesima quarta fere parte

[1] Hypothesim hanc, qua Solis centrum per centrum Terræ quotannis transiret, per sese evidentissime absurdam, auctor longe petitis infirmisque lacessit argumentis, quæ prætermittimus.

excentrici radii : quod ita esse oportere in illa hypothesi Ptolemæus [1] demonstrat.

Similiter hypothesim per epicyclum uno modo, non pluribus, statui posse ostendit Adrastus : et primo quidem epicyclum in quo Sol movetur non posse in uno loco stare ; moveri ergo in alicujus circuli circuitu æquabiliter et composite ; nec vero fieri posse ut ab oriente in occidentem, eadem celeritate qua circum Terram quotidie universum volvitur, aut majori, feratur ; sed aut tardius ab oriente in occidentem ferri Solis epicyclum, ita ut pone astra inerrantia uno circuitu toto intra anni spatium relinquatur, aut intra idem spatium circuitum unum ab occidente in orientem conficere et simul quotidie cum universo circumvolvi. Utrumvis posueris, idem effici auctor affirmat : et id quidem verum esset, si Sol quotidiano circum Terram apparenti motu æquinoctialem semper circulum, inerrantibus stellis paulo tardius, describeret. Sed longe aliter se res habet [2]. Si enim centro solaris epicycli, quem in ipsa concentrici circuli planitie esse vult auctor, idem quotidie semper circulus describeretur, idemque semper esset Solis *arcus diurnus*, eadem *ortiva amplitudo*, non existeret anni tempestatum varietas, quam non uno circulari motu, nec duobus parallelis, sed aut duobus invicem obliquis, quotidiano uno, annuo altero, aut uno in spiram motu effici necesse est : et hanc quidem fuisse Adrasti opinionem credimus [3]. Merito vero dicit auctor salva esse posse phæno-

[1] *Comp. math.* III, 4, t. I, p. 187 Halmæ. Vide Notam AA.

[2] Vide Geminum, *Elem. astron.* c. X, p. 44, in Petavii *Uranol.* 1630, in-fol.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 5, et c. IV, § 18.

mena, non quidem si Sol in epicyclo ab occidente in orientem, sed si ab oriente in occidentem moveatur eodem tempore quo epicycli centrum concentricum zodiaco circulum ab occidente in orientem percurrit; et facile definiri epicycli magnitudinem, cujus diametrum esse oportet vigesimam quartam fere partem concentrici radii. In hoc Hipparchum secutus, Adrastus cum Ptolemæo consentit.

Tum, Hipparcho suadente, Adrastus geometrice exponit, quomodo fiat ut, si Sol in epicyclo et epicyclus in concentrico ferri ponantur, eamdem omnino viam, non modo in solstitiis et æquinoctiis, sed in mediis etiam intervallis, Sol conficiat, ac si in excentrico ferri poneretur. Theon ipse inversæ propositionis demonstrationem addit. Utraque geometrica consideratio, non difficilis quidem, nec astronomiæ valde utilis, sed eleganter et lucide tractata, placet. Utramque ex Hilarione quodam Antiocheno descripsit Proclus [1], sed aliter et minus recte expositam, mancamque, nec errore vacuam, siquidem textui et geometricæ descriptioni, quales editor exhibuit, fides habenda est [2].

Et hæc quidem de motu Solis apparenti in zodiaci longitudine : in quibus Theon Smyrnæus apsidum lineæ motum illum, quem fecit justo majorem, et commenticium illum Solis motum in zodiaci latitudine neglexit.

[1] In *Hypotyposibus astronomicarum hypothesium*, p. 91-93 Halmæ.

[2] Videlicet Sol epicyclum percurreret ab occidente in orientem, et celerrime ergo orientem versus in apogeo moveretur. Halmæ versionem cave ne legas, si auctorem vis intelligere.

§ 14.

DE ANNO, ET DE SOLIS LONGITUDINIS, LATITUDINIS ET INÆQUALITATIS RESTITUTIONIBUS.

Cap. XXVII. Nunc vero, ut Lunæ et errantium stellarum, sic etiam Solis circulum cum circulo per signa medio aliquem angulum efficere, post Adrastum [1], Theon affirmat, et angulum hunc esse credit uterque unius gradus, nec Solem accurate annuo tempore, quod esse dicunt dierum fere 365 1/4, ad eamdem latitudinem reverti, sed diebus 365 1/8. Ecliptici ergo et solaris circuli *nodorum* circuitum in zodiaco ab oriente in occidentem annis fere 2922, secundum Adrastum et Theonem, fieri oportebat [2]. Atqui est revera, ut diximus, propter axis Terræ quam vocant *nutationem*, Solis aliquis apparens in latitudinem motus, sed is astris omnibus communis, nec ad gradus partem centesimam pertingens, et quo astra ad eamdem latitudinem restituuntur, non annis fere 2922, sed annis fere 19. Motus ergo Solis in latitudinem, de quo post Eudoxum [3] loquuntur Adrastus et Theon, nequaquam est verus ille, sed commenticius aliquis, quem ex inaccuratis observationibus inferre voluerant.

Recordemur Adrastum æquinoctiorum præcessionem non admisisse [4]. Annum ergo *tropicum* eumdem esse atque annum *sideralem* credidit, quos tamen jam Hipparchus

[1] Vide Theonis Sm. *Astron.* c. XII, fol. 6 *b*, et hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 8.

[2] Vide Notam cc.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 6.

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 7.

invicem distinxerat. Dicit autem Adrastus annum tropicum esse dierum 365 1/4 *fere*. Inde enim jam antea Hipparchus, sicut et postea Ptolemæus[1], eximendam censuerat diei tricentesimam partem. Annum dierum 365 1/4 sideralem fuisse, et propter æquinoctiorum præcessionis inventionem diei tricentesimam partem inde eximendam fuisse Georgius Pachymeres[2] falso autumat. Utrum enim arcus præcessionis annuæ sit 36″, ut vult Ptolemæus, an 54″ et 32‴, ut ex Albatenii observatione rectius æstimatum fuit, Pachymeres dubitat : immo vero præcessionem ab utroque justo celeriorem factam esse immerito suspicatur, quia tempus quo Sol arcum præcessionis annuæ tantum percurreret majus foret quam diei tricentesima pars. Verum annus dierum 365 1/4, quem Ægyptii pro *tropico* simul et *siderali* et *caniculari* habebant, et quem Pachymeres *sideralem* fuisse credidit, revera nec tropicus erat, nec sideralis, sed apud Ægyptios vere *canicularis*, id est justa mensura temporis inter duos Sirii in medio Ægypti parallelo circulo *heliacos* ortus[3].

In sequentibus quid Adrasto, quid ipsi Theoni debeatur, non liquere diximus.

Quod ad annum *anomalisticam* spectat, quo Sol ad perigeum vel ad apogeum redit, Theon affirmat hoc temporis spatium fuisse dierum fere 365 1/2. Quod si verum esset, Solis *apsidum linea* rapide satis in zodiaco orientem

[1] *Comp. math.*, III, 2, t. I, p. 150-165 Halmæ.

[2] In ipsius astronomici libri inediti fragmento II, quod in *Appendice priori* hujus voluminis invenies. Vide et præviæ *Dissertationis* de hoc fragmento locum.

[3] Hac de re tractabimus in *Historia astronomiæ antiquæ*.

versus moveretur, et *Solis perigeum*, vel, ut nos loquimur, *Terræ perihelium*, annis 1461 totum zodiaci circuitum percurreret: quem reipsa orientem versus percurrit, sed annis amplius quam 20984. E contrario, Ptolemæus [1] Solis apogeum et perigeum ne una quidem cum stellis inerrantibus erga solstitiorum æquinoctiorumque puncta moveri credit, sed in iisdem zodiaci gradibus semper manere, in quibus Hipparchi tempore fuerant [2]. Erga stellas inerrantes orientem versus moveri Solis apogeum et perigeum, in Græcorum Romanorumque astronomicis, quotquot habebamus, operibus nusquam legebatur, neque etiam apud Albatenium aut apud Ibn-Younis [3]. Ecce vero Theon Smyrnæus solaris apogei in zodiaco motum erga æquinoctia et erga stellas jam affirmaverat, et ita quidem justo citiorem fecerat, ut satius fuerit eum ignorare aut negare, quam talem credere [4]. Et tamen opinionem illam examini subjicere tentans aliquis verum tardioremque motum invenire poterat. Quem autem in his omnibus, ab Hipparcho et Ptolemæo alienis et a Chalcidio omissis, Theon auctorem secutus sit, nescimus: Posidonium esse equidem suspicatus fuerim, quem Noster in capitis XXX fine non

[1] *Comp. math.* III, 4 et 6; *Hypotheses errantium astrorum*, p. 44-45 Halmæ.

[2] Errantium quidem stellarum quinque apogea, nequaquam vero Solis apogeum, æquinoctiorum præcessione affici credidit Ptolemæus. Vide § 13.

[3] Vide § 13.

[4] Ne conjicias in codice græco esse aliquem numeri errorem, prohibet quod addit auctor, Solem ad idem altitudinis punctum, id est ad eamdem a Terra distantiam, eadem diei hora singulis *biennis* redire.

nominatum presse sequitur [1]. Adrasti non esse ostendimus ea quæ ad annum anomalisticum spectant [2].

§ 15.

DE LUNÆ ET ERRANTIUM STELLARUM MOTIBUS AC INÆQUALITATE MOTUS, ET DE HYPOTHESIBUS AD EA SPECTANTIBUS.

Cap. XXVIII et XXIX.

Theon autem censet Lunæ et erraticarum stellarum cuique, quot Soli esse credit, totidem etiam esse motus, id est in longitudinem, latitudinem et altitudinem singulos; sed tres illos motus, qui in Sole omnes eodem *fere* tempore conficiuntur, ceteris esse maxime diversos, et tamen duabus iisdem hypothesibus, sive per concentricum et epicyclum, sive per excentricum explicari posse, dummodo circulorum radios et revolutionum in unoquoque circulo tempora apte elegeris; Soli vero et Lunæ non esse stationes neque retrogressus, quia Sol eodem *fere* tempore epicyclum percurrit, quo epicycli centrum circuit concentricum, et quia Lunæ motus in epicyclo ipsius epicycli motu tardior est. Jam nunc vero evidens est, quidquid etiam hac de re Theon dicere potuerit, per excentricum tardioris quidem motus, sed non retrogressus rationem reddi posse, et idcirco stellis quinque necessario adhibendum esse epicyclum.

Theon ergo non intellexit explicandis Lunæ et quinque errantium stellarum motibus excentricum et epicyclum non separatim, sed simul fuisse adhibendos, ut fecit Ptolemæus [3]. Primus enim Ptolemæus secundam Lunæ motus

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 17. Cf. § 8, 14 et 19.

[2] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 13.

[3] In *Comp. math.* V, 2; XII, 2, et in *Hypothesibus errantium astrorum.*

inæqualitatem, quæ *evectio* dicitur, Hipparcho et Adrasto non perspectam, invenit. Quinque vero erraticis hypothesim alterutram non sufficere Hipparchi observationes jam probaverant [1]; sed ambas conjungere non susceperat ipse, primusque id, ut videtur, Ptolemæus tentavit. Intellexit præterea Ptolemæus Lunæ et errantium stellarum in latitudinem motus partem aliquam epicyclo tribui oportere, excentrico alteram : quod non perspicientes, Adrastus et Theon epicyclum et deferentem circulos in eadem planitie statuerunt [2]. Præterea magis faverunt opinioni, qua, quemadmodum Sol et Luna, sic etiam stellæ errantes quinque circum epicyclum ferrentur occidentem versus : de quibus contrarium Ptolemæus statuendum esse judicavit [3].

Cap. xxx. Deinde Theon ostendit, ei qui salva tantum esse vult phænomena, nec de causis inquirit, parum referre utrum astra erratica moveantur in excentricis, aut in epicyclis et epicyclorum centra in concentricis, an excentrici, aut epicycli astra infixa ferentes et concentrici ferentes centra epicyclorum, circum sua ipsorum centra volvantur, dummodo præterea concentrici et epicycli, aut excentrici, et astra ipsa circum Terræ et Zodiaci centrum omnia simul cum universo quotidie circumferantur : quod in Sole ita

[1] Vide Ptolemæi *Comp. math.* IX, 2, t. II, p. 118-120 Halmæ.

[2] Sola enim concentrici circuli sphæra ipsis dicitur ἡ τὸ πλάστος ἀφορίζουσα (*Astron.* c. XXXII, fol. 19 *b*), et solus concentricus ipse circulus, obliquus erga eclipticum, ipsis dicitur ὁ τὸ πλάστος ἀφορίζων κύκλος (ibidem). Immo vero stellarum errantium motus omnes excentrico etiam solo effici posse statuunt. (Cf. hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 20 et 21, et Notam II.) Vide tamen c. XXVIII et Notam EE.

[3] Vide in hoc ipso § mox dicenda de capite XXX, et Notam II.

fieri posse facile demonstrat, neglecta restitutionum in longitudinem, latitudinem et altitudinem parva, quam ille ponit, temporum differentia.

Id autem notatione dignum est, quod in capitis initio, cum Ptolemæo et mathematicis consentiens, eam opinionem probat, qua Solis et Lunæ tantum motus in epicyclo fit ab oriente in occidentem, quinque vero stellarum motus idem *ab occidente in orientem;* sed mox in capitis fine tanquam idem efficientem admittit quinque stellarum motum in excentrico circulo, quo tamen, absque epicyclo, retrogressuum ratio nequaquam reddi potest [1], et qui tardiori circum epicyclum motui *ab oriente in occidentem* æquiparandus est. Immo vero in capite XXXII astra septem errantia variis quidem celeritatibus, sed *omnia occidentem versus*, circum epicyclum moveri declarat. Nempe, mathematicos relinquens, quos antea secutus fuerat, philosophos eam hypothesim tanquam rerum naturæ magis consentaneam amplexos secutus est [2].

§ 16.

DE NODORUM ET APOGEORUM MOTIBUS.

Quod ad Lunam spectat, Ptolemæus [3] ostendit oportere ut obliquus erga eclipticum circulus, cujus ambitus centro epicycli ab occidente in orientem percurritur, volvatur ipse ab oriente in occidentem circum axem ecliptici, atque ita *nodorum*, quem vocant, *motum* fieri. Hunc motum, Hipparcho et multo prioribus mathematicis cogni-

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 20 et 21.

[2] Vide Notam II.

[3] *Comp. math.* V, 2, t. I, p. 288 et sqq. Halmæ.

tum [1], Adrastus et Theon ignorare non potuerunt. Mirum est ergo Theonem, et Adrastum in iis quæ ex illo Theon mutuatus est, hunc motum semel et obiter tantum memorare, quum præsertim de commenticio Solis motu in latitudinem et de ejusdem nodorum motu loquantur. Sed, ut Solis commenticium, sic Lunæ verum et maximi in astronomia momenti nodorum motum hypothesibus suis comprehendere neglexerunt : priorem, ut minus notum, affirmaverunt; posteriorem, omnibus notum, si non Adrastus, at certe Theon Smyrnæus indicare supersedit in hoc loco, in quo, simplicitatis causa, multa alia sibi cognita omisit. Sed de eo alibi [2] expresse locutus est. Errantium quinque stellarum nodorum motum eum revera ignoravisse diximus [3]. His monitis de iis quæ in hoc auctoris loco desiderantur, ad ea quæ ibidem leguntur festinemus.

Hic iterum Theon Smyrnæus, eorum quæ de anno anomalistico dixerat [4] tanquam oblitus, solaris apogei motum nullum esse ponit, vel potius simplicitatis causa negligi posse innuit. Quemadmodum vero Lunæ, sic etiam quinque errantium stellarum apogea celeriter moveri statuit, neque id, etsi falsum, in eo summopere mirandum est. Theon Smyrnæus enim et Adrastus, in explicandis horum quinque corporum motibus, aut epicyclo et concentrico, aut excentrico separatim, utendum esse censuerunt, quanquam id non sufficere jam Hipparchus intellexerat. Viderunt tamen has quinque stellas non eos tenere cur-

[1] Vide Ptolemæi *Comp. math.* IV, 2, t. I, p. 215-218 Halmæ.

[2] *Astron.* c. XXXVII, fol. 25 *a*.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 8.

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 14.

sus, quos simplex illa posceret motus inæqualitas. Id autem idcirco fieri crediderunt, quod maximæ et minimæ celeritatis puncta, id est perigea et apogea, non starent, sed zodiacum orientem versus celeriter percurrentia, *in omni pariter signo spectarentur,* ut loquitur auctor. Nec tamen illius apogeorum revolutionis tempora definire ausi sunt. Melius post eos Ptolemæus, duplicem esse animadvertens quinque stellarum motus inæqualitatem, epicyclo simul et excentrico usus est, duasque ita statuens distantiarum a Terra mutationes, quarum una, cum epicyclo mobilis, nullum affectaret in zodiaco locum, altera, excentrico effecta, æquinoctiorum præcessioni tantum obnoxia foret, stellarum quinque excentrici apogea non celeriter, sed uno cum stellis inerrantibus tenore ab æquinoctiis recedere credidit. Recentiorum demum temporum astronomi præterea illarum quinque stellarum apogea erga stellas inerrantes ipsas, sed tardissime, moveri invenerunt.

Rapidi ergo illius, quem esse credit, non modo Lunæ, sed et errantium quinque stellarum apogeorum motus rationem in excentrici etiam circuli hypothesi reddi posse Theon Smyrnæus ait, si modo intellexerit aliquis excentricum circulum concentrici alicujus circum mundi centrum revolutione ab occidente in orientem ferri intra aliquod tempus, quod Lunæ et omnibus quinque non idem sit, et simul excentricum ipsum intra aliud tempus circum suum ipsius centrum revolvi. Simili artificio Ptolemæus explicuit apogei motum, quem in stellis quinque errantibus multo quam in Luna tardiorem et æquinoctiorum præcessioni æquum fecit, in Sole vero nullum[1].

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 13 et 14.

Geometricarum ergo hypothesium, quas efficiendis Solis, Lunæ et erraticarum stellarum motibus, præeunte, quod ad Solem et Lunam spectat, Hipparcho[1], singulas Adrastus adhibuerat, copulationem phænomenis magis concordem invenit Ptolemæus, qui præterea, ad *ellipsim* propius accedens, duos fecit excentricos, alterum *deferentem*, e cujus centro æque semper abesset epicycli centrum, *æquantem* alterum, circa cujus centrum æquos angulos æquis temporibus centrum epicycli emetiretur. Denique motibus in zodiaci latitudinem efficiendis implicatiora machinamenta adhibere coactus est, quo pressius phænomena sequeretur. Adrastus et Theon Smyrnæus, simplicitati studentes, quæ philosophicis ingeniis magis placebat, a phænomenis multo magis recesserunt.

§ 17.

DE VARIIS ASTRONOMORUM ANTIQUORUM HYPOTHESIBUS.

Cap. XXX et XXXI. Auctori autem nostro, nec arithmeticæ Chaldæorum considerationes, in definiendis motuum cœlestium temporibus unice occupatorum, nec geometricæ Ægyptiorum Græcorumque mathematicorum hypotheses, conantium describere astrorum vias, satisfaciunt. Græcorum enim philosophorum exemplo, et præcipue Posidonii, qui omnino similia hac de re disseruerat[2], arithmeticæ et geometricæ illi astronomiæ addendam merito credidit *mechanicam*, vel, ut ipse loquitur, *physicam* astronomiam, quæ de veris motuum cœlestium legibus et causis inquirit.

[1] Vide Ptolemæi *Comp. math.* IX, 2, t. II, p. 118 Halmæ.

[2] Vide Gemini *Epitomes Posidonii Meteorologicorum* fragmentum, quod ex Alexandro sumsit Simplicius, *in Phys.* II, fol. 64 *b* Ald.

Ingeniosis quidem, sed vanis hypothesibus niti *cœlestem* illam Theonis, sive Adrasti, *mechanicam* videbimus.

Et primo quidem Theon, Adrasto, ut opinamur, duce, de Eudoxi, Callippi et Aristotelis hypothesibus judicium ferre instituit, quas, a genuina auctorum sententia per interpretationem deflexas, suæ ipsius sententiæ similiores facit. Statuit ergo cum Aristotele astra neque per sese ipsa in circulos aut spiras moveri, neque circulis infixos ferri, sed sphæris *quinti corporis*, id est ætheris, inesse, quarum motum participant[1]. Quartam autem stellarum errantium cujusque sphæram Eudoxo fuisse credit eam cujus maximus axi ad perpendiculum circulus sit epicyclus, quo in altitudinem stella moveatur, et idem visum fuisse Aristoteli, qui præterea sphæras ἀνελιττούσας, id est dentata tympana inter dentatas sphærarum superficies interposita, addiderit. Sed hæc a Nostro male intellecta esse, et longe aliter sensisse Eudoxum, Callippum et Aristotelem, jam diximus[2].

§ 18.

AUCTORIS HYPOTHESIS UNIVERSA.

Tum ipse Theon, vel Adrastus, sphærarum Aristotelicam compagem, qualem sibi finxit, Alexandrinorum astronomorum inventis accommodare conatur. Illius autem hypotheseos, quam, ut rerum naturæ consentaneam, prædicat, hæc summa est. Cap. XXXII.

Stellæ inerrantes, varie a Terra distantes, in cava sphæra dispersæ sunt inter duas ejus, internam exter-

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 11.

[2] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 6.

cuique sit cava sphæra, ita tamen ut æqua trium sit revolutionis celeritas, utque plenarum minorum sphærarum trium, hæc astra tria ferentium, centra semper in una sint recta linea, et minima sit plena sphæra Solis, major Mercurii, major etiam Veneris; sed fieri etiam posse ut cava sphæra una sit trium astrorum communis, utque minores sphæræ tres idem centrum habeant, ita ut earum minima, Solem ferens, sola vere plena sit, sphæraque Mercurium ferente contineatur, quæ et ipsa contineatur sphæra Venerem ferente, et sic eadem sit trium astrorum in longitudinem media celeritas propter communem tribus cavæ majoris sphæræ motum, sed propria cuique sit motus inæqualitas et propria cuique in latitudinem digressio, propter varias minorum sphærarum trium magnitudines, revolutionum celeritates et axium inclinationes.

En ergo astronomicæ historiæ scriptoribus incognitam hypotheseos illius celeberrimæ formam, in qua Sol, circum Terram annue currens, Mercurii et Veneris circuitibus coronatur, et cujus antiquam historiam, mancam usque nunc et erroribus multis scatentem, in opere alio[1] reficiemus. Jam nunc autem notandum venit, eamdem hanc hujus hypotheseos formam, si Chalcidio, Adrastum vel Theonem auctorem secuto, credimus, Heraclidæ Pontico jam inventam fuisse[2], qui et idem vir ingeniosus quotidiana Terræ, in mundi centro stantis, circum axem revolutione diei noctisque vices effici credebat[3]. Notandum

[1] In *Historia astronomiæ antiquæ.*

[2] Vide *Appendicem alteram* et Descr. XXI.

[3] Vide Proclum, *in Timæum*, p. 281 E ed. Basil. (p. 281 Schneideri); Simplicium, *De cælo*, II, fol. 109, 126, et 132 Ald., p. 495 *a*,

etiam Heraclidæ Adrastoque et Theoni Solem esse quidem intra Mercurii et Veneris circulos, quibus Terra non coronatur, sed non esse in eorum centro, ut Vitruvio[1] et Martiano Capellæ[2] placuit, ac ita fieri ut stella utraque non accurate eodem semper graduum numero a Sole ad orientem sive ad occidentem abscedat[3]. Mercurium autem 20 ad summum gradibus a Sole abscedere, Venerem gradibus ad summum 50, Adrastus[4] et Cleomedes[5] volunt, qui ambo Posidonium secuti videntur[6], et post eos Chalcidius[7]. Sed revera Mercurius usque ad 29 gradus a Sole aliquando abscedit; Venus non ultra 47 gradus : qui numeri, a recentioribus astronomis definiti, non multum differunt ab illis, quos, Posidonio, Adrasto, Theone et Cleomede diligentior, Ptolemæus[8] invenit. Paulo magis quam Ptolemæus, sed minus quam Noster, hæc de re erraverant Sosigenes astronomus et Timæus mathematicus[9].

506 *a* et 508 *a* Brandisii, et pseudo-Plutarchum, *De plac. philos.* III, 13.

[1] IX, 1 (4), t. I, p. 243 Schneideri.

[2] IX, 854 et 857, p. 667 et 668 Koppii.

[3] Vide in *Appendice altera* notam *f*.

[4] In Theonis Sm. *Astron.* c. XIII et XXXIII.

[5] II, 7, p. 150 Bakii. Immerito ergo quidquam in datis a Cleomede numeris mutandum censuerat Balforeus.

[6] Vide Cleomedem, II, 7, p. 150 Bakii.

[7] *In Tim.* Ascensii fol. 33 *b* (Meursii p. 200, 201 et 202). Vide *Appendicem alteram*.

[8] *Comp. math.* XII, 8, t. II, p. 366 Halmæ. Textum vide, non vero versionem, in qua, pro digressionibus a Sole *orientem aut occidentem versus*, invenias *digressions du matin, digressions du soir*.

[9] Vide Plinium, II, 6 (8). Cf. II, 14 (17). Hic Timæus mathematicus, non tantum ab historico Tauromenita, verum etiam a pytha-

Hypothesim hanc, qua Mercurius et Venus Solem circum Terram delatum circumeunt, priore potiorem Theon habet, eo ut Terra quidem sit mundi magnitudinis geometricum centrum, Sol autem sit mundi, quatenus animal est, centrum, non magnitudinis, sed vitæ, et tanquam cor esse videatur. Hæc Solis cum corde comparatio *physicis*, id est stoïcis[1], et præcipue Posidonio[2] placuit, qui tamen eamdem de Mercurio et Venere sententiam non amplexus fuerat, sed tantum, pythagoreorum, si Theoni credimus[3], nonnullorum exemplo, Solis circulum in medio locatum, id est quartum de septem, autumabat[4].

§ 20.

DE HYPOTHESIUM HISTORIA.

Cap. XXXIV. Tum epicyclos et concentricos circulos excentricis potiores visos fuisse Hipparcho[5] et esse revera Theon affirmat, utpote ad eam hypothesim propius accedentes, quam naturæ rerum consentaneam æstimat. Hypotheseos excentrico solo utentis leve hoc vituperium de Sole quidem, aut etiam de Luna, comperta nondum *evectione*, satis esse vi-

goreo Locro diversus est, et multo recentior. De Timæo mathematico vide Plinium, II, 6 (8); V, 10; XVI, 36 (22), et I, in indicibus librorum V et XVI. Locrum et mathematicum Timæos male confudit Suidas.

[1] Vide Macrobium, *In somn. Scip.* I, 20, p. 99. Leyde, 1670, in-8°, et Chalcidium, fol. 32 *a* Ascensii (p. 192 Meursii).

[2] Apud Simplicium, *In phys.* II, fol. 64 *b* Ald.

[3] *Astron.* c. XV, fol. 7 *b*. Cf. *Diss.* part. II, c. III, § 4.

[4] Vide Cleomedem, e Posidonio pluraque mutuatum, I, 3, p. 22-23, et II, 7, p. 150-151 Bakii.

[5] Contrarium conjecerat Bailly, *Hist. de l'Astr. mod.* t. I, p. 87.

deri poterat. Verum errantium stellarum motibus, stationibus et retrocessionibus excentricus sine epicyclo evidenter nequaquam satisfacere poterat, atque ergo multo graviori de causa, quam auctor non intellexit, hæc hypothesis erat non postponenda tantum, sed omnino rejicienda[1]. Eam autem, quam rerum naturæ consentaneam dicit, hypothesim declarat compertam non fuisse Hipparcho, qui geometrice tantum, nec vero physice, astronomiam tractans, erratici cujusque astri epicyclum in ambitu concentrici et astrum ipsum in ambitu epicycli moveri ponebat. Platonem etiam circulis, non sphæris, usum esse dicens, auctor eum tamen, communioribus vocabulis utentem, *orbes* pro *sphæris* dicere potuisse innuit. Epicyclorum autem hypothesim, quam Theon Smyrnæus Platoni tribuit, Iamblichus[2] a Platone omnino alienam merito dicit; nec hujusmodi quidquam in Platone veteres platonici viderant, testibus Porphyrio et Theodoro[3]; nec meliori jure Proclus[4] hanc hypothesim pythagoreorum fuisse asseverat.

§ 21.

DE STATIONIBUS, RETROCESSIBUS ET MEDIIS A TERRA DISTANTIIS.

Nunc vero stationum et retrocessuum interpretationi excentrici, sine epicyclo, hypothesim adhibere Theon Smyrnæus ne tentat quidem, et frustra tentavisset, quanquam, Cap. XXXV.

[1] Cf. hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 15 et 21, et Notam II.

[2] Apud Proclum, *in Timæum*, p. 258 E ed. gr. Basil. (p. 625 Schneideri).

[3] *Ibid.*

[4] *Hypotyp. astron. hypothes.* p. 70 Halmæ, ubi ridicula est versio.

sive per epicyclum et concentricum, sive per excentricum circulum, easdem effici apparentias affirmare non dubitavit[1]. Hic ergo, excentricis oportune relictis, per epicyclos quomodo stationes et retrocessus demonstrari queant, Theon indicat, sed obiter tantum, neque accurate satis. Non definit enim qualem errantium stellarum unicuique esse oporteat motus per epicyclum cum motu per concentricum proportionem[2], nec dicit de hac consideratione quidquam. Immo vero, quum in codice descriptio geometrica nulla sit, nonnisi lineæ θμεα nomine probatur auctorem voluisse in epicycli apogeo esse punctum ε[3] et fieri retrogressum, id est stellæ motum in antecedentia signa occidentem versus, stellamque occidentem versus in epicycli ambitu moveri; nec vero voluisse punctum ε et retrogressum esse in epicycli perigeo et stellam in epicycli ambitu moveri orientem versus. Huic alteri primum opinioni, quæ et Ptolemæi fuit, favisse Theonem, deinde vero priori illi adhæsisse diximus[4], quam philosophorum, a mathematicis dissentientium, fuisse Chalcidius enotavit.

Theon autem animadvertit, propter motum epicycli in concentrici ambitu, stationes et retrocessus non semper fieri in zodiaci signis iisdem. In excentrici etiam hypothesi jam quidem supra ostenderat[5] transferri posse peri-

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 15 et 20, et Notam II.

[2] Eadem de re errat Georgius Pachymeres (fragm. III, *in Appendice*), in definiendis stationibus et retrogressibus motum in epicyclo unice considerans.

[3] Vide geometricam descriptionem XI.

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 15, et Notam II.

[5] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 16.

georum et apogeorum puncta; sed nec in perigeis, nec in apogeis, nec in ullo loco, per excentricum solum, sine epicyclo, fieri possunt stationes et retrogressus.

Tum ostendit medias erraticorum astrorum a Terra distantias non in iisdem semper zodiaci locis, sed ibi semper fieri, ubi epicyclus, vel excentricus, concentricum secat, quocumque etiam epicyclus in concentrici ambitu, aut excentrici centrum circum centrum concentrici, delata sint, et in hoc hypotheses ambas esse concordes. Id sane de Sole verum est, et de Luna verum videri poterat, quibus præcipue attendit auctor. Sed quinque stellarum errantium stationibus et retrogressibus epicyclus necessario adhibendus est. Cap. xxxvi et xxxii.

Mediarum a Terra distantiarum puncta ab apogeo et perigeo accurate quarta circuli parte nobis e Terra spectantibus in zodiaco distare videri crediderunt Theon et Adrastus : quod geometrice tamen falsum est, accepta ea, quam ipsi statuunt, hypothesi[1].

§ 22.

DE OCCULTATIONIBUS.

Stellas quasque obvias, sive inerrantes, sive errantes, Luna occultari, antiquorum observationibus constabat[2]. Solis et quinque stellarum a Terra distantiarum ordinem ejusmodi etiam observationibus constitisse Theon innuit; id vero secus fuisse Ptolemæus[3] optime demonstrat, qui hunc ordinem conjecturis tantum inniti fatetur. Statue- Cap. xxxvii.

[1] Vide Notam LL.

[2] Vide Aristotelem, *De cœlo*, II, 12, p. 292 *a*, l. 4-9 ed. Berol.

[3] *Comp. math.* IX, 1, t. II, p. 114-115 Halmæ.

bant enim antiqui eas a Terra magis distare stellas, quæ zodiacum majori tempore percurrerent[1]. Restabat ergo de Solis, Mercurii et Veneris ordine dubitatio, quoniam hæc tria astra eadem media celeritate zodiacum percurrere videntur. Hanc dubitationem Theon Smyrnæus et pauci antiqui tollunt, Mercurium et Venerem circum Solem moveri conjicientes, ita ut Mercurius, minori angulo a Sole abscedens, Soli etiam Venere propior sit[2].

§ 23.

DE SOLIS ECLIPSIBUS.

Cap. XXXVIII. Quomodo, propter ipsius Solis eo, quem Theon opinatur[3], minimo, Lunæ autem majori et vero, motu in latitudinem, non omnium *synodicorum* mensium initio Luna Sol occultetur, sed tunc solum, quum in circuli utriusque secturis, quos vocant *nodos*, Luna in ipso novilunio est, lucide Theon demonstrat, nec vero in eas motuum accuratas descriptiones descendit, quibus Solis defectus prænuntiari queant. Id tamen accurate satis jam effecerat Hipparchus. *Evectio* enim, quam ignoraverat[4], et *variatio*, quam ipse Ptolemæus nescivit, nihil in *sizygiis* turbant, et Lunæ *geocentrica parallaxis* sine nimio errore jam ab Hipparcho definita fuerat[5], de qua Noster loqui supersedet.

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 10.
[2] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 19.
[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 8 et 14.
[4] Vide Ptolemæi *Comp. math.* V, 2-10.
[5] Vide Ptolemæi *Comp. math.* V, 19, t. I, p. 365 Halmæ.

§ 24.

DE LUNÆ ECLIPSIBUS, ET DE SOLIS ET LUNÆ MAGNITUDINIBUS.

Ut autem ostendat cur Luna mediis nonnullis, sed non omnibus, *synodicis* mensibus umbra Terræ obscuretur, ex Adrasto Theon geometrice probat umbram Terræ non in infinitum porrigi, sed in coni acumen desinere, quia, ut Hipparchus existimavit, Terra septies et vicies ferme continet Lunæ magnitudinem, et Sol Terræ magnitudinem ferme millies octingenties octogies[1]. Sol autem Luna multo excelsior est, et ideo Lunæ diametrum umbræ diametro semper est minor; sed plenilunii tempore tria corpora non sunt in una recta linea, quæ sit axis coni, nisi forte eo ipso tempore Luna sit in *nodis*. Non vero quomodo defectus Lunæ prænuntiari queant docere studet. In Solis mensura Hipparchum et cum Adrasto Theonem summopere, sed multo magis etiam post eos Ptolemæum[2], erravisse, non est cur iterum[3] ostendamus. Lunam bis fere tantam, quanta est, faciunt Hipparchus et Adrastus: Ptolemæus nonnihil minus erravit, eamdem atque Hipparchus rationem paulo accuratius secutus[4]. Cap. XXXIX.

§ 25.

DE ASTRONOMICIS INVENTIONIBUS ET HYPOTHESIBUS, E DERCYLLIDE.

Nunc vero Theon, Adrastum peripateticum dimittens, apud Dercyllidem platonicum nonnulla astronomicæ doc- Cap. XL et XLI.

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 11.
[2] *Comp. math.* V, 6, t. I, p. 347-348 Halmæ.
[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 11.
[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 11.

trinæ supplementa quærit. Primo quidem, quis quid in ea scientia invenerit, ex eo et ex Eudemo brevissime docet, nec verissime, ut jam diximus [1]. Deinde enuntiat quas ante omnia propositiones admittere debeant astronomi. Quarum *prima* est, mundum unum, finitum et sapientissime dispositum esse. *Secunda,* non quotidie astra mori et renasci; sed esse perpetua. *Tertia* est, nec plura, nec pauciora quam septem esse astra errantia : quam opinionem, longa, ut ait Dercyllides, observatione confirmatam, et antiquorum tamen nonnullis suspectam [2], diligentior, novisque instrumentis et nuperrime cœlestis mechanicæ vere divinis considerationibus adjuta, recentiorum observatio confutavit. *Quarta* est, Terram, *domus deorum focum,* ut Platoni placuit, quiescere et cetera circum eam moveri : qui secus censuerunt, eos *divinationis,* id est *apotelesmaticæ* astrologiæ, principia subvertentes, Dercyllides, sicut ante eum Cleanthes [3], exsecrabatur.

Præterea dicebat astra errantia in longitudinem, latitudinem et altitudinem, ordinatim, æquabiliter et per circulos ferri, nec esse unum cuique, occasum versus, obliquum tardioremque inerrante, motum, sed duos esse

[1] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 3.

[2] Philolaus pythagoreus et ejusdem doctrinæ sectatores errantibus astris *Antichthona,* aut plura etiam astra addebant. (Vide Aristotelem, *De cœlo,* II, 13.) Anaximenes, Diogenes Apolloniates et Anaxagoras de obscuris errantibus stellis cogitabant. (Vide Stobæi *Ecl. phys.* I, 25; pseudo-Plutarchum, II, 13; pseudo-Origenem, c. VII et VIII, et Theodoretum, *Therap.* serm. IV.)

[3] Vide Plutarchum, *De facie in orbe Lunæ,* c. VI. Cf. Archimedem, *Arenarii* initio; Plutarchum, *Quæst. platon.* VIII, 1; J. Stobæi *Ecl. phys.* I, 26, p. 534 Heerenii, etc.

cuique motus, alterum inerrantem, quo omnia pariter occasum versus rapiuntur, peculiarem alterum orientem versus, et sic fieri ut pone stellas inerrantes relinqui astra errantia videantur. Hic autem Dercyllides non nominatos Anaxagoram, Democritum, Cleanthem[1] et peripateticos nonnullos[2] priori opinioni faventes reprehendere volebat: et justas quidem hujus reprehensionis causas, cui non semper firme satis Theon Smyrnæus assensit, jam ostendimus[3]. Negabat ergo etiam Dercyllides motus erratici causas esse spiras aut sinuosas lineas, quas suo duplici motu *per accidens*[4] tantum astra errantia describunt : in qua re iterum non nominatum Cleanthem reprehendere voluisse videtur[5]. Negabat præterea excentricos circulos causam esse motus in altitudinem; sed motus cœlestes præcipuos omnes per paucos concentricos circulos æquabiliter fieri contendebat, advocatis tantum in auxilium epicyclis. Aristotelis Menæchmique et Callippi sphæras idcirco etiam vituperabat, quod justo plures et intricatiores forent, et quod astra ferrent tanquam coacta et inanimata, quæ ipse volebat in sphæris quidem, sed libere ferri. Gravior erat reprehensionis causa, quod illæ tam multæ sphæræ phænomenis non satisfacerent[6]. Ceterum Dercyllides, sicut Adrastus et Theon[7], sphæras minores

[1] Vide pseudo-Plutarchum, *De plac. philos.* II, 16.

[2] Vide Martianum Capellam, VIII, 853, p. 666 Koppii.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 5, et c. IV, § 13 et 18.

[4] Vide Notam X.

[5] Vide J. Stobæi *Ecl. phys.* I, 26, p. 534 Heerenii. Cf. Plutarchi *Phocionem*, c. II, etc.

[6] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 6.

[7] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 18.

plenasque, astra ferentes, inter utramque cavarum sphærarum superficiem videtur posuisse.

§ 26.

DE ZODIACI OBLIQUITATE ET SPHÆRÆ CIRCULORUM INTERVALLIS.

Cap. XLII. Quæ sequuntur, an Dercyllidis sint, dubium esse jam diximus.

Sphæræ circuli quot gradibus invicem distent, Theon Smyrnæus non accurate, sed plenis tantum graduum numeris definit. Zodiaci ergo obliquitatem graduum 24, vel inscripti in circulum 15 laterum polygoni lateris unius, esse statuit[1]: quod jam ante Eudemum Rhodium, Aristotelis auditorem[2], rudi observatione compertum fuerat. *Arcticum* autem, id est semper apparentem circulum[3], gradibus 36 a polo secundum Hipparchum distare dicit, et id quidem in Rhodi insulæ parallelo verum est[4], ubi cœlo Hipparchus studebat.

§ 27.

DE MOTIBUS IN SPIRAS.

Cap. XLIII. Pauca tandem Theon Smyrnæus addit de sinuosis duobus motibus, qui e primariis *per accidens* fiunt. Horum prior est spira, quam, copulatis inerranti et erratico motibus, circum Terram inter minores duos æquinoctiali parallelos circulos astrorum errantium quodque describere

[1] Vide Notam ss.

[2] Vide Theonis Sm. *Astron.* c. XL, fol. 26 *a*, et Anatolium, in Fabricii *Biblioth. gr.* t. II, p. 277 (278) vet. ed.

[3] Vide hujus *Diss.* part. II, c. IV, § 5.

[4] Vide Ptolemæi *Comp. math.* II, 6, t. I, p. 83 Halmæ.

videtur, et quæ meridianum, variis intervallis, toties fere secat, quot efflunt dies[1]. Hanc autem spiram Theon in convexa cylindri superficie ab una basi ad alteram descriptæ similem dicit. Sed potius in sphæræ superficie videtur descripta, ut Cleanthes dixerat[2], atque orbes augens aut minuens, sicut et mathematicorum spira, quæ eo præcipue ab illa differt, quod in planitia describitur[3]. Altera est spira in planitia descripta, non ea, orbes augens aut minuens, cui antiqui recentioresque mathematici multum studuerunt, sed qualis ἱππιπέδη antiquis dicebatur[4], inter duas parallelos lineas sinuosa, æquis intervallis utramque tangens. Si enim motui erratico soli attenderis, et mente conceperis parallelos circulos, inter quos fit is motus, in rectas parallelosque lineas indesinenter porrigi zonamque inter eas in planitiem extendi, multorum circuituum serie sinuosa fiet linea, toties parallelum utramque tangens, quot erunt circuitus.

Hactenus Theonis Smyrnæi *Astronomia*, quam sequi debebat ipsius de cœlesti musica liber. Epilogus.

§ 28.

DE SERENI FRAGMENTO.

Sereni fragmentum, quo solaris motus inæqualitatem excentrico circulo repræsentari posse demonstratur, a Theonis Smyrnæi opere alienam esse diximus.

[1] Cf. Martianum Capellam, VIII, 856, p. 667 Koppii.

[2] Vide J. Stobæi *Ecl. phys.* I, 26, p. 534 Heerenii.

[3] Hanc differentiam male neglexit Chalcidius, fol. 34 *b* Ascensii (p. 206-207 Meursii).

[4] Vide hujus *Diss.* part. II, c. III, § 6, et Notam QQ.

His summatim præmonitis, facilius utiliusque legendam Theonis Smyrnæi *Astronomiam* confidimus. Particulares nonnullæ, quæ supersunt, difficultates Notis, aut brevibus imæque paginæ adscriptis, aut longioribus et in voluminis fine relegatis, explanabuntur.

ΘΕΩΝΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΟΥ

ΠΛΑΤΩΝΙΚΟΥ

Τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν

ΤΑ ΠΕΡΙ ΑΣΤΡΟΛΟΓΙΑΣ.

THEONIS SMYRNÆI

PLATONICI

OPERIS DE IIS QUÆ IN MATHEMATICIS AD PLATONIS LECTIONEM UTILIA SUNT

LIBER DE ASTRONOMIA.

ΠΙΝΑΞ ΤΩΝ ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ[1].

Κεφ. α. [Ὅτι πᾶς ὁ κοσμὸς σφαιρικός.]

Κεφ. β. Ὅτι ἡ γῆ σφαιροειδής.

Κεφ. γ. Ὅτι ἡ θάλασσα σφαῖρα, καὶ ἡ γῆ ὁμοίως.

Κεφ. δ. Ὅτι μέση ἡ γῆ, καὶ σημείου λόγον ἐπέχει ὁ ἐστὶ σφαιρικὸν τῆς γῆς μέγεθος.

Κεφ. ε. Περὶ τῶν ἐν τῇ ἀπλανεῖ παραλλήλων κύκλων.

Κεφ. ς. Περὶ τοῦ ζωδιακοῦ καὶ τῶν πλανωμένων.

Κεφ. ζ. Περὶ τοῦ ὁρίζοντος.

Κεφ. η. Περὶ μεσημβρινοῦ.

[Κεφ. θ. Τίνες τῶν ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλων δεδομένοι ἢ μή.]

Κεφ. ι. Περὶ τοῦ ζωδιακοῦ.

Κεφ. ια. Περὶ τῶν ἀπλανῶν.

Κεφ. ιβ. Περὶ τῶν πλανήτων.

Κεφ. ιγ. Περὶ τῶν ἡλίῳ ἰσοδρόμων.

Κεφ. ιδ. Ὁποσαχῶς λέγεται ἀνατολή.

Κεφ. ιε. Περὶ θέσεως τῶν πλανωμένων.

Κεφ. ις. Τὰ ἐν τῇ Πολιτείᾳ περὶ τοῦ Παμφύλου μύθου.

Κεφ. ιζ. Τί ἐστιν ὑπόλειψις καὶ προήγησις, σληριγμὸς καὶ ἀναποδισμός.

Κεφ. ιη. Τί ἐστιν ὑπόλειψις.

Κεφ. ιθ. Τί ἐστι προήγησις.

Κεφ. κ. Τί ἐστι σληριγμός.

Κεφ. κα. Τί ἐστιν ἀναποδισμός.

Κεφ. κβ. Περὶ τῆς τῶν ὅλων διακοσμήσεως καὶ τῆς ὑπὸ σελήνην ἀταξίας.

Κεφ. κγ. Τίς ἡ θέσις τῶν σφαιρῶν ἢ κύκλων τῶν πλανωμένων.

Κεφ. κδ. Τί ἐστι τὸ ὁμαλῶς κινεῖσθαι.

Κεφ. κε. Τί ἐστι τὸ εὐτάκτως κινεῖσθαι.

[1] Hic capitum index in codice non est. Suis locis in codice inveniuntur tituli, sine capitum numeris, atque hos titulos auctoris non esse diximus (*Dis.* part. I, c. III, § 2). In illis ea uncis inclusimus, quæ, invito codice, addere utile visum

CAPITUM INDEX.

[Cap. I. Mundum totum sphæricum esse.]
Cap. II. Terram esse sphæricam.
Cap. III. Mare esse sphæram et Terram similiter.
Cap. IV. Mediam esse Terram, et puncti rationem habere Terræ sphæricam, qualis est, magnitudinem.
Cap. V. De parallelis in sphæra inerranti circulis.
Cap. VI. De ecliptico et astris erraticis.
Cap. VII. De horizonte.
Cap. VIII. De meridiano.
[Cap. IX. Quinam sphæræ circuli dati, et quinam secus.]
Cap. X. De zodiaco.
Cap. XI. De inerrantibus stellis.
Cap. XII. De erraticis astris.
Cap. XIII. De astris Solem cursu æquantibus.
Cap. XIV. Quot modis dicitur ortus.
Cap. XV. De erraticorum astrorum positione.
Cap. XVI. Quæ in *Republica* leguntur de Pamphyli fabula.
Cap. XVII. Quid sint pone relictio, ad antecedentia motus, statio et retrocessus.
Cap. XVIII. Quid sit pone relictio.
Cap. XIX. Quid sit ad antecedentia motus.
Cap. XX. Quid sit statio.
Cap. XXI. Quid sit retrocessus.
Cap. XXII. De universi ordinatione et de confusione infra Lunam.
Cap. XXIII. Quæ sit erraticis astris sphærarum positio aut circulorum.
Cap. XXIV. Quid sit æquabiliter ferri.
Cap. XXV. Quid sit composite ferri.

est. Minoribus litteris, sine capitum numeris, geminatisque uncis inclusos, eos edidimus titulos qui, quamvis in codice scripti, nobis supervacanei visi sunt.

Κεφ. κς. Τίς ἡ θέσις τῶν ζ κύκλων, [μάλιστα δὲ τοῦ ἡλιακοῦ].
Κεφ. κζ. Περὶ ἡλίου ἀποκαταστάσεως.
Κεφ. κη. Περὶ τῆς τῶν λοιπῶν πλανήτων ἀποκαταστάσεως.
Κεφ. κθ. Περὶ σληριγμῶν καὶ προηγήσεων καὶ ἀναποδισμῶν, [ὅτι ταῦτα οὐχ ὁμοίως ἐπὶ πάντων ἀπαντᾷ].
[Κεφ. λ. Πότερον οἱ πλανῆτες κατὰ τῶν κύκλων, ἢ οἱ κύκλοι φέροντες αὐτοὺς περὶ τὰ ἴδια κέντρα κινοῦνται.]
Κεφ. λα. Τὰ Ἀριστοτέλους [Εὐδόξου τε καὶ Καλλίππου].
[[Τὰ Εὐδόξου καὶ τὰ Ἀριστοτέλους.]]
[[Τὰ Καλλίππου καὶ τὰ Ἀριστοτέλους.]]
[Κεφ. λβ. Περὶ τῆς κατὰ φύσιν ὑποθέσεως.]
Κεφ. λγ. Περὶ ἡλίου, Ἑρμοῦ, Ἀφροδίτης.
Κεφ. λδ. Ὅτι ἐπικύκλοις χρησίμον μᾶλλον ἢ ἐκκέντροις, οὕτως δὲ καὶ Πλάτωνι ἀρέσκον.]
[[Τὰ Πλάτωνος.]]
[[Τὰ Ἀριστοτέλους.]]
Κεφ. λε. Περὶ [σληριγμῶν καὶ] προηγήσεων καὶ ἀναποδισμῶν.
[Κεφ. λς. Περὶ μέσων ἀποστάσεων.]
Κεφ. λζ. Περὶ συνόδων καὶ ἐπιπροσθήσεων καὶ φάσεων καὶ κρύψεων.
Κεφ. λη. Περὶ ἐκλείψεως ἡλίου [[καὶ σελήνης]].
Κεφ. λθ. Περὶ ἐκλείψεως σελήνης, [καὶ περὶ μεγέθους ἡλίου καὶ σελήνης].
[[Περὶ μεγέθους ἡλίου καὶ σελήνης, καὶ περὶ ἐκλείψεως σελήνης.]]
Κεφ. μ. Τίς τί εὗρεν ἐν μαθηματικῇ.
Κεφ. μα. Τίνες αἱ τῆς ἀστρονομίας ὑποθέσεις.
[Κεφ. μβ. Περὶ τοῦ εἰς πόσον λελόξωται ὁ ζωδιακός.]
Κεφ. μγ. Περὶ τῆς ἑλικοειδοῦς κινήσεως.
Ἐπίλογος.
Σερήνου τοῦ φιλοσόφου ἐκ τῶν Δημμάτων.

Cap. XXVI. Quæ sit positio septem circulorum [et præcipue solaris circuli].
Cap. XXVII. De Solis restitutione in idem punctum.
Cap. XXVIII. De ceterorum errantium astrorum restitutione in idem punctum.
Cap. XXIX. De stationibus, ad antecedentia motibus et retrocessibus, [quod ea non omnibus similiter obveniunt].
[Cap. XXX. Utrum astra errantia, an circuli astra ferentes, circum sua ipsorum centra moventur.]
Cap. XXXI. Aristotelis opinio [Eudoxique et Callippi].
[[Eudoxi opinio et Aristotelis.]]
[[Opinio Callippi et Aristotelis.]]
[Cap. XXXII. De hypothesi rerum naturæ consentanea.]
Cap. XXXIII. De Sole, Mercurio et Venere.
Cap. XXXIV. Epicyclis utendum esse potius quam excentricis, et sic voluisse etiam Platonem.]
[[Platonis opinio.]]
[[Aristotelis opinio.]]
Cap. XXXV. De [stationibus,] motibus ad antecedentia, et retrocessibus.
Cap. XXXVI. De mediis distantiis.
Cap. XXXVII. De coïtibus, occultationibus, apparentiis et obscurationibus.
Cap. XXXVIII. De defectu Solis [[et Lunæ]].
Cap. XXXIX. De Lunæ defectu [et de magnitudine Solis et Lunæ].
[[De magnitudine Solis et Lunæ et de Lunæ defectu.]]
Cap. XL. Quis quid invenerit in mathematica scientia.
Cap. XLI. Quæ sint astronomiæ hypotheses.
[Cap. XLII. De zodiaci obliquitatis amplitudine.]
Cap. XLIII. De motu in spiram.
[Epilogus.]

Sereni philosophi e *Sumtionibus*

ΘΕΩΝΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΟΥ

[ΠΛΑΤΩΝΙΚΟΥ]

Τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν[1] χρησίμων [εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν

ΤΑ ΠΕΡΙ ΑΣΤΡΟΛΟΓΙΑΣ][2].

[Ὅτι πᾶς ὁ κόσμος σφαιρικός[3].]

Cod. grec. Biblioth. reg. Paris. 1821. Fol. 1 a.

Ὅτι πᾶς ὁ κόσμος σφαιρικός, μέση δ' αὐτοῦ ἡ γῆ, σφαιροειδὴς οὖσα καὶ αὐτή, κέντρου μὲν κατὰ τὴν θέσιν, σημείου δὲ κατὰ τὸ μέγεθος λόγον ἔχουσα πρὸς τὸ πᾶν, ἀνάγκη προκατασκήσασθαι πρὸ τῶν ἄλλων. Ἡ μὲν γὰρ ἀκριβέστερα τούτων ἀφήγησις μακροτέρας σκέψεως δεῖται, ὡς λόγων πλειόνων· ἐξαρκέσει δέ, πρὸς τὴν τῶν μελλόντων παραδοθήσεσθαι σύνοψιν, μόνον μνημονεῦσαι τῶν ὑπὸ τοῦ Ἀδράστου κεφαλαιωδῶς παραδοθέντων. Ὅτι γὰρ σφαιρικὸς

[1] In codice legitur *εἰς τὸ μαθηματικόν*, quod mutavimus ex ampliori titulo, qualis exstat in omnibus Bibliothecæ regiæ Parisiensis codicibus, quicumque arithmeticum ejusdem operis librum continent (vide *Diss.* part. I, c. 1, § 3), quorum unus tantum, quem Bullialdus secutus est, habet *κατὰ μαθηματικήν*, ceteri omnes *κατὰ τὸ μαθηματικόν*.

[2] Uncis inclusa, utpote necessaria, addidimus, verba quidem *εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν* e titulo etiam arithmetici libri,

THEONIS SMYRNÆI

[PLATONICI]

OPERIS DE IIS QUÆ IN RE MATHEMATICA [AD PLATONIS LECTIONEM] UTILIA SUNT

[LIBER DE ASTRONOMIA].

[CAPUT I.]

[MUNDUM TOTUM SPHÆRICUM ESSE.]

Mundum totum sphæricum esse, et in illius medio sitam esse Terram sphæricam et ipsam, quæ ad rerum universam molem rationem centri secundum positionem, rationem autem puncti secundum magnitudinem obtineat, ante omnia statuatur necesse est. Cujus quidem doctrinæ accuratior expositio longiorem considerationem, sicut et majorem sermonum seriem exposceret; sed satis erit, ad eorum quæ tradentur conspectum, ea tantum referri quæ summatim ab Adrasto tradita sunt. Nam sphæricum esse mundum,

verba autem *περὶ ἀστρολογίας* ex ipso libri astronomici Epilogo. (Vide *Diss.* part. I, c. I, § 3, ubi etiam partem hanc operis totius quartum esse librum ostendimus.)

[3] Capitis titulum hunc, e codice absentem, e primis textus verbis et ex auctoris sententia a nobis refictum, uncis inclusimus. (Vide *Diss.* part. I, c. IV, § 2.)

ὁ κόσμος καὶ ἡ γῆ σφαιρική, κέντρου μὲν κατὰ τὴν θέσιν, σημείου δὲ κατὰ τὸ μέγεθος πρὸς τὸ πᾶν λόγον ἔχουσα, δῆλον ἐκ τοῦ πάσας τὰς τῶν οὐρανίων[1] ἀνατολάς, δύσεις, καὶ[2] περιπολήσεις, καὶ πάλιν ἀνατολάς, κατὰ τοὺς αὐτοὺς γίνεσθαι τόπους τοῖς ἐπὶ τῶν αὐτῶν οἰκήσεων. Δηλοῖ δὲ ταῦτα καὶ τὸ ἀπὸ παντὸς μέρους τῆς γῆς ἥμισυ μέν, ὡς πρὸς αἴσθησιν, τοῦ οὐρανοῦ μετέωρον[3] ὑπὲρ ἡμᾶς ὁρᾶσθαι, τὸ δὲ λοιπὸν ἀφανὲς ὑπὸ γῆν, ἐπιπροσθούσης ἡμῖν τῆς γῆς· καὶ τὸ ἀπάσης ὄψεως πάσας τὰς πρὸς τὸν ἔσχατον οὐρανὸν προσπιπλούσας εὐθείας ἴσας δοκεῖν, τῶν τε κατὰ διάμετρον ἄστρων ἐπὶ τῶν μεγίστων κύκλων κατὰ συζυγίας ἀεὶ θάτερον μὲν ἐπὶ ἀνατολῆς, θάτερον δὲ ἐπὶ δύσεως. Κωνικὸν γάρ, ἢ κυλινδρικόν, ἢ πυραμοειδές, ἤ τι ἕτερον στερεὸν σχῆμα, παρὰ τὸ σφαιρικόν, τοῦ παντὸς ἔχοντος, κατὰ τῆς γῆς οὐκ ἂν ταῦτα ἀπήντα· ἀλλ' ἄλλοτε μὲν πλεῖον, ἄλλοτε δὲ ἔλαττον τὸ ὑπέργειον εὑρίσκετο ἂν[4] τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τῶν πρὸς τοῦτον[5] ἀπὸ τῆς [γῆς][6] εὐθειῶν ἄνισον τὸ μέγεθος.

Ὅτι ἡ [γῆ][7] σφαιροειδής.

Τό τε τῆς γῆς σφαιροειδὲς ἐμφανίζουσιν ἀπὸ μὲν τῆς ἕω[8] ἐφ' ἑσπέραν αἱ τῶν ἄστρων ἐπιτολαὶ καὶ δύσεις θᾶττον

[1] De hujus vocis et similium scriptura in codice, vide Tabulam B, n° 17, et hujus Tabulæ interpretationem.

[2] Pro *καὶ*, in codicè legitur *κατά*.

[3] In codice *μετεώρου*.

[4] Pro *εὑρίσκετο ἄν*, in codice est *εὑρίσκεται* : quod ferri nequit.

[5] In codice *τούτων*.

[6] *Γῆς* in codice desideratur.

et Terram sphæricam rationem centri secundum positionem, rationem autem puncti secundum magnitudinem obtinere ex eo patet, quod omnes cœlestium corporum ortus, occasus, circuitus, et iterum ortus, iisdem semper locis fiant iis qui easdem habitant Terræ regiones. Illud eo etiam demonstratur, quod ex omni Terræ parte cœli pars dimidia, sensu quidem judice, supra nos elata conspiciatur, cetera autem pars sub Terra sit invisibilis, Terræ ipsius obstantia; et eo quod visus omnis rectæ lineæ omnes, extremum cœlum attingentes, æquæ inter se videantur, et astrorum in maximis circulis secundum diametron per paria oppositorum semper, uno oriente, alter occidit. Si enim cono, aut cylindro, aut pyramidi, aut solido alii, præter sphæram, similis esset rerum universitatis forma, in terris non hæc fierent; sed modo major, modo minor inveniretur cœli pars supra Terram, nec vero æqua rectarum omnium a Terra ad illud linearum magnitudo.

[CAPUT II.]

TERRAM ESSE SPHÆRICAM.

Sphæricam Terræ formam ab oriente ad occidentem ostendunt astrorum ortus et occasus citius orienta-

[7] Γῆ iterum deest. Titulus hic totus in codice non, ut ceteri, linea peculiari et rubro colore scriptus, sed, librarii errore, textui ipsi sine ullo discrimine insertus legitur.

[8] In codice ἕως.

μὲν τοῖς ἑῴοις κλίμασι[1], βράδιον δὲ τοῖς πρὸς ἑσπέραν
Fol. 1 b. γινόμε|ναι· καὶ ἡ αὐτὴ καὶ μία σελήνης ἔκλειψις, ὑφ' ἕνα βραχὺν καὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἐπιτελουμένη καὶ πᾶσιν οἷς δυνατὸν ὁμοῦ βλεπομένη, διαφορῶς κατὰ τὰς ὥρας καὶ ἀεὶ τοῖς ἀνατολικωτέροις ἐν παραυξήσει φαίνεται, διὰ τὴν περιφέρειαν τῆς γῆς μὴ πᾶσιν ὁμοῦ τοῖς κλίμασιν ἐπιλάμποντος ἡλίου καὶ κατὰ λόγον ἀντιπεριϊσλαμένης[2] τῆς ἀπὸ τῆς γῆς σκιᾶς, νυκτὸς τούτου συμβαίνοντος. Φαίνεται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἀρκτικῶν καὶ βορείων ἐπὶ τὰ νότια καὶ μεσημβρινὰ περιφερές· καὶ γὰρ τοῖς ταύτῃ προΐουσι πολλὰ μὲν τῶν ἀεὶ φανερῶν ἄστρων περὶ τὸν μετέωρον ἡμῖν πόλον, ἐν τῷ προελθεῖν ἐπὶ τὰ μεσημβρινά, ἀνατολὰς ὁρᾶται ποιούμενα καὶ δύσεις, τῶν δὲ ἀεὶ ἀφανῶν περὶ τὸν ἀποκεκρυμμένον ἡμῖν τόπον ὁμοίως ἀνατέλλοντά τινα καὶ δυόμενα φαίνεται· καθάπερ καὶ ὁ Κάνωβος λεγόμενος ἀστὴρ, τοῖς βορειοτέροις τῆς Κνίδου μέρεσιν ἀφανὴς ὤν, τοῖς νοτιωτέροις[3] ταύτης ἤδη φανερὸς γίνεται, καὶ ἐπιπλέον ἀεὶ τοῖς μᾶλλον[4]· ἀνάπαλιν δὲ τοῖς ἀπὸ τῶν νοτίων[5] ἐπὶ τὰ βόρεια παραγινομένοις πολλὰ μὲν τῶν ὄπισθεν, πρότερον[6] ἀνατολὰς καὶ δύσεις ποιούμενα, παντάπασιν ἀφανῆ[7] γίνεται, τινὰ δὲ τῶν περὶ τὰς ἄρκτους παραπλησίως[8], ἀνα-

[1] In codice κλήμασι.

[2] In codice legitur ἀντιπεριϊσλαμένου : quæ vox ad Solem quidem posset referri; sed vocum τῆς ἀπὸ τῆς γῆς σκιᾶς nulla superesset sana interpretatio. Chalcidius (fol. 23 *b*-24 *a* Ascensii, p. 140-141 Meursii) nostræ lectioni favet, quanquam locum non accurate vertit.

[3] In codice νοτειοτέροις.

[4] Vide Notam A.

libus plagis, tardius autem occidentalibus contingentes : tum etiam una atque eadem Lunæ defectio, in uno brevi atque eodem tempore ad finem perducta, et omnibus, quibus potest, conspecta simul, varie quod ad horas attinet et semper majorem partem magis orientem versus sitis apparet, quum, Sole propter convexitatem Terræ non omnibus simul regionibus lucem infundente et certa ratione locum mutante Terræ umbra, id noctu fiat. Evidens est etiam a septentrionalibus et aquiloniis ad australia et meridiana Terræ convexitas : etenim, iis qui illam regionem versus procedunt, multa semper conspicuorum nobis astrorum circa elatum polum, dum ii progrediuntur ad meridiem, ortus et occasus habentia cernuntur; et eorum quæ circa occultum nobis locum semper invisibilia sunt quædam similiter orientia et occidentia videntur : sicut et Canobus dicta stella, invisibilis Terræ partibus Cnido magis ad aquilonem sitis, jam videri potest partibus quæ illa insula magis ad meridiem sunt, et magis semper iis quæ magis. Et rursus iis qui ab australibus ad aquilonia progrediuntur, multa a tergo astra, quæ prius ortus et occasus faciebant, omnino invisibilia fiunt, et similiter multa eorum quæ circa Ursas sunt, orientia prius et occidentia, proce-

[5] In codice *νοτείων*.
[6] In codice *πρότερα*.
[7] In codice *παντάπασι ἀφανῆ*.
[8] In codice *παραπλησίων*.

τέλλοντα καὶ δύνοντα, προΐουσιν ἀεὶ φανερὰ καθίσταται, καὶ ἀεὶ πλέον[1] τοῖς πλέον προκόπτουσι. Πάντη δὴ περιφερὴς ὁρωμένη, καὶ ἡ γῆ σφαιρικὴ ἂν εἴη. Ἔτι τῶν βάρος ἐχόντων φύσει ἐπὶ τοῦ μέσου[2] τοῦ παντὸς φερομένων, εἰ νοήσαιμέν τινα διὰ μέγεθος μέρη γῆς πλέον ἀφεστάναι τοῦ μέσου, ὑπὸ τούτων ἀνάγκη τὰ ἐλάττονα περιεχόμενα θλίβεσθαι, καὶ βαρούμενα[3] κατισχύεσθαι, καὶ ἀπωθεῖσθαι τοῦ μέσου, μέχρις ἂν ἴσον ἀποσχόντα καὶ ἰσοκρατῆ[4] γενόμενα καὶ ἰσορροπήσαντα πάντα εἰς ἠρεμίαν[5] κατασταθῇ, καθάπερ οἵ τε ἀμείβοντες καὶ οἱ τῇ ἴσῃ δυνάμει τῶν ἀσκητῶν διυποβεβλημένοι[6]· ἀπανταχόθεν δὲ τῶν μερῶν | τῆς γῆς τοῦ μέσου ἴσον ἀπεχόντων, τὸ σχῆμα ἂν εἴη σφαιρικόν. Ἔτι τ' ἐπεὶ τῶν βαρῶν πανταχόθεν ἐπὶ τὸ μέσον ἐστὶν ἡ ῥοπή, πάντων ἐφ' ἓν σημεῖον συννευόντων, φέρεται δ' αὐτῶν ἕκαστον κατὰ κάθετον, τουτέστιν ἴσας ποιοῦν γωνίας[7] τὰς πρὸς τὴν τῆς γῆς ἐπιφάνειαν παρ' ἑκάτερα[8] ἧς φέρεται γραμμῆς, σφαιρικὴν καὶ τοῦτο μηνύει τὴν τῆς γῆς ἐπιφάνειαν.

Fol. 2 a.

Ὅτι ἡ Θάλασσα σφαῖρα, καὶ ἡ γῆ ὁμοίως.

Ἀλλὰ μὴν καὶ τῆς Θαλάσσης καὶ παντὸς ὕδατος ἐν γαληνῃ ὄντος σφαιρικὸν κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν γίνεται τὸ

[1] In codice πλεῖον.

[2] Sic in codice legitur pro ἐπὶ τὸ μέσον, et similiter infra, cap. III : ἐπὶ τοῦ μέσου κάθετον ἀγάγωμεν. Et id quidem ferri potest, quanquam sub capitis II finem legitur : ἐπὶ τὸ μέσον ἐστὶν ἡ ῥοπή.

[3] Vox ea apud ætatis optimæ scriptores non invenitur; sed apud Theonem servanda est.

dentibus fiunt semper conspicua, et magis semper magis progredientibus. Quum ergo ab omni parte convexa videatur Terra, sphærica etiam esse debet. Præterea, quum pondus habentia ad universitatis medium natura ferantur, si mente concipiamus quasdam Terræ partes propter magnitudinem magis a medio distare, necesse est illis cinctas minores partes comprimi, et onere vinci, et repelli a medio, donec, æquidistantia æquipollentiaque facta et æquiponderantia, omnia in quietem constituantur, sicut sese invicem sustinentes trabes, et athletarum ii qui paribus viribus alter ab altero prostrati tenentur: atqui, si undique Terræ partes a medio æqualiter distant, sphærica sit forma necesse est. Præterea etiam, quum ponderum ab omni parte ad medium motus fiat, omnibus in unum punctum convergentibus, eorum autem quodque ad perpendiculum feratur, scilicet æquos faciens angulos ad Terræ superficiem ex utraque parte lineæ secundum quam movetur, id quoque declarat sphæricam esse Terræ superficiem.

[CAPUT III.]

MARE ESSE SPHÆRAM ET TERRAM SIMILITER.

Verum etiam maris et omnis aquæ quiescentis sphæ-

[4] In codice *ἰσοκρατῆ*.

[5] In codice *ἠρεμίαν*.

[6] Vox ea lexicis addatur. In codice est *δι' ὑποβεβλημένοι*.

[7] In codice *γονίας*.

[8] In codice *ἑκατέρας*.

σχῆμα. Καὶ γὰρ τοῦτο τῇ μὲν αἰσθήσει δῆλον ἐντεῦθεν· ἐὰν γάρ, ἐσλὼς ἐπί τινος αἰγιαλοῦ, θεωρῇς [1] τι μετὰ τὴν θάλασσαν, οἷον ὄρος [2], ἢ δένδρον, ἢ πύργον, ἢ πλοῖον [3], ἢ αὐτὴν τὴν γῆν, κύψας καὶ πρὸς τὴν τῆς θαλάσσης ἐπιφάνειαν καταστήσας τὴν ὄψιν, ἢ οὐδὲν ὅλως ἔτι, ἢ ἔλαττον ὄψῃ [4] τὸ προτοῦ μεῖζον βλεπόμενον, τῆς κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς θαλάττης κυρτώσεως ἐπιπροσθούσης τὴν ὄψιν [5]. Κἂν τῷ [6] πλοΐζεσθαι δὲ πολλάκις, ἀπὸ τῆς νεὼς μήπω βλεπομένης γῆς ἢ πλοίου προϊέντος, τὸ αὐτὸ τοῦτο ἀναβάντες τινὲς ἐπὶ τὸν ἱστὸν εἶδον, ἐφ' ὑψήλου γενόμενοι, καὶ οἷον ὑπερκύψαντες τὴν ἐπιπροσθοῦσαν ταῖς ὄψεσι κυρτότητα τῆς θαλάττης. Καὶ φυσικῶς δὲ καὶ μαθηματικῶς ἡ παντὸς ὕδατος ἐπιφάνεια, ἠρεμοῦντος μέν, σφαιρικὴ δείκνυται οὕτω· πέφυκε γὰρ ἀπὸ τῶν ὑψηλοτέρων ἀεὶ εἰσρεῖν [7] τὸ ὕδωρ ἐπὶ τὰ κοιλότερα [8]· ἔστι δὲ ὑψηλότερα μὲν τὰ πλέον ἀπέχοντα τοῦ κέντρου τῆς γῆς, κοιλότερα δὲ τὰ ἔλαττον· ὥστε ἂν ὑποθώμεθα τὴν [9] τοῦ ὕδατος ἐπιφάνειαν [10] ὀρθὴν καὶ ἐπίπεδον, οἷον τὴν αβγ, ἔπειτα ἀπὸ τοῦ κέντρου τῆς γῆς, οἷον ἀπὸ τοῦ κ, ἐπὶ μὲν τοῦ μέσου καθετον ἀγάγωμεν [11] τὴν κβ, ἐπὶ δὲ τὰ ἄκρα τῆς ἐπιφανείας ἐπιζεύξωμεν [12] εὐθείας τὰς κα, κγ, δῆλον ὡς ἑκατέρα τῶν κα, κγ,

Vide descriptionem I.

[1] In codice θεωρῆς.

[2] In codice ὄρος.

[3] In codice πλεῖον. Chalcidius (fol. 24 *a* Ascensii, p. 143 Meursii) vertit *navem*.

[4] In codice legitur ὄψει, forma attica, quæ Theonis ætate in usu non erat.

[5] Nihil mutandum. Nam ἐπιπροσθεῖν aliquando, etsi rarius, cum accusativo invenitur.

rica fit superficiei figura. Quod quidem sensui perspicuum est hoc modo : si enim, stans in aliquo littore, aspicias trans mare aliquid, velut montem, aut arborem, aut turrem, aut navem, aut terram ipsam, postquam, inclinato corpore, ad ipsam maris superficiem visum admoveris, aut jam nihil, aut minus videbis quod majus antea videbatur, superficiei maris convexitate opponente se visui. Et in navigando sæpe, quum e navi nondum prospiceretur terra, aut accedens navigium, illud ipsum aliqui, malo ascenso, viderunt, in excelso stantes, et tanquam superata, quæ visui obstabat, convexitate maris. Sed et physice et mathematice aquæ omnis superficies, quiescentis quidem, sphærica sic demonstratur. Ea est aquæ natura, ut e superioribus semper ad inferiora influat : superiora autem sunt ea quæ magis distant a centro Terræ, et inferiora quæ minus. Si ergo posuerimus aquæ superficiem rectam esse et planam, ut est $\alpha\zeta\gamma$; deinde e Terræ centro, videlicet e puncto $\varkappa$, ad medium duxerimus ad perpendiculum lineam $\varkappa\zeta$, ad extrema vero superficiei junxerimus rectas $\varkappa\alpha$, $\varkappa\gamma$, evidens est linea-

Vide descriptionem I.

[6] In codice *κἂν τό*. Chalcidius (fol. 24 *a* Ascensii, p. 143 Meursii) : *atque etiam in navigando.*

[7] In codice *εἰσῤῥεῖν*.

[8] In codice *κυλότερα*.

[9] In codice *τῆς*.

[10] In codice *ἐπιφανείας*.

[11] In codice *ἀγάγομεν*.

[12] In codice *ἐπιζεύξομεν*.

μείζων ἐστὶ τῆς κϐ, καὶ ἑκάτερον τῶν α, γ[1], σημείων
Fol. 2 b. πλέον ἀπέχον τοῦ κ, ἥπερ τὸ ϐ, καὶ | ὑψηλότερον ἔσται τοῦ[2] ϐ. Συρρυήσεται τὸ ὕδωρ ἀπὸ τῶν α, γ, ὡς κοιλότερον τὸ ϐ, μέχρι τοσούτου ἕως ἂν καὶ τὸ ϐ ἀναπληρούμενον ἴσα ἀπόσχῃ[3] τοῦ κ, ὅσα[4] ἑκάτερον, τό τε α καὶ τὸ γ. Καὶ ὁμοίως πάντα τὰ ἐπὶ τῆς ἐπιφανείας τοῦ ὕδατος σημεῖα τοῦ κ ἴσον ἀπέχει. Δῆλον ὡς αὐτὴ γίνεται[5] σφαιρική[6]· ὥστε καὶ ὁ πᾶς ὄγκος ὁμοῦ γῆς καὶ θαλάττης ἐστὶ σφαιρικός. Οὐδὲ γὰρ τὴν τῶν ὀρῶν[7] ὑπεροχήν, ἢ τὴν τῶν πεδίων χθαμαλότητα[8], κατὰ λόγον τοῦ παντὸς μεγέθους, ὡς ἀνωμαλίας[9] αἰτίαν ἱκανὴν ἄν τις ἡγήσαιτο. Τὸ ὅλον γὰρ τῆς γῆς μέγεθος, κατὰ τὸν[10] μέγιστον αὐτῆς περιμετρούμενον κύκλον, μυριάδων μὲν[11] με καὶ ἔτι δισχιλίων σταδίων σύνεγγυς δείκνυσιν Ἐρατοσθένης· Ἀρχιμήδης[12] δὲ τοῦ κύκλου τὴν περιφέρειαν, εἰς εὐθεῖαν ἐκτεινομένην, τῆς διαμέτρου τριπλασίαν καὶ ἔτι τῷ ἑϐδόμῳ μέρει μαλιστα αὐτῆς τῆς διαμέτρου μείζονα· ὥστ' εἴη ἂν ἡ πᾶσα τῆς γῆς διάμετρος μυριάδων η καὶ ρπϐ σταδίων ἔγγιστα· ταύτης γὰρ τριπλασία καὶ τῷ ζ' μείζων ἡ[13] τῶν με μυριάδων καὶ τῶν δισχι-

[1] Hic et paulo infra, in codice legitur $\overline{\alpha\gamma}$, sicut scribi solent linearum nomina; sed puncta indicantur.

[2] Τό, quod in codice est, sententiæ aperte repugnat.

[3] In codice ἀπόσχῃ.

[4] In codice ὅσοι.

[5] Supra litteram *e* vocis γίνεται, puncta scripsit librarius, dubitationem indicantia. Vid. Tab. B, n° 37 *a*. Sed nihil mutandum.

[6] Cui frequentiora in hoc loco *asyndeta* displicuerint, particulas addat, videlicet οὖν post δῆλον. Nos vero noluimus; apud græcos enim mathematicos non rara sunt *asyndeta*.

rum $\varkappa\alpha$, $\varkappa\gamma$, unamquamque majorem esse linea $\varkappa\delta$, et unumquodque punctorum α, γ, longius distare quam β, et elatius futurum esse quam β. Confluet aqua ex α et γ ad inferius β, usque dum β repletum tantum a $\varkappa$ distet, quantum utrumque α et γ. Et similiter omnia in superficie aquæ puncta a $\varkappa$ æqualiter distant. Patet ergo ipsam fieri sphæricam. Omnis ergo etiam Terræ simul marisque moles sphærica est. Neque enim montium excelsitatem, aut camporum humilitatem, pro ratione totius molis, tanquam causam suffioientem aliquis habuerit, cur justa non sit sphæræ superficies. Totam enim Terræ magnitudinem, secundum maximum ipsius circulum circummensam, stadiorum fere 252000 esse ostendit Eratosthenes; Archimedes autem circuli ambitum, in rectam lineam extensum, ter æquum esse diametro et majorem etiam septima proxime ipsius diametri parte : ita ut sit tota Terræ diametros 80182 stadiorum proxime. Illi enim ter æquus et septimam partem major 252000 stadiorum

[7] In codice *ὁρων*.

[8] In codice *παιδίων χθαμαλώτητα*.

[9] In codice *ἀνομαλίας*.

[10] In codice *τό*.

[11] Pro *μέν*, in codice est ζ, qui numerus nihil ad rem, sed e compendiosa scriptura vocis *μὲν* facile ortus est.

[12] Vide Tabulam B, n° 23.

[13] Pro ζ' *μείζων ἡ*, in codice legitur $\bar{\zeta\mu}$ $\bar{\eta}$: quod ex sensu et supra dictis correximus. Vid. Tab. B, n° 33. In antiquiori codice vocem *μείζων* compendiose scriptam fuisse conjicere licet.

λίων[1] σταδίων περίμετρος ἦν. [Δέκα δὲ σταδίων ἐστὶν ἡ][2] τῶν ὑψηλοτάτων ὀρῶν[3] πρὸς τὰ χθαμαλώτατα τῆς γῆς ὑπεροχὴ κατὰ κάθετον, καθὰ Ἐρατοσθένης καὶ Δικαίαρχος εὑρηκέναι[4] φασί· καὶ ὀργανικῶς δὲ ταῖς τὰ ἐξ ἀποσημάτων[5] μεγέθη μετρούσαις διόπτραις τηλικαῦτα θεωρεῖται. Γίνεται οὖν ἡ τοῦ μεγίστου ὄρους[6] ὑπεροχὴ ὀκτακισχιλιοστὸν ἔγγιστα τῆς ὅλης διαμέτρου τῆς γῆς. Ἐὰν δὲ κατασκευάσωμεν ἐνταῦθά πού διαίαν τινὰ κατὰ διάμετρον σφαῖραν, ἐπεὶ τὸ δακτυλικὸν διάστημα συμπληροῦται ιϛ[7] κεγχριαίαις διαμέτροις τὸ μῆκος, ἔγγιστα δὲ κάτεισιν[8] ὑπὲρ μέτρον τούτων[9] καὶ ἡμίσεια, εἴη ἂν ἡ ποδιαία τῆς κατασκευασθείσης σφαίρας διάμετρος κεγχριαίοις[10] διαστήμασι τὸ μῆκος ἀναπληρουμένη διακοσίοις ἢ καὶ βραχὺ ἐλάττοσιν. Ὁ γὰρ πούς ἔχει δακτύλους ις· ὁ δὲ δάκτυλος ἀναπληροῦται κεγχριαίαις
Fol. 3 a. διαμέτροις ιϛ· τὰ δὲ ις δωδεκάκις, ρϛϚ. Τὸ τεσσα|ρακοσιοστὸν οὖν μέρος τῆς κεγχριαίας διαμέτρου [ὀκτακισχιλιοστόν ἐστι τῆς ποδιαίας διαμέτρου][11]· τεσσαρακοντάκις γὰρ διακόσια ὀκτακισχίλια. Τὸ δὲ ὑψηλότατον ὄρος[12] κατὰ τὴν

[1] In codice δυσχιλίων.

[2] Uncis inclusa in codice desunt; sed e sequentibus evidenter supplenda sunt. Vide Notam B.

[3] In codice ὀρῶν.

[4] In codice εὑρικέναι.

[5] Codex habet, una voce, ἐξαποσημάτων. In Theone Alexandrino (*in Ptol. Comp. math.* I, 3, t. I, p. 62-65 Halmæ, p. 23 ed. gr. Basil.), qui hunc locum pæne ad verbum inseruit (vide *Diss.* part. II, c. IV, § 3), et in Simplicio (*De cœlo*, II, fol. 136), recte legitur διὰ τῶν ἐξ ἀποσημάτων μετρουσῶν διοπτρῶν.

[6] In codice ὄρους.

ambitus est, ut diximus. [Atqui decem stadiorum est] maxime excelsorum montium supra humilissimas Terræ partes ad perpendiculum altitudo, ut Eratosthenes et Dicæarchus se invenisse dicunt; et instrumentorum quidem ope, per dioptras, quæ dimetiuntur ex intervallo magnitudines, tales illi spectantur. Est ergo maximi montis excessus una ferme pars totius Terræ diametri in octo millia divisæ. Hic vero si nos paraverimus sphæram, cujus longa sit unum pedem diametros, quandoquidem digiti intervallum compleri potest duodecim diametris milii grano longitudinem æquis, et fere excidit præter mensuram hanc talius grani diametri pars dimidia, paratæ sphæræ diametros unum pedem longa compleri videtur æquis milii grano intervallis 200 aut paulo minus. Pes enim habet digitos 16; digitus autem completur milii granorum diametris 12, et 16 duodecies sunt 192. Quadragesima ergo pars milii grani diametri [una est pars diametri unum pedem longæ in octo millia divisæ]. Nam ducenta quadragies sunt octo millia. Atqui montem ex-

[7] Pro ιϛ, in codice est καί. Sed numerus omitti non potuit, et mox eadem de re invenitur numerus ιϛ.

[8] In codice κάτισιν. Vide Notam c.

[9] In codice est vox non græca ὑπερμετρούντων.

[10] In codice κεγχριαίαις.

[11] Uncis inclusa desunt, a librario temere, propter ὁμαιοτέλευτον in voce διαμέτρου, omissa, sed ex sensu evidenter supplenda. Vide Notas c et d.

[12] In codice μέρος.

κάθετον ἐδείχθη τῆς διαμέτρου τῆς γῆς ὀκτακισχιλιοσλὸν ἔγγισλα μέρος· ὥσλε τὸ τεσσαρακοσλὸν μέρος τῆς κεγχριαίας διαμέτρου μείζονα λόγον ἔξει πρὸς τὴν πωδιαίαν τῆς σφαίρας διάμετρον. Καὶ τὸ συνισλάμενον ἄρα σλερεὸν ἀπὸ τοῦ τεσσαρακοσλοῦ μέρους τῆς κεγχριαίας διαμέτρου πρὸς τὸ ἀπὸ τῆς πωδιαίας ὅμοιον σλερεόν, ὡς[1] τὸ ἀπὸ τῆς δεκασλαδιαίας[2] καθέτου ὅμοιον σλερεὸν πρὸς τὸ ἀπὸ τῆς διαμέτρου τῆς γῆς ὅμοιον σλερεόν· τὸ δὲ συνισλάμενον σφαιρικὸν σλερεὸν ἀπὸ τοῦ τεσσαρακοσλοῦ μέρους τῆς κεγχριαίας διαμέτρου ἑξακισμυριοτετρακισχιλιοσλὸν[3] μέρος ἔσλαι τῆς ὅλης κέγχρου· τὸ δὲ ἀπὸ τῆς δεκασλαδιαίας[4] καθέτου σφαιρικὸν φκδ σλαδίων[5] ἐσλὶ σλερεῶν[6] ἔγγισλα· ἡ δὲ ὅλη γῆ, σφαιροειδὴς λογιζομένη, σλερεῶν σλαδίων ἔχει [τρίτων μὲν ἀριθμῶν μυριάδας σξθ, δευτέρων δὲ ,θυι, πρώτων δὲ μυριάδας ,δτλα, καὶ ἔτι σλαδία ,ζωκα καί τριτημόριον σλαδίου][7]. Πάλιν γὰρ ἀποδείκνυται[8] σχῆμα τὸ ὑπὸ τῆς διαμέτρου καὶ τῆς κύκλου περιφερείας εἰς εὐθεῖαν ἐξαπλουμένης περιεχόμενον ὀρθογώνιον τετραπλάσιον εἶναι τοῦ ἑμβαδοῦ τετάρτου μέρους τῆς σφαίρας[9], ἴσου[10] τῷ ἑμβαδῷ τοῦ κύκλου. Διόπερ εὑρίσκεται τὸ ἀπὸ τῆς διαμέτρου τετρά-

[1] Pro ὡς, in codice legitur πρός.

[2] In codice δεκαποδιαίας, sensu refragante. Vide Notam B.

[3] Lexicis addatur.

[4] In codice δεκαποδίου. Vide Notam B.

[5] Pro φκδ σλαδίων, in codice legitur ὀροσλαδίων. Vide Notam E.

[6] In codice στερεόν.

[7] Uncis inclusa, utpote mathematice necessaria, iis substituimus, quæ falsa et sensu carentia in codice leguntur, et quo-

celsissimum ad perpendiculum monstratum est esse diametri Terræ in octo millia divisæ unam fere partem. Ergo quadragesima pars milii grani diametri majorem habebit proportionem ad longam unum pedem sphæræ diametron. Constitutum ergo etiam solidum e quadragesima parte milii grani diametri eamdem habebit proportionem ad constitutum e diametro unum pedem longa simile solidum, quam habet simile solidum e decem stadiorum perpendiculari linea ad simile solidum e diametro Terræ. Constitutum autem sphæricum solidum e milii grani diametri quadragesima parte pars erit una totius grani in sexaginta quatuor millia divisi. Sed e decem stadiorum perpendiculari linea constitutum sphæricum corpus solidorum est stadiorum 524 proxime. Terra autem tota, ut sphærica computata, stadiorum solidorum est [269941043317821 et tertiæ stadii partis]. Rursus enim demonstratur figuram rectangulam diametro et circuli [maximi] ambitu in rectam lineam explicato comprehensam quater æquam esse quartæ parti superficiei sphæræ, quæ quidem quarta pars æqua est circuli superficiei. Itaque invenitur qua-

rum ecce apographon post voces *σίερεῶν σίαδίων ἔχει* incipiens : *μυριάδας τριτων μὲν ἀριθμῶν, μυριάδων μ̃. δευτέρων δὲ μῆ πρώτου δὲ μυρίων καὶ ἔτι σίαδίων. ζϛξς, τεσσαρακοσίόδιον.* Vide Notam F, et Tabulam A, n° 1.

[8] In codice *ἀποδεικνύς*.

[9] In codice *περιφερειας* : quod falsum. Vide Notam G.

[10] In codice *ἴσον*.

γωνον πρὸς τὸ ἑμβαδὸν τοῦ κύκλου λόγον ἔχον, ὃν ιδ πρὸς ια· ἐπεὶ γάρ ἐστιν ἡ περιφέρεια τῆς διαμέτρου τριπλασία καὶ ἔτι τῷ[1] ζ′ μείζων, οἷων[2] ἐστὶν ἡ διάμετρος ζ, τοιούτων[3] ἡ περιφέρεια γίνεται κβ, τὸ δὲ τέταρτον αὐτῆς ε ς′[4]· ὥστε καὶ οἷων τὸ τετράγωνον μθ[5] τοιούτων ὁ κύκλος λη ς′[6], καὶ διὰ τὸ ἐπιτρέχον ἥμισυ διπλασιασθέντων, οἷων τὸ τετράγωνον ξη, τοιούτων ὁ κύκλος οζ· τούτων δὲ ἐν ἐλαχίστοις καὶ πρώτοις ἀριθμοῖς λόγος, ὡς ιδ πρὸς ια· ἀμφοτέρων γὰρ αὐτῶν μέγιστον κοινὸν μέτρον ἐστὶν ὁ ζ ἀριθμός,
Fol. 3 b. ὅστις τὸν μὲν ξη μετρεῖ τεσσα|ρεσκαιδεκάκις, τὸν δὲ οζ ἑνδεκάκις· ὥστε τοῦ ἀπὸ τῆς διαμέτρου κύβου πρὸς τὸν ἐπὶ τοῦ κύκλου κύλινδρον, [ὃν][7] ἀποδείκνυσιν Ἀρχιμήδης ἡμιόλιον τῆς ἐν αὐτῷ σφαίρας [, λόγον εἶναι, ὡς ιδ πρὸς ια][8]. Γίνεται[9] ἄρα, οἷων ἀπὸ τῆς διαμέτρου τοῦ κύκλου κύβος ιδ, τοιούτων ὁ μὲν κύλινδρος ια, ἡ δὲ σφαῖρα ζ γ′[10]. Διὰ δὲ ταῦτα εὑρίσκεται τὰ σφαιρικὰ σλερεὰ τῆς τε γῆς καὶ τοῦ μεγίστου ὄρους[11] τῶν προειρημένων ἀριθμῶν. Τὸ

[1] In codice τό.

[2] In codice οἷον.

[3] In codice τοιοῦτον.

[4] In codice ε̄ξ̄. Legas oportet ε ς′ = 5 1/2. Vide Notam G.

[5] Pro voce τετράγωνον, in codice est quadrata figura et supra illam spiritus asper, tanquam quadratum illud esset pro ὁ. (Vide B. de Montfaucon, *Palæogr. gr.* p. 336.) Post μ autem, est littera, quam θ esse vix agnosceres, nisi sententia exposceret. Vide Notam G, et Tabulam B, n° 5.

[6] In codice legitur μη ς′′. Sed reponendum λη ς′, ut e sequentibus liquet. Vide Notam G.

[7] In codice non est ὃν, sed necessarium est.

dratum e diametro ad superficiem circuli eam habere proportionem, quam habent 14 ad 11 : quoniam enim ambitus circuli diametro ter æquus est et præterea septima parte major, quarum partium continet diametros 7, earum 22 continet ambitus circuli, cujus quarta pars est 5 1/2; et ideo, quarum partium quadratum habet 49, earum circulus habet 38 1/2; ac si, propter dimidiam, quæ superest, partem, duplicaveris numeros, quarum partium quadratum habet 98, earum circulus habet 77. Atqui horum numerorum proportio in minimis et primis numeris est ea quam habent 14 ad 11. Amborum enim maxima communis mensura est numerus 7, qui numero 98 quatuordecies, numero autem 77 undecies continetur; et ideo diametri cubus ad cylindrum e [maximo] circulo ortum, quem demonstrat Archimedes in eo contentæ sphæræ et dimidiæ insuper illius parti æquum esse [, eam habet proportionem, quam habent 14 ad 11]. Itaque quarum partium [maximi] circuli diametri cubus habet 14, earum cylindrus [circumscriptus] habet 11, sphæra autem 7 1/3. Propterea sphærica solida Terræ et maximi montis prædictorum numerorum esse inveniuntur.

[8] Uncis inclusa in codice non sunt; sed sunt inserenda, nisi forte ex antecedentibus subaudiri posse videantur. Vide Notam G.

[9] Pro γίνεται, in codice scriptum est compendiose Γ, superposita littera ι. Vide Tabulam A, n° 2, et Tabulam B, n° 22.

[10] In codice ζς. Sed vide Notam G.

[11] In codice ὄρους.

ἄρα δεκασλαδιαίαν[1] ἔχον τὴν κάθετον σφαιρικὸν ὄρος[2] πρὸς τὴν ὅλην γῆν πολλῷ ἐλάτλονα λόγον ἔχει, ἥπερ τὸ ἑξακισμυριοτετρακιχιλιοσλὸν μέρος τῆς κέγχρου πρὸς τὴν ἀπὸ τῆς διαμέτρου πσοδιαίας σφαῖραν· τὸ δὲ μὴ σφαιρικὸν ὄρος[3], ἀλλ' οἷον βλέπεται, πολὺ ἔτι ἐλάτλονα. Τὸ δὲ τοιοῦτον μέρος τῆς κέγχρου πσροσλιθέμενον ἔξωθεν τῇ πσοδιαίᾳ σφαίρᾳ, ἢ ἰδίᾳ[4] ἀφαιρούμενον αὐτῆς καὶ κοιλαινόμενον[5], οὐδ'[6] ἠντινοῦν πσοιήσει διαφοράν. Οὐδ' ἄρα τῶν ι σλαδίων[7] ἔχον τὴν κάθετον ὑψηλότατον ὄρος ἐσλὶ πρὸς λόγον τοῦ μὴ σφαιρικὴν εἶναι τὴν πᾶσαν τῆς γῆς καὶ θαλάττης ἐπιφάνειαν. Ἡ πσερίμετρος τῆς γῆς ἐσλὶ σλαδίων Μ ,β[8]. ἡ δὲ διάμετρος Μ ρπϐ· τὸ δ' ἀπὸ τῆς διαμέτρου τετράγωνον[9] ΜΜ Μ ,γρκδ[10]· ὁ δὲ κύϐος ΜΜΜ ΜΜ Μ ,ηφξη· τοῦ δὲ κύϐου τὸ τεσσαρεσκαιδέκατον ΜΜΜ ΜΜ Μ χιϐ· [οὗ τὸ ἑπλαπλάσιον καὶ τριτημόριον, ἴσον τῷ ὄγκῳ τῆς γῆς, σλερεῶν σλαδίων ἐσλὶ ΜΜΜ ΜΜ Μ ,ζωκα καὶ τριτημορίου][11] . . . . . .

. . . . . .

[1] In codice δισκαταδιαίαν. Vide Notam B.

[2] In codice ὄρος.

[3] In codice ὄρος, et item paulo infra.

[4] In codice ἰδία.

[5] In codice κυλαινόμενον.

[6] In codice οὐ δι'.

[7] Pro ι σλαδίων, in codice legitur ισλαδίων. Vide Notam B.

[8] In codice, Μ ita scriptum est, ut potius Μ legas, et pro ,β,

Sphæricus ergo mons decem stadiorum ad perpendiculum altitudinem habens ad totam Terræ molem multo minorem proportionem habet, quam pars una milii grani in sexaginta quatuor millia partium divisi ad sphæram cujus diametros unum pedem longa est; mons autem non sphæricus, sed qualis aspicitur, multo etiam minorem. Atqui talis pars milii grani, extrinsecus addita sphæræ unius pedis, aut ab illa seorsim ademta et excavata, nullam omnino faciet differentiam. Neque ergo decem stadiorum altitudinem habens ad perpendiculum mons excelsissimus ea est proportione, quin sphærica sit universa Terræ marisque superficies. Terræ ambitus stadiorum est 252000; diametros, 80182; quadratum e diametro, 6427153124; cubus, 515341991788568; cubi decima quarta pars, 368101422706 12 [, cujus partis septupli et tertiæ partis summa, æqua Terræ moli, solidorum stadiorum est 26994104331782 1 1/3].....

.....

quod oportet legi (vide quæ supra dixit auctor, et Notam H), sunt ς et quadrata figura, quæ nihil ad rem. Vide Tabulam A, n° 2.

[9] In codice τετράγωνα.

[10] Numerum hunc et sequentes omnes librarius mendose scripsit. Vide loci apographon in Tabula A, n° 2, et Notam H.

[11] Quæ uncis inclusimus, a nobis addita, mentem auctoris complent : pro quibus in codice est longioris lacunæ signum ; nam paginæ tertia fere pars alba relicta est : quod alibi nusquam in codice videas. Quæ præterea desunt, in Nota H supplentur.

Fol. 4 a. *Ὅτι μέση ἡ γῆ, καὶ σημείου λόγον ἐπέχει ὁ ἐστὶ σφαιρικὸν τῆς γῆς μέγεθος.*

Σφαιρικὴ δέ ἐστιν ἡ γῆ[1], καὶ μέση κεῖται τοῦ[2] κόσμου. Παρεκκλιθεῖσα[3] γὰρ κατὰ τὴν θέσιν, οὐκ ἀπὸ παντὸς μέρους αὐτῆς[4] τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ οὐρανοῦ ὑπεράνω[5], τὸ δὲ ἥμισυ ὑφ' αὐτὴν ἕξει, οὐδὲ τὰς ἀπὸ παντὸς σημείου πρὸς τὸν ἔσχατον οὐρανὸν ἠκούσας[6] αὐθείας ἴσας. Καὶ μὴν ὅτι τοῦ μεγέθους οὐδένα λόγον αἰσθητὸν ἔχει πρὸς τὸ πᾶν ἡ γῆ, σημείου δὲ τάξιν ἐπέχει, δηλοῖ καὶ τὰ τῶν [γνωμόνων ἄκρα ἐπὶ χωρῶν τε καὶ τόπων πάντων][7] τῆς οἰκουμένης ὡς κέντρα τῆς ἡλιακῆς ὑποτιθέμενα σφαίρας, καὶ μηδ' ἠντινοῦν αἰσθητὴν[8] διὰ τοῦτο ποιούμενα τὴν παραλλαγήν· εἰ γὰρ ἓν μέν ἐστι κέντρον ἀναγκαίως πρὸς τὰς ὅλας σφαίρας, πάντα δὲ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς σημεῖα ὡς τοῦτο[9] ὑπάρχοντα φαίνεται, δῆλον ὡς ἡ ὅλη γῆ [σημεῖόν ἐστι][10] πρὸς τὴν ὅλην τοῦ ἡλίου σφαῖραν, καὶ πολλῷ τινι μᾶλλον πρὸς τὴν τῶν ἀπλανῶν[11]· ὥστε καὶ διὰ τοῦτο ἀεὶ τὸ ἥμισυ τοῦ κόσμου θεωρεῖσθαι ὑπὲρ αὐτὴν, [ἢ] βραχεῖ τινι μεῖον[12].

[1] In codice γῇ.

[2] In codice τῆς.

[3] In codice, παρεγκλισθεῖσα, duplici mendo.

[4] In codice αὐτῆς.

[5] In codice ὑπεράνῳ.

[6] In codice ἠκούσας.

[7] Quæ uncis inclusimus, in codice desunt, manca aperte sententia; sed ea, propter ὁμοιοτέλευτον in vocibus τῶν et πάντων, ab imprudenti librario prætermissa, expressimus e plena et paulo prolixiori, ut esse solet, Chalcidii versione (fol. 24. *b*

[CAPUT IV.]

MEDIAM ESSE TERRAM, ET PUNCTI RATIONEM HABERE TERRÆ SPHÆRICAM, QUALIS EST, MAGNITUDINEM.

Sphærica est Terra, et in medio mundi est. Si enim inde dimota fuerit secundum positionem, jam non ab omni ipsius parte dimidiam cœli partem supra se et dimidiam infra habebit, nec vero ab omni puncto ad extrema cœli pertingentes rectas lineas inter se æquales. Magnitudinis vero proportionem nullam, quæ percipi possit, esse Terræ ad rerum universitatem, puncti vero locum eam obtinere, demonstrant etiam [gnomonum acumina in omnibus] terrarum, ubicumque habitatur, [regionibus et locis] pro centris habita sphæræ in qua Sol movetur, et ne minimam quidem propterea, quæ percipi possit, præbentia differentiam: si enim necessario unum est centrum totius sphæræ cujusque, et omnia in Terræ superficie puncta tanquam illud ipsum esse videntur, clarum est Terram totam [punctum esse] præ tota Solis sphæra, et multo magis præ inerrantium sphæra stellarum, et ideo

Ascensii, p. 145-146 Meursii). Confer Cleomedem, I, 11, p. 74-75 Bakii. Vide Notam 1.

[8] In codice *αἰσθητόν*.

[9] In codice *τούτων*.

[10] Uncis inclusa in codice desunt; sed latine versa sunt a Chalcidio (fol. 24 *b* Ascensii, p. 146 Meursii).

[11] In codice *ἁπλανῶν*.

[12] In codice deest *ἤ*, et legitur *βραχεῖ τινι μοίρας*. In anti-

Καὶ περὶ μὲν σχήματος τοῦ τε παντὸς καὶ τῆς γῆς, ἔτι δὲ τῆς ταύτης μέσης θέσεως καὶ τοῦ πρὸς τὸ πᾶν αὐτῆς ἀδήλου μεγέθους, εἰ καὶ πολλὰ ἔτι οἷόν τε λέγειν, ἐξαρκέσει πρὸς τὴν τοῦ ἐφεξῆς παράδοσιν τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀδράστου τὸν εἰρημένον ὑποδεδειγμένα τρόπον. Ἐν δὲ τοῖς ἐφεξῆς φησι·

Περὶ τῶν ἐν τῇ ἀπλανεῖ[2] παραλλήλων κύκλων.

Φερομένης δὲ τῆς οὐρανίας σφαίρας περὶ μένοντας τοὺς ἑαυτῆς πόλους καὶ τὸν ἐπιζευγνύντα τούτους ἄξονα, περὶ ὃν μέσον ἐρήρεισται μέση ἡ γῆ, τὰ δὲ ἄστρα πάντα συμφερόμενα ταύτῃ καὶ ἁπλῶς τὰ κατὰ τὸν οὐρανὸν πάντα σημεῖα γράφει κύκλους παραλλήλους, τουτέστιν ἴσον μὲν ἀπέχοντας ἀλλήλων, πρὸς ὀρθὰς δὲ γινομένους τῷ ἄξονι, ἅτε τοῖς τοῦ παντὸς πόλοις γραφομένους. Ὄντων δὲ τῶν μὲν τοῖς ἄστροις ἀριθμητῶν, τῶν δὲ τοῖς ἄλλοις σημείοις
Fol. 4 b. σχέδον ἀπείρων, ὀλίγοι | τινὲς τετυχήκασι διασήμου[3] προσηγορίας, οὓς χρήσιμον εἰδέναι πρὸς τὴν τῶν κατὰ τὸν οὐρανὸν ἐπιτελουμένων θεωρίαν. Εἷς[4] μὲν ὁ περὶ τὸν ἡμῖν μετέωρον καὶ ἀεὶ φαινόμενον πόλον, καὶ αὐτὸς ἀεὶ

quiori codice compendiose scriptum fuisse suspicor μ et dextrorsum paulo superius ει, quod est μεῖον; librarium autem pro ει male legisse οι et descripsisse μοίρας, quod sic quidem compendiose scribitur. Nec tamen omnino negare ausim fieri etiam potuisse ut vocem μεῖζον in antiquiori aliquo codice exstantem librarius aliquis mutaverit in μοίρας. Malo ergo μεῖον, nec tamen rejicio μεῖζον: vox utraque explicari potest. Vide *Diss.* part. II, c. IV, § 4.

etiam semper dimidiam mundi partem supra ipsam spectari, aut paulo minus. Et de forma quidem universi et Terræ, præterea de hujus positione in medio, et de insensili præ universo ipsius magnitudine, quanquam multa etiam dici possunt, ad ea tamen, quæ sequuntur, tradenda, sufficient quæ ab Adrasto prædictum in modum monstrata sunt. In sequentibus autem dicit:

[CAPUT V.]

DE PARALLELIS IN SPHÆRA INERRANTI CIRCULIS.

Quum feratur sphæra cœlestis circum immotos ipsius polos et circum axem qui illos jungit, cujus in medio media fixa est Terra, astra omnia, cum sphæra simul circumlata, et universe puncta in cœlo omnia circulos describunt parallelos, id est [ex omni parte] æqualiter invicem distantes, et axi ad perpendiculum sitos, utpote polis iisdem, qui sunt et universitatis, descriptos. Quum autem sint alii quidem astris numerabiles, alii autem ceteris punctis prope innumeri, pauci quidam nomen, quo discernerentur, obtinuerunt, quos nosse utile est ad contemplationem eorum quæ in cœlo perficiuntur. Unus quidem est circa elatum nobis semperque conspicuum polum, semper et ipse conspicuus, qui arcticus dicitur propter Ursas in eo sidera factas. Alius autem

[2] In codice ἀπλανῆ.

[3] In codice διὰ σημείου.

[4] In codice ἧς.

φανερός[1], καλούμενος ἀρκτικὸς ἀπὸ τῶν ἐν αὐτῷ κατησ/ερισμένων[2] ἄρκτων. Ἕτερος δὲ ἐξ ἐναντίας, ἴσος τούτῳ[3], περὶ τὸν ἀποκεκρυμμένον πόλον καὶ αὐτὸς ἡμῖν ἀεὶ ἀφανής, καλούμενος ἀνταρκτικός. Μέσος δέ, πάντων μέγισ/ος, καὶ δίχα διελὼν τὴν ὅλην σφαῖραν, καλούμενος ἰσημερινός, ἐπειδὴ τῷ μὲν ὑπ' αὐτὸν κλίματι τῆς γῆς πᾶσαι νύκτες καὶ[4] πᾶσαι ἡμέραι ἴσαι, καὶ τῶν ἄλλων δὲ ἐν ὅσοις κατὰ πᾶσαν ἑκάσ/ην τροπὴν τοῦ παντὸς ἀνατέλλων τε καὶ δύνων φαίνεται ὁ ἥλιος, ἐπειδὰν κατὰ τοῦτον γένηται κύκλον, ἴσην ἡμέραν διαιρεῖ νυκτί. Μεταξὺ δὲ τοῦ τε ἰσημερινοῦ καὶ τῶν ἀρκτικῶν, καθ' ἕτερον[5] τροπικὸς θερινὸς μὲν ὡς πρὸς ἡμᾶς ἐπὶ τὰ ἐνθάδε τοῦ ἰσημερινοῦ τατ/όμενος, χειμερινὸς δὲ ἐπὶ θάτερα, τὴν ἐπὶ τὰ νότια τε καὶ βόρεια πρόοδον τοῦ ἡλίου τρέποντος· λόξος γὰρ τούτοις ἔγκειται ὁ [ζωδιακός][6].

Περὶ τοῦ ζωδιακοῦ καὶ τῶν πλανωμένων[7].

Μέγισ/ος δὲ καὶ αὐτὸς κύκλος, τῶν μὲν τροπικῶν ἐφαπ/όμενος καθ' ἓν ἑκατέρου σημεῖον, τοῦ μὲν θερινοῦ κατὰ Καρκίνον, θατέρου δὲ κατ' Αἰγοκέρων, δίχα δὲ τέμνων τὸν

[1] In codice φαρενῶς.

[2] In codice κατησ/ερησμένων.

[3] In codice τοῦτο.

[4] Pro νύκτες καί, in codice legitur νύκται.

[5] In codice καθέτερον.

[6] Articulus ὁ est in fine lineæ, quam capitis titulus sequitur: ζωδιακὸς in codice deest, sed latine vertitur a Chalcidio (fol. 24 *b* Ascensii, p. 147 Meursii) *signifer*. Vide sequentem notulam.

[7] Codex addit ζωδιακῶν, quod sensu caret, quum præsertim

ex opposita parte, illi æqualis, circa occultum nobis polum, semper et ipse occultus, dictus antarcticus. Medius vero est, omnium maximus, et totam sphæram bipartiens, æquidianus appellatus, quia regionibus Terræ sub ipso sitis noctes omnes omnesque dies æquæ inter se, et quia ceterarum regionum illis quidem omnibus, quibus secundum unamquamque mundi conversionem oriens et occidens Sol conspicitur, quum ad illum circulum devenerit, æquam nocti dividit diem. Sed inter æquinoctialem hunc et arcticos, ab una parte tropicus æstivus est, nobis quidem citra æquinoctialem situs, ab altera autem parte brumalis, progressum nunc ad australia, nunc ad borealia convertente Sole : inter illos enim obliquus extenditur eclipticus.

[CAPUT VI.]

DE ECLIPTICO ET ASTRIS ERRATICIS.

Maximus est hic ipse circulus, tropicos tangens in uno utriusque puncto, æstivum in Cancro, alterum in Capricorno, æquinoctialem bipartiens et ab ipso bipar-

stellas errantes nullas, quæ dici possent *non zodiacales*, antiqui cognoscerent. Sub voce ζωδιακῶν latet, ni fallimur, vox ζωδιακός, e fine antecedentis capitis, ubi deest in codice, huc translata. Nempe in antiquiori aliquo codice infra antecedentis capitis ultimæ lineæ finem, spatii penuria, post ultima sequentis tituli verba, vox ea scripta fuerat. De duplici significatione vocis ζωδιακός, vide *Diss.* part. II, c. IV, § 5.

ἰσημερινὸν καὶ αὐτὸς ὑπ' ἐκείνου διχοτομούμενος κατά τε Χηλὰς καὶ Κριόν, ὑφ' ὃν ἡλιός τε φέρεται καὶ ἡ σελήνη καὶ οἱ λοιποὶ πλανῆτες, φαίνων τε[1] ὁ τοῦ Κρόνου προσαγορευόμενος, ὡς δέ τινες, ἡλίου[2], καὶ φαέθων ὁ τοῦ Διός, ἔτι δὲ πυρόεις, ὃν Ἄρεως καλοῦσιν, οἱ δὲ Ἡρακλέους, καὶ φωσφόρος, ὃν φασιν Ἀφροδίτης· τοῦτον δὲ καὶ ἑωσφόρον καὶ ἕσπερον ὀνομάζουσι· πρὸς δὲ τούτοις στίλβων, ὃν καλοῦσιν Ἑρμοῦ.

Περὶ τοῦ ὁρίζοντος.

Fol. 5 a. Λέγεται δέ τις κύκλων ὁρίζων, ὁ διὰ τῆς ἡμετέρας ὄψεως ἐκβαλλόμενος, καὶ κατ' ἐπιπρόσθησιν[3] τῆς γῆς ἴσα διαιρῶν, ὡς πρὸς αἴσθησιν, τὸν ὅλον οὐρανόν, τουτέστι τό τε φανερὸν ὑπὲρ γῆς ἡμισφαίριον καὶ τὸ ἀφανὲς ὑπὸ γῆς, μέγιστος ὁμοίως καὶ τοὺς μεγίστους διχοτομῶν τόν τε ἰσημερινὸν καὶ τὸν ζωδιακόν· ὅθεν καὶ τῶν κατὰ διάμετρον ἄστρων κατὰ συζυγίαν ἀεὶ θάτερον μὲν ἐπ' ἀνατολῆς ὁρᾶται, θάτερον δὲ ἐπὶ δύσεως. Διαιρεῖ[4] δὲ οὗτος δίχα καὶ τὸν μεσημβρινόν.

Περὶ μεσημβρινοῦ.

Ἔστι γάρ τις καὶ μεσημβρινὸς καλούμενος μέγιστος κύκλος, γραφόμενος μὲν διὰ τῶν πόλων τοῦ παντὸς ἀμφοτέρων· ὀρθὸς δὲ νοούμενος πρὸς τὸν ὁρίζοντα, καλεῖται μεσημβρινός, οἷον ἐπειδὴ κατὰ μέσην ἡμέραν ἐπὶ τούτῳ

[1] In codice φαίνοντε.

[2] Vide *Diss.* part. II, c. IV, § 6.

titus in Chelis et in Ariete, subter quem Sol fertur, atque etiam Luna, et ceteræ erraticæ stellæ : Phænon, Saturni dictus, aut Solis etiam, ut nonnulli dicunt; Phaethon, Jovis; Pyroïs, quem Martis vocant, et nonnulli Herculis; Phosphorus, quem dicunt Veneris, et quem etiam ἑωσφόρον et Vesperum appellant; et insuper Stilbon, quem Mercurii dicunt.

[CAPUT VII.]

DE HORIZONTE.

Horizon dicitur circulorum aliquis, qui per aspectum nostrum extenditur, et propter obstantiam Terræ æqualiter dividit, ut sensibus quidem videtur, totum cœlum, id est conspicuum supra Terram hemisphærium et occultum infra Terram; maximus similiter, et maximos bipartiens æquinoctialem et zodiacum : unde astrorum secundum diametron per paria oppositorum semper unus in ortu videtur, alter in occasu. Ille autem bipartit etiam meridianum.

[CAPUT VIII.]

DE MERIDIANO.

Est enim etiam aliquis, meridianus nomine, maximus circulus, descriptus per ambos universi polos; et ad perpendiculum horizonti esse intellectus, meridia-

[3] In codice ἐπιπρόσθεσιν.

[4] In codice διαιρεῖται.

γίνεται μετέωρος ὁ ἥλιος. Καλοῦσι δὲ ἔνιοι τοῦτον καὶ κόλουρον[1], ἐπειδὴ πρὸς τὸν ἀφανῆ[2] πόλον μέρος αὐτοῦ ἐφ' ἡμῖν ἐστιν ἀφανές.

[Τίνες τῶν ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλων δεδομένοι ἢ μή;][3]

Ἀλλ' ὁ μὲν ἰσημερινὸς καὶ οἱ ἑκατέρωθεν τούτου τροπικοὶ δεδομένοι[4] καὶ ἀραρότες τοῖς μεγέθεσι καὶ ταῖς θέσεσι. Δεδόσθαι[5] δὲ λέγεται[6] τῇ θέσει σημεῖα τε καὶ γραμμαί, ἃ τὸν αὐτὸν ἀεὶ τόπον ἐπέχει· τῷ δὲ μεγέθει δεδομένα χωρία τε καὶ γραμμαὶ καὶ γωνίαι λέγονται, οἷς δυνάμεθα ἴσα πορίσασθαι. Ὁ δὲ τοῦ ἰσημερινοῦ κύκλος καὶ οἱ ἑκατέρωθεν τροπικοὶ ἀεὶ τὸν αὐτὸν ἐπέχουσι τόπον[7] καὶ ἀραρότες εἰσί, καὶ ἴσους αὐτοῖς[8] οἷόν τε πορίσασθαι, τῷ μὲν ἰσημερινῷ τόν τε ζωδιακὸν καὶ τὸν ὁρίζοντα καὶ τὸν μεσημβρινόν, τῷ δὲ χειμερινῷ τὸν θερινὸν καὶ τῷ θερινῷ τὸν χειμερινόν· αἵτινες διὰ τοῦτο[9] ἀεί εἰσι δεδομένοι, ὅτι οὐκ ἐφ' ἡμῖν ἐστι τοιούσδε ἢ τηλικούσδε ὑποστήσασθαι αὐτούς, ἀλλὰ τῇ φύσει ὑποκείμενοι τοιοῦτοι καὶ δεδομένοι, κἂν μὴ
Fol. 5 b. ἡμεῖς δῶμεν· ἃ δὲ ἐφ' | ἡμῖν ἐστι δοῦναι αὐτὰ ἢ τοιάδε ἢ

[1] In codice κόλορον. De vocis κόλουρος, non ad solstitiorum tantum et æquinoctiorum *coluros* ambo, sed et ad *horarios* omnes circulos pertinentis, interpretatione, vide cum auctore nostro consentientem, sed rem plenius et clarius elocutum Ptolemæum (*Comp. math.* II, 6, t. I, p. 78 Halmæ).

In codice ἀφανῆ.

[3] Titulum hunc uncis inclusum addidimus. In codice, post ἀφανές, sequitur Ἀλλ' ὁ μέν, puncto tantum interposito. Sed jam de meridiano non magis quam de ceteris circulis agitur.

[4] In codice δεδομένοι τροπικοί.

nus nominatur, tanquam quia, medio die, Sol in ipso fit excelsus. Nonnulli autem eum etiam colurum vocant, quia apud occultum polum ipsius pars nobis occulta est.

[CAPUT IX.

QUINAM SPHÆRÆ CIRCULI DATI, ET QUINAM SECUS?]

Sed æquinoctialis et illius ab utraque parte siti tropici dati sunt et stabiles secundum magnitudinem et positionem. *Data* autem dicuntur *positione* puncta et lineæ, quæ eumdem semper locum obtinent, et *data magnitudine* spatia et lineæ et anguli, quibus æqua præbere possumus. Atqui circulus æquinoctialis et tropici utrinque eumdem semper obtinent locum et stabiles manent, et illis æquos præbere possibile est, æquinoctiali quidem zodiacum, horizonta et meridianum, brumali autem æstivum et æstivo brumalem: qui propterea semper dati sunt, quia non in nostra potestate est eos tales aut tales statuere, sed natura existunt tales et dati sunt, etsi nos non demus. Quæ vero in nostra potestate est dare, ut talia aut talia sint,

[5] In codice δίδοσθαι.

[6] Pro λέγεται, in codice est littera λ, cujus dextra pars linea sinistrorsum descendente secatur, et supra quam est ε'. Scripturæ compendium illud nihil habet difficultatis. Vide Tabulam B, n° 21.

[7] In codice τρόπον.

[8] In codice αὐτούς.

[9] In codice τούτων.

τοιάδε[1] εἶναι, ταῦτα τῇ[2] φύσει οὐκ ἐστὶ δεδομένα. Φύσει οὖν δεδομένοι[3], τουτέστιν ὑφεστῶτες καὶ ἀραρότες, ὅ τ' ἰσημερινὸς καὶ οἱ ἑκατέρωθεν καὶ τῇ θέσει καὶ τοῖς μεγέθεσιν. Ὁ δὲ ζωδιακὸς τῷ μὲν μεγέθει δέδοται καὶ τῇ κατ' αὐτὸν τὸν οὐρανὸν θέσει, τῷ δὲ πρὸς ἡμᾶς οὐ δέδοται τῇ θέσει· μεταπίπτει γὰρ ὡς πρὸς ἡμᾶς, διὰ τὴν ἐν τῷ παντὶ λόξωσιν ἄλλοτε ἄλλως ἱσταμένος ὑπὲρ ἡμᾶς. Μεσημβρινὸς δὲ καὶ ὁ ὁρίζων τῷ μὲν μεγέθει δεδομένοι· μέγιστοι γάρ· τῇ θέσει δὲ μεταπίπτοντες[4] καθ' ἕκαστον κλίμα τῆς γῆς, ἄλλοι παρ' ἄλλοις γινόμενοι· οὔτε γὰρ ἅπασι τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς ὁ αὐτὸς ὁρίζων, οὔτε πᾶσι τὸ αὐτὸ μεσουράνισμα, καὶ ἑπόστῳ[5] ἐστὶν ὁ μεσημβρινός. Οἱ μέντοι πρὸς τοῖς πόλοις, ὅ τε ἀρκτικὸς καὶ ὁ ἀνταρκτικός, οὔτε τοῖς μεγέθεσι δέδονται, οὔτε ταῖς θέσεσι· κατὰ δὲ τὴν διαφορὰν τῶν νοτιωτέρων καὶ βορειοτέρων κλιμάτων, παρ' οἷς μὲν μείζονες, παρ' οἷς δὲ ἐλάττονες ὁρῶνται, καὶ κατὰ μέσην μέντοι τὴν γῆν, τουτέστι κατὰ τὴν ὑπὸ τὸν ἰσημερινὸν λεγομένην ζώνην[6] διὰ παντὸς ἀοίκητον, οὐδ' ὅλως γίνονται, τῶν πόλων ἀμφοτέρων ἐκεῖ φαινομένων καὶ τοῦ ὁρίζοντος δι' αὐτῶν ἐκπίπτοντος· εἰσὶ δὲ οἳ καὶ τὴν σφαῖραν ὀρθὴν καλοῦσι, πάντων τῶν παραλλήλων ὀρθῶν γινομένων ὡς πρὸς ἐκείνους[7] τοὺς τόπους τῆς γῆς.

[1] In codice τοιά, sine δε. Vide sequentem notulam.

[2] In cod. τῇ δέ, huc translata voce δε, quæ post τοιὰ deerat.

[3] In codice δεδομένοι καὶ ἀραρότες. Voces καὶ ἀραρότες, quæ mox iterum, et ibi quidem recte positæ, in codice leguntur, hic delevimus.

[4] In codice legitur μεταπίπτοντες δέ, et ante μεταπίπτοντες est

ea natura data non sunt. Natura ergo dati, id est existentes et stabiles, sunt æquinoctialis et qui sunt ab utraque parte, tum positione, tum magnitudine. Zodiacus autem magnitudine datus est et positione erga cœlum ipsum, sed quod ad nos attinet, positione non datus est; locum enim erga nos mutat, propter obliquum in universo situm nunc hoc, nunc illo modo supra nos positus. Meridianus vero et horizon magnitudine dati sunt; maximi etenim; positione autem mutabiles sunt secundum unamquamque Terræ mansionem, alii apud alios visi. Neque enim omnibus Terræ incolis idem est horizon, neque omnibus idem meridianum punctum, et suus cuique est meridianus circulus. Tum circuli polos versus, id est arcticus et antarcticus, neque magnitudinibus dati sunt, neque positionibus; sed, secundum differentiam magis australium aut borealium regionum, apud hos majores, apud illos autem minores videntur, et in Terræ media regione, id est in zona quæ esse dicitur sub ipso æquinoctiali propter ardorem inhabitabilis, neque omnino illi sunt, quum uterque ibi polus conspiciatur ac per ambos ducatur horizon : et sunt qui sphæram rectam appellent, quum omnes paralleli circuli ad perpendiculum sint illis Terræ locis.

punctum. Sed interpunctio est in toto codice quam pessima.

[5] In codice *καθ' ἑκάστω* (sic).

[6] In codice *ζώην*.

[7] Pro *ὡς πρὸς ἐκείνους*, in codice legitur *ὡς προσήκει ὡς*.

Περὶ τοῦ ζωδιακοῦ.

Εἷς[1] τις τῶν ἄλλων κύκλων ἕκαστος ὄντως ἐστὶ[2] κύκλος ὑπὸ μιᾶς γραμμῆς περιεχόμενος. Ὁ δὲ λεγόμενος ζωδιακὸς ἐν πλάτει τινὶ φαίνεται, καθάπερ τυμπάνου κύκλος, ἐφ' οὗ καὶ εἰδωλοποιεῖται[3] τὰ ζώδια. Τούτου δὲ ὁ μὲν διὰ μέσου[4] λέγεται τῶν ζωδίων, ὅστις ἐστὶ καὶ μέγιστος, καὶ τῶν τροπικῶν ἐφαπτόμενος καθ' ἓν ἑκατέρου σημεῖον, καὶ τὸν ἰσημερινὸν διχοτομῶν· οἱ δὲ ἑκατέρωθεν τὸ πλάτος
Fol. 6 a. ἀφορί|ζοντες τοῦ ζωδιακοῦ, καὶ τοῦ διὰ μέσου ἐλάττονες.

Περὶ τῶν ἀπλανῶν[5].

Οἱ μὲν οὖν πολλοὶ καὶ ἀπλανεῖς[6] ἀστέρες τῇ πρώτῃ καὶ μεγίστῃ καὶ τὸ πᾶν ἔξωθεν περιεχούσῃ σφαίρᾳ συμπεριφέρονται μίαν καὶ ἀπλανῆ[7] τὴν ἐγκύκλιον κίνησιν, ὡς ἐνεστηριγμένοι[8] ταύτῃ καὶ ὑπ' αὐτῆς φερόμενοι, θέσιν τε καὶ ἀεὶ τὴν αὐτὴν ἐν τῇ σφαίρᾳ διαφυλάττοντες καὶ τὴν πρὸς ἀλλήλους τάξιν ὁμοίαν, μηδ' ἠντινοῦν[9] ἑτέραν μεταβολὴν ποιούμενοι μήτε σχήματος ἢ μετανάστάσεως, μήτε μεγέθους ἢ χρώματος.

[1] In codice Εἶ.

[2] In codice ἐστίν.

[3] In codice εἰδολοποιεῖται.

[4] Sic in codice legitur. Fortasse malis διὰ μέσων. .... τῶν ζωδίων. Sed et in c. XXXI dicitur eclipticus ὁ διὰ μέσου τῶν ζωδίων, et sæpius in toto opere ὁ διὰ μέσου. Dicitur quidem etiam ὁ διὰ μέσων τῶν ζωδίων. Vide c. XXVIII. Sed hic nil mutandum.

[CAPUT X.]

DE ZODIACO.

Unusquisque ceterorum circulorum vere circulus est, una linea circumdatus. Sed qui dicitur zodiacus latitudinem aliquam habere conspicitur, ut tympani circulus, et in ipsius latitudine describuntur signa. In illo autem *per signa medius* vocatur circulus, qui et maximus est tropicosque tangit in uno utriusque puncto et bipartit æquinoctialem. Sunt vero circuli utrinque latitudinem zodiaci terminantes et medio minores.

[CAPUT XI.]

DE INERRANTIBUS STELLIS.

Astra pleraque, quæ et inerrantia sunt, cum prima et maxima sphæra, quæ universum extrinsecus complectitur, uno inerrantique circulari motu simul circumvolvuntur, ut illi infixa et per ipsam mota, positionemque in sphæra semper eamdem et similem inter se ordinem servantia, ac nullam aliam facientia mutationem aut figuræ, aut migrationis, aut magnitudinis, aut coloris.

[5] In codice ἀπλανῶν.
[6] In codice ἀπλανεῖς.
[7] In codice ἀπλανῇ.
[8] In codice ἐν ἐσ]ηριγμένοι.
[9] In codice ἠντιναοῦν.

Περὶ τῶν πλανήτων.

Ἥλιός τε καὶ σελήνη καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἀστέρες καλούμενοι πλανῆτες συναποφέρονται μὲν ὑπὸ τοῦ παντὸς τὴν ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δύσιν φορὰν καθ' ἑκάστην ἡμέραν, καθὰ καὶ οἱ ἀπλανεῖς[1], φαίνονται δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν πολλὰς καὶ ποικίλας ἄλλας ποιούμενοι κινήσεις· εἴς τε[2] γὰρ τὰ ἑπόμενα τῶν ζωδίων μετίασι καὶ οὐκ εἰς τὰ προηγούμενα κατὰ τὴν ἰδίαν πορείαν, ἀντιφερόμενοι [τῷ] παντὶ[3] τὴν κατὰ μῆκος αὐτῶν λεγομένην φοράν, καὶ ἀπὸ τῶν βορείων ἐπὶ τὰ νότια καὶ ἀνάπαλιν τρέπεται, τὴν κατὰ [τοῦ] παντὸς[4] ποιούμενοι μετάβασιν, ἁπλῶς δὲ ἀπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ πρὸς τὸν[5] χειμερινὸν καὶ ἀνάπαλιν φερόμενοι διὰ τὴν τοῦ ζωδιακοῦ λόξωσιν, τούτοις, ὑφ' ὧν ἀεί, θεωροῦνται· καὶ ἐν αὐτῷ τῷ πλάτει τοῦ ζωδιακοῦ ποτὲ μὲν βορειότεροι τοῦ[6] διὰ μέσου φαινόμενοι[7], καὶ ὑψοῦσθαι λεγόμενοι, ποτὲ δὲ νοτιώτεροι καὶ ταπεινούμενοι[8], καὶ τοῦτο οἱ μὲν πλέον[9], οἱ δὲ ἔλαττον· ἔτι δὲ καὶ τοῖς μεγέθεσι διαλλάττοντες, διὰ τὸ ποτὲ μὲν ἀπογειότεροι, ποτὲ δὲ σύνεγγυς ἡμῖν ἐν τῷ βάθει φέρεσθαι, διὰ δὲ τοῦτο καὶ τὸ τάχος[10] τῆς κινήσεως διὰ τῶν ζωδίων ἀνώμαλον φαίνονται ποιούμενοι, τὰ ἴσα διαστήματα | ἐν[11] ἴσοις χρόνοις μὴ παραλ- Fol. 6 b.

[1] In codice ἀπλανεῖς.
[2] In codice εἴτε.
[3] In codice πάντῃ, sine τῷ. Vide Notam J.
[4] In codice κατὰ παντός. Vide Notam J.
[5] In codice τό.
[6] In codice βορειότερον τόν.

[CAPUT XII.]

DE ERRATICIS ASTRIS.

Sol et Luna, et reliqua omnia astra quæ erratica dicuntur, simul feruntur cum universo ab ortu ad occasum quotidiana conversione, quemadmodum etiam inerrantes stellæ; sed videntur quotidie alios multos et varios exsequi motus. Namque ad sequentia signorum transeunt, neque vero ad antecedentia, proprio sibi gressu, in contrariam atque universum partem euntia, eo motu suo, qui secundum longitudinem esse dicitur. Sed et ab aquiloniis ad australia et vice versa convertuntur, dum contrarium universo cursum perficiunt, et omnino ab æstivo tropico ad hibernum et vice versa sese ferentia propter zodiaci obliquitatem, iis, a quibus semper, observantur : in ipsa etiam zodiaci latitudine nunc magis ad aquilonem, quam est medius per signa circulus, apparentia et tunc in altitudinem ferri dicta, nunc magis ad austrum euntia et dejecta, et quidem alia magis, alia minus. Præterea magnitudinem mutantia cernuntur, quia modo a Terra longius, modo propius nobis in profundum feruntur, et ideo etiam celeritatem cursus per signa inæquabi-

[7] In codice φαινόμενον.

[8] Vide Notam K.

[9] In codice πλοῖον.

[10] In codice πάχος.

[11] Pro ἐν, in codice est μέν.

λάττοντες, ἀλλὰ θᾶττον μὲν ὅτε καὶ μέγιστοι δοκοῦσι διὰ τὸ προσγειότερον καθίστασθαι, βραδύτερον δὲ ὅτε καὶ μικρότεροι διὰ τὸ γίνεσθαι ἀπόγειοι. Τὸ δ' ἐν αὐτῷ τῷ ζωδιακῷ πλάτος τῆς μεταβάσεως ὁ μὲν ἥλιος βραχύ τι παντάπασι φέρεται[1], τὸ πᾶν περὶ μίαν μοῖραν τῶν τξ· ἡ δὲ σελήνη, καθὰ οἱ ἀρχαῖοί φασι[2], καὶ ὁ Φωσφόρος πλεῖστον· περὶ γὰρ μοίρας ιϐ· στίλβων Ἑρμοῦ δὲ περὶ μοίρας η· πυρόεις δὲ καὶ Φαέθων περὶ μοίρας ε· Φαίνων δὲ περὶ μοίρας γ. Ἀλλὰ σελήνη μὲν καὶ ἥλιος ἴσον ἑφ' ἑκάτερον τοῦ διὰ μέσου[3] ἐν παντὶ ζωδίῳ κατὰ πλάτος φαίνονται χωρεῖν· τῶν δὲ ἄλλων ἕκαστος[4] οὐκ ἴσον, ἀλλ' ἔν τινι μὲν βορειότατος, ἔν τινι δὲ νοτιώτατος γίνεται[5]. Τὸν δὲ τῶν ζωδίων κύκλον κατὰ τὸ μῆκος ἀπὸ σημείου ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον, εἰς τὰ ἑπόμενα καὶ οὐκ εἰς τὰ προηγούμενα, σελήνη μὲν ἐν ἡμέραις κϛ καὶ τρίτῳ μάλιστα ἡμέρας καὶ νυκτὸς διέρχεται· ὁ ἥλιος δ' ἐνιαυτῷ, ὅς ἐστιν ἡμερῶν ἐγγὺς τξε δ'· Φωσφόρος δὲ καὶ στίλβων καθ' ἕκαστα[6] μὲν ἀνωμάλως, ὀλίγον παραλλάττοντες τοῖς χρόνοις, ὡς δὲ τὸ ὅλον εἰπεῖν, ἰσόδρομοι ἡλίῳ εἰσίν, ἀεὶ περὶ τοῦτον[7] ὁρώμενοι· διὸ καταλαμβάνουσί τε αὐτὸν καὶ καταλαμβάνονται. Πυρόεις[8] δέ, ὀλίγου δεῖν, διετίᾳ[9], καὶ Φαέθων μὲν σύνεγγυς ἔτεσι δώδεκα, Φαίνων δὲ παρ' ὀλίγον ἔτεσι λ.

[1] In codice παντάπασιν ὁρᾶται : quod male cum antecedentibus quadrat.

[2] In codice φασίν.

[3] In codice μέσον.

[4] In codice ἕκαστον.

[5] Vide *Diss.* part. II, c. IV, § 8. — [6] In codice καθέκαστα.

lem videntur habere, æqua spatia æquis temporibus non percurrentia, sed citius, quum etiam majora propter propinquitatem Terræ fieri videntur, tardius vero, quum etiam minora spectantur, utpote a Terra remotiora. Latitudinem autem transcursus in zodiaco Sol omnino exiguam facit, cujus summa est una 360 circuli partium; Luna, ut prisci dicunt, et Phosphorus maximam, scilicet circa partes circuli 12; Stilbon Mercurii, circa partes 8; Pyroïs et Phaëthon, circa partes 5; Phænon, circa partes 3. Sed Luna et Sol æqualiter in utramque partem a circulo per signa medio in omni signo secundum latitudinem discedere videntur; ceterorum quodque non æqualiter, sed in aliquo signo maxime aquilonium, in alio maxime australe est. Signorum autem circulum secundum longitudinem ab uno puncto ad idem punctum, sequentia versus et non antecedentia signa, Luna diebus 27 et tertia fere parte diei et noctis percurrit; Sol uno anno, qui est dierum circiter 365 1/4; Phosphorus et Stilbon particulatim quidem inæquabili motu, parum temporibus differentes, sed, si totum spectaveris, æquo cursu cum Sole feruntur, semper circa illum visi; quapropter assequuntur illum et ipse vicissim eos. Pyroïs biennio fere conficit cursum; Phaëthon, prope duodecim annis; et Phænon, paulo minus

[7] In codice τοῦτο.

[8] In codice πορόεις.

[9] In codice δὴν διετίαν.

Διὸ καὶ τὰς πρὸς τὸν ἥλιον συνόδους καὶ φάσεις καὶ κρύψεις, ἃς καὶ αὐτὰς ἀνατολὰς καλοῦσι καὶ δύσεις, οὐχ ὁμοίως πάντες ποιοῦνται. Σελήνη μὲν γάρ, μετὰ τὴν πρὸς τὸν ἥλιον σύνοδον, ἐπειδὴ ταχύτατον αὐτοῦ τὴν εἰς τὰ ἑπόμενα ποιεῖται κίνησιν, ἀεὶ[1] ἑσπερία[2] πρώτως φαινομένη καὶ ἀνατέλλουσα, ἑφία[3] καὶ κρύπτεται καὶ δύνει· φαίνων δὲ καὶ φαέθων καὶ πυρόεις ἀνάπαλιν ἐπειδὴ βραδύτερον[4] ἡλίου τὸν τῶν ζωδίων ἀνίασιν[5] εἰς τὰ ἑπόμενα κύκλον, τουναντίον[6] αὐτοὶ καταλαμβανόμενοι ὑπ' αὐτοῦ καὶ παριέμενοι,
Fol. 7 a. ἀεὶ[7] ἑσπέ|ριοι[8] δύνονται, ἑῷοι δὲ[9] ἀνατέλλουσιν.

Περὶ τῶν ἡλίῳ[10] ἰσοδρόμων.

Ὁ φωσφόρος δὲ καὶ στίλβων, ἰσόδρομοι ὄντες ἡλίῳ καὶ περὶ αὐτὸν ἀεὶ[11] βλεπόμενοι, καταλαμβάνοντες αὐτὸν καὶ καταλαμβανόμενοι ὑπ' αὐτοῦ[12], ἑκατέρως, ἑσπέριοι μὲν ἀνατείλαντες, ἑσπέριοι πάλιν κρύπτονται, ἑῷοι[13] δὲ φανέντες, ἑῷοι[14] δύνουσι καὶ ἀφανίζονται. Τῶν γὰρ ἄλλων πλανωμένων[15] ἀπὸ τοῦ ἡλίου πᾶν ἀπόστημα ἀφισταμένων καὶ κατὰ διάμετρον αὐτῷ ποτε γινομένων, οἱ δύο οὗτοι ἀεὶ[16] περὶ

[1] In codice *aiei*.

[2] In codice *ἑσπερείας*.

[3] In codice *ἑώα*.

[4] In codice *βραδίων*.

[5] In codice *ἀνίουσιν*, vel *ἀνίσυσιν*. Quarta enim littera, male exarata, aut *o*, aut *σ* est. Vide Tabulam B, n° 34.

[6] Pro *κύκλον, τουναντίον*, in cod. leg. *κύκλον. κύκλον. οἷον*, ita tamen ut vocis *οἷον* prima littera atramento obruta vix legatur.

[7] In codice *aiei*.

[8] In codice *ἑσπέρειοι*.

annis triginta. Quapropter etiam erga Solem conjunctiones, apparentiæ et obscurationes, quas et ipsas ortus etiam occasusque vocant, non similiter omnibus fiunt. Luna etenim, post conjunctionem cum Sole, quia illo citius ad sequentia signa movetur, semper vespere primum apparet et oritur, mane vero obscuratur et occidit. Sed quia Phænon, Phaethon et Pyrois Sole tardius zodiacum ad sequentia signa percurrunt, illos contra Sol assequitur et post se relinquit, et ideo semper vespere occidunt et mane oriuntur.

[CAPUT XIII.]

DE ASTRIS SOLEM CURSU ÆQUANTIBUS.

Phosphorus et Stilbon, cursu Solem æquantes et circa ipsum semper visi, qui assequuntur illum et quos ipse assequitur, utroque modo, vespere orti, vespere occidunt, et postquam mane apparuerunt, mane etiam occidunt et desinunt videri. Dum enim ceteræ erraticæ stellæ a Sole nullo non intervallo discedunt et ei secundum diametron aliquando opponuntur, hæ duæ contra semper conspiciuntur circa

[9] In codice *δύνοντες δὲ ἑῶοι*. Cf. *Diss.* part. II, c. IV, § 9.
[10] In codice *ἡλίου*.
[11] In codice *aleí*.
[12] Cf. Platonis *Timæum*, p. 38 D.
[13] In codice *ἑῶοι*.
[14] In codice *ἑῶοι*.
[15] In codice *πλανομένων*.
[16] In codice *aleí*.

τὸν ἥλιον ὁρῶνται, σλήλεαν μὲν κ [τὸ] σολὺ[1] μοίρας, τουτέσλιν ἔγγισλα δύο μέρη ζωδίου τὸ σλεῖσλον ἀνατολικώτερος ἢ δυσμικώτερος αὐτοῦ[2] γινόμενος, ὁ δὲ τῆς Ἀφροδίτης σερὶ ν[3] μοίρας σρὸς ἀνατολὰς ἢ δύσεις ἀφισλάμενος.

Ὁποσαχῶς λέγεται ἀνατολή.

Ἀνατολὴ δὲ λέγεται σλεοναχῶς· κυρίως μὲν καὶ κοινῶς ἐπί τε[4] ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄσλρων, ἡ σρώτη ἀναφορὰ ὑπὲρ[5] τὸν ὁρίζοντα· ἕτερον δὲ τρόσον ἐπὶ τῶν ἄλλων, ἡ σρώτη φαῦσις[6] ἐκ τῶν τοῦ ἡλίου αὐγῶν, ἥτις καὶ κυρίως ὀνομάζεται· λοιπὴ δὲ ἡ καλουμένη ἀκρόνυχος, ἐπειδάν, ἡλίου δύναντος[7], τὸ κατὰ διάμετρον ἄσλρον ἐπὶ τῆς ἀνατολῆς βλέσηται[8]· καλεῖται δὲ ἀκρόνυχος, ἐπειδὴ ἡ τοιαύτη ἀνατολὴ γίνεται ἄκρας νυκτός, τουτέσλιν ἀρχομένης. Σαραλλησίως δὲ καὶ δύσις, κοινῶς μὲν ἡ σρώτη κάθοδος ἡ ὑσὸ τὸν ὁρίζοντα· τρόσον δὲ ἄλλον ὁ σρῶτος ἀφανισμὸς ἄσλρου τινὸς ὑσὸ τῶν τοῦ ἡλίου αὐγῶν, ἥτις καὶ κυρίως κρύψις σαλιν σροσαγορεύεται· λοιπὴ δὲ καὶ ἀκρόνυχος, ἐπειδάν, ἡλίου ἀνατείλαντος, τὸ κατὰ διάμετρον ἄσλρον ἀνσικαδύνῃ[9]. Τῶν δὲ διὰ τὰς τοῦ ἡλίου αὐγὰς λεγομένων ἀνατολῶν καὶ δύσεων, τουτέσλι[10] φαύσεων καὶ κρύψεων, αἱ μέν

[1] In codice non est τὸ ante σολύ. Sed vide Notam L.

[2] In codice αὐτῷ.

[3] In codice κις' pro ν legitur. Sed librarii dubitatio punctis infra κ et supra ι scriptis declaratur. Vide Tabulam B, n° 35. Chalcidii versionem atque auctorem ipsum in capite XXXIII eadem de re tractantem sequimur. Vide Notam M.

[4] In codice ἐπεί δέ.

[5] In codice ὑπό.

Solem, a quo Stilbon 20 plerumque gradus, id est signi ferme $\frac{2}{3}$, ad summum, orientem aut occidentem versus discedit; Veneris autem stella prope 50 gradus orientem vel occidentem versus.

[CAPUT XIV.]

QUOT MODIS DICITUR ORTUS.

Ortus multis dicitur modis : proprie quidem et communiter, de Sole et de ceteris astris, prima ascensio supra horizontem; aliter autem, de ceteris tantum, prima eorum apparentia e Solis radiis emergentium, qui et ipse ortus proprie dicitur; superest et qui dicitur ἀκρόνυχος, quum, post Solis occasum, astrum secundum diametron oppositum in ortu cernitur : qui ideo dicitur ἀκρόνυχος, quia talis ortus fit nocte ἄκρας, id est incipiente. Similiter occasus, communiter primus est descensus infra horizontem; aliter autem, prima obscuratio astri immersi Solis radiis, quæ etiam rursus proprie occultatio dicitur; superest etiam ἀκρόνυχος, quum, orto Sole, astrum secundum diametron oppositum sub horizontem descendit. Ex his autem, qui propter Solis radios fiunt, ortibus occasibusque dictis, id est apparentiis et obscurationibus, alii sunt

[6] An φαῦσις mutandum in φάσις? Certe Ptolemæus nominat φάσεις ἀπλανῶν.

[7] In codice δύνοντας; sed ος supra ας eadem manu est exaratum. Legendum δύναντος. Vide infra ἀνατείλαντος.

[8] In codice βλέπεται.

[9] In codice ἀντικαταδύσει.

[10] In codice τουτέσ/ιν.

εἰσιν ἑῷαι[1], αἱ δὲ ἑσπέριαι[2]. Ἑῴα[3] μὲν οὖν ἐστιν ἀνατολὴ ἄστρου, ἐπειδάν, ἐκφεῦγον[4] τὰς τοῦ | ἡλίου αὐγάς, προανατέλλον[5] αὐτοῦ πρώτως[6] ὁράσθῃ, καθάπερ καὶ ἡ τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴ λέγεται· ἑσπερία δέ, ἐπειδὰν[7] μετὰ τὴν δύσιν τοῦ ἡλίου πρώτως φανῇ, καθάπερ τὴν σελήνην ταῖς νεομηνίαις φαμὲν ἀνατέλλειν. Παραπλησίως δὲ καὶ δύσεις, ἑῷαι[8] μέν, ἐπειδὰν ταῖς ἔμπροσθεν ἡμέραις τι προανατέλλον[9], ἡλίου συνεγγίσαντος[10] αὐτῷ, πρώτως[11] ἀφανισθῇ[12], καθάπερ ἡ σελήνη· ἑσπέριαι[13] δέ, ἐπειδὰν ἐπικαταδυομένῳ τινὶ συνεγγίσας ὁ ἥλιος πρώτως[14] διὰ τὰς αὐγὰς ἀφανὲς αὐτὸ[15] κατασταθῇ[16]. Fol. 7 b.

Περὶ θέσεως τῶν[17] πλανωμένων.

Τὴν δὲ κατὰ[18] τόπον τῶν σφαιρῶν [ἡ][19] κύκλων θέσιν τε καὶ τάξιν, ἐν οἷς κείμενα φέρεται τὰ πλανώμενα, τινὲς μὲν τῶν πυθαγορείων τοιάνδε[20] νομίζουσι· προσγειότατον

[1] In codice εἰσι ἑῶαι.

[2] In codice ἑσπέριοι.

[3] In codice ἑώα.

[4] In codice ἐκφεύγων.

[5] In codice προαναπέλλων. Sed ἄστρον neutrum est.

[6] In codice est hic quidem πρῶτος. Sed vide πρώτως φανῇ paulo infra, et adi Notam N.

[7] In codice est ἐπειδή; sed mox recte conjunctivus φανῇ.

[8] In codice ἑῶαι.

[9] In codice τίς προανατέλλων. Cf. notas 4 et 5 huj. pag.

[10] In codice συνεγγύσαντος.

[11] In codice legitur πρω, et supra hanc syllabam τ. Vide Tabulam B, n° 27 *a*. Cf. n° 27 *b*, et Tabulæ interpretationem. Scribendum πρώτως. Vide Notam N.

matutini, alii vespertini. Matutinus est ortus astri, quum, fugiens Solis radios, ante ipsum oriens primum cernitur, quemadmodum dicitur Caniculæ ortus. Vespertinus vero, quum post Solis occasum primum appareat astrum, quemadmodum mense novo Lunam oriri dicimus. Similiter occasus matutini sunt, quum astrum quod præcedentibus diebus ante Solem oriebatur, Sole ad ipsum accedente, desinit videri, ut Luna; vespertini, quum primum occidenti astro Sol propior factus propter radios efficit ut viderit nequeat.

[CAPUT XV.]

DE ERRATICORUM ASTRORUM POSITIONE.

Positionem ordinemque secundum locos sphærarum aut circulorum, in quibus sita circumferuntur astra errantia, pythagoreorum quidam talem esse putant:

[12] In codice est *ἀφανισθῇ*.

[13] In codice *ἑσπέρια* (sic).

[14] In codice *πρῶτος*. Vide Notam N.

[15] In codice legitur *αὐτῷ*, male. Sed ibidem recte legitur *ἀφανὲς* neutrum. Merito ergo neutra pro masculinis supra reposuimus. Chalcidius (fol. 25 *b* Ascensii, p. 155 Meursii) vertit: *eam* (stellam) *corusco splendore condit.*

[16] In codice *καταστῇση*.

[17] In codice *τῷ*.

[18] In codice *μετά*.

[19] In codice deest *ἡ*. Sed vide titulum capitis XXIII. Chalcidius (fol. 25 *b* Ascensii, p. 155 Meursii) vertit: *globorum vel etiam orbium.*

[20] In codice *τοιῶνδε*. Chalcidius (fol. 25 *b* Ascensii, p. 155

μὲν εἶναι τὸν τῆς σελήνης κύκλον, δεύτερον ὑπὲρ τοῦτον Ἑρμοῦ, ἔπειτα τὸν τοῦ Φωσφόρου, καὶ τέταρτον τοῦ ἡλίου, εἶτα τὸν τοῦ Ἄρεως, ἔπειτα τὸν τοῦ Διός, τελευταῖον δὲ καὶ σύνεγγυς τοῖς ἀπλανέσι [1] τὸν τοῦ Κρόνου· μέσον εἶναι βουλόμενοι τὸν τοῦ ἡλίου τῶν πλανωμένων, ὡς ἡγεμονικωτάτου [2] καὶ οἷον καρδίας τοῦ παντός. Μηνύει δὲ ταῦτα καὶ ὁ Ἀλέξανδρος ὁ αἰτωλός, λέγων οὕτως [3].

Ὑψοῦ δ' ἄλλοθεν ἄλλος ὑπέρτερον [4] ἕλαχε [5] κύκλον·
ἀγχοτάτη μὲν δῖα σελήναια [6] περὶ γαῖαν,
δεύτερος αὖ σίλβων χελυσσόου [7] Ἑρμείαο [8],

Meursii) vertit : *Quidam ex Pythagoreis hanc esse dixerunt* (positionem globorum).

[1] In codice ἀπλανέσι.

[2] In codice ἡγεμονικώτατον, et mox καρδία.

[3] Hos decem et mox sequentes sexdecim alios Alexandri poetæ versus ex Ambrosiano codice exscripserat Is. Vossius. Illos omnes e Vossiano codice exscripserat H. Grotius. Eosdem e Vossiano codice, sed a se correctos, ediderat Th. Galeus (in *Addendis notis* ad Parthenium, p. 149), nec enotatis codicis lectionibus, præter duas, χελιζώου (v. 3) et διασλάσει (v. 10). Horum primos decem in notis ad Chalcidium (S. Hippolyti operum vol. II. Hamb. 1718, p. 307) J. A. Fabricius iterum ediderat. Eosdem omnes 26 versus, tanquam ineditos, notis ad Vitruvium (t. II, p. 23-24), e Grotiano codice, a se emendatos inseruit J. G. Schneiderus, codicis lectiones enotans. Versus 13-21 et 25-26 emendatiores edidit Nækius (*Sched. crit.*, p. 8 et p. 17-18, vel *Opusc. philol.*, t. I, p. 14 et p. 28-29), ad hos et ad ceteros pauca annotans. Omnes 26 versus, cum brevibus notis, paulo etiam emendatiores edidit Meineckius (In *Analect. Alex.*, Epimetr. IX, p. 372-373), multa tamen adhuc relinquens emendanda, ut ipse fatetur. His auxiliis, Parisiensique

Terræ proximum esse Lunæ circulum, secundum supra hunc Mercurii, deinde Phosphori, quartum Solis, tum Martis, deinde Jovis, ultimum vero et inerrantibus stellis proximum Saturni circulum. Illi enim volunt medium inter astra errantia locum tenere Solis circulum, utpote dominando aptissimi et tanquam cordis universitatis. Hæc autem declarat etiam Alexander Ætolus, sic loquens :

> Superne aliud alio excelsiorem obtinet circulum :
> proxima divina Luna circa Terram ;
> secundus Stilbon chelyn moventis Mercurii ;

codice, et Theonis, vel potius Adrasti, commentario adjuti, hos versus, quales fecerat poeta, primi nunc restituimus.

[4] In codice Parisiensi et in editionibus omnibus, *ὑπέρτατον*. Comparativum reponendum merito conjecerat Meineckius.

[5] In codice Parisiensi *ἔλαχε*.

[6] Ibidem *σελήναία*; sed accentum supra *η* delere voluisse videtur librarius. Galeus edit *σεληναῖα*. Fabricius *σεληναία*.

[7] In Parisiensi et Grotiano codicibus, et apud Fabricium est *χελιζώου*. Scriptum erat *χελιζώου*, inquit Galeus. In margine Grotiani codicis est *χελυσσόου*, quod in textum Galeus et Schneiderus receperunt, metro repugnante. Vocem *χελυσσόου* hic legendam recte conjecit Nækius, et a Meineckio in textum recepta est. Lexicis addatur.

[8] Sic et apud Galeum Fabriciumque legitur, probantibus Nækio et Meineckio. In codice Parisiensi legitur *ἑρμείου*. Schneiderus edidit *ὁρμείου*, et sic in Grotiano codice legitur, si ipsi credendum est : in quo aut Grotius scribens, aut Schneiderus legens erravisse videtur. Chalcidius (fol. 26 *a* Ascensii, p. 155 Meursii) vertit *Cyllenius*.

τῷ δ' ἐπι[1] φωσφόρος ἐσθλὶ φαεινότατος Κυθερείης,
τέτρατος αὐτὸς[2] ὑπερθεν ἐπ' ἠέλιος[3] φέρεθ' ἵπποις,
πέμπτος δ' αὖ πυρόεις φονίου[4] θρηΐκιος Ἄρης,
ἕκτος δ' αὖ φαέθων Διὸς ἀγλαος ἵσταται ἀστὴρ,
ἕβδομος [αὖ] φαίνων[5] Κρόνου ἀγχόθι τέλλεται ἄστρων[6].
Πάντες δ' ἑπλατύνοιο λύρης φθόγγοισι συνῳδὸν[7]
ἁρμονίην προχέουσι[8], διαστὰς ἄλλος ἀπ' ἄλλου[9].

Καὶ γὰρ τοῦτο πυθαγόρειον, τὸ καθ'[10] ἁρμονίαν εἴρεσθαι τὸν κόσμον, καὶ κατὰ τοὺς τῶν ἡρμοσμένων καὶ συμφώνων φθόγγων λόγους διεστῶτα τὰ οὐράνια τῇ ῥύμῃ καὶ τῷ

[1] Codex Grotianus habet τῶν ἐπι, Parisiensis τῶν ἐπι. Galeus et Fabricius edunt τῶν δ' ἐπι, Schneiderus τῷ ἐπι. Nækium et Meineckium sequimur.

[2] Sic omnes edunt, nisi quod Galeus scribit αὖτος. In Parisiensi codice est τέταρτος αὖτος. De Grotiani lectione Schneiderus silet.

[3] Sic omnes edunt. In Parisiensi codice est ἐπιέλιος. De Grotiano nescimus.

[4] E conjectura Galeus, probante Nækio, Fabriciusque et Meineckius edunt φωσθήρ. Schneiderus pessime, φαέθων. In Parisiensi codice est φ ου, et in Grotiano φ—οο, Schneidero teste. Tres litteras inter φ et ου, quæ deerant, inserimus. Vide Tabulam A, n° 5.

[5] In codice utroque, pro αὖ φαίνων, legitur φαίνεται. Sed αὖ φαίνων, optima et necessaria correctione, ediderunt Galeus, Fabricius, Schneiderus et Meineckius. Schneiderus tamen male suspicatur legendum αὖ ψυχρόν, quia in versu 14 vocem ψυχρὸς ad Saturni circulum referri immerito credidit.

[6] Sic optime in Parisiensi codice legitur, ἀστρων, scilicet ἀπλανῶν, quibus proximus est Saturnus, ut Theon etiam supra monuit. Schneiderus et Meineckius edunt ἀστὴρ, quod esset

post hunc Phosphorus est nitidissimus Cytheræ;
quartus ipse supra Sol fertur equis;
quintus autem Pyrois cruenti Threicii Martis;
sextus autem Phaethon, Jovis inclytum ponitur astrum;
septimus autem Phænon Saturni non procul existit a stellis [inerrantibus].
Omnia simul septem tonos habentis lyræ sonis concinentem harmoniam fundunt, alterum ab altero distantia.

Etenim pythagorea est doctrina, secundum harmoniam ordinari mundum, ac secundum harmonicorum et concinentium sonorum proportiones distantia invicem cœlestia corpora impetu et celeritate motus har-

mutandum, etiamsi in codicibus foret. Grotianus codex habet ἀσ/ρον, exscribentis errore, quem Galeus et Fabricius secuti sunt, probante Nækio.

[7] Sic omnes edunt. In Parisiensi codice legitur σύνοδον. De Grotiano nescimus. Sed συνῳδὸν recte est in Heraclito (*Alleg. homer.*, p. 426 *Opusc. mythol.* ed. Galei. Amst. 1688, in-8°), qui hunc versum et sequentem, ut Alexandri, sed Ephesii, citat.

[8] In codice utroque et apud Galeum Fabriciumque legitur σ/οιχοῦσιν; apud Heraclitum προσέχουσι: unde Meineckius legendum recte censuit προχέουσι, et ipse tamen edidit προσέχουσι. Schowius (ad Heracliti *Alleg. homer.*) scribi malebat παρέχουσι. Schneiderus edidit σ/είχουσι.

[9] Sic cum Heraclito Meineckius, pro διασ/άσει ἄλλος ἐπ' ἄλλην, quod in utroque Theonis codice est. Voces ἐπ' ἄλλην procul dubio mutandæ sunt. De voce διασ/άσει nonnihil dubii superest, an servari possit. Galeus et Schneiderus ediderunt διασ/αδόν, quod Is. Vossius etiam malebat, Fabricio teste.

[10] In codice κατ' ἁρμονίαν.

τάχει τῆς φορᾶς ἡρμοσμένους καὶ συμφώνους φθόγγους ἀποτελεῖν. Ὅθεν καὶ ἐν τοῖς ἑφεξῆς φησιν Ἀλέξανδρος·

Fol. 8 *a*.

Γαῖα | *μὲν οὖν ὑπάτη τε βαρεῖα τε μεσόθι ναίει*[1]·
ἀπλανέων[2] *δὲ σφαῖρα συνημμένη ἕπλετο νήτη*[3]·
μέσσην δ' ἠέλιος[4] *πλαγκτῶν*[5] *θέσιν ἔσχ' ὑπὲρ*[6] *ἀσήρων*·
τοῦ δ' ἄπο δὴ ψυχρὸς[7] *μὲν ἔχει διὰ τέσσαρα*[8] *κύκλος*·
κείνου δ' ἡμίτονον φαίνων ἀνίῃσι χαλασθείς·
τοῦ δὲ τόσον[9] *φαέθων, ὅσον ὄβριμος*[10] *Ἄρεος*[11] *ἀσπὶς*·
ἠέλιος δ' ὑπὸ[12] *τοῖσι τόνον τερψίμβροτος*[13] *ἴσχει*·
αἰγλῆς δ' ἠελίοιο[14] *τριημίτονον Κυθερείη*[15]·

[1] Codex uterque habet *μεσήθι ναίη*.

[2] In Parisiensi *ἀπλανέων*, ut semper.

[3] In codice utroque legitur *νότης*. Galeus, Schneiderus et Meineckius edunt *νώτοις*, unanimi et pessima tamen conjectura. Scribendum *νήτη*, ut sensus expostulat, utque ex ipsissimis, quæ sequuntur, Theonis, vel potius Adrasti, verbis Alexandrum castigantis apertissime constat: *τὸν δὲ τῆς συνημμένης νήτης τῇ τῶν ἀπλανῶν ἀποδίδωσι σφαῖρα*.

[4] In Parisiensi codice legitur *μέσην δ' ἥλιος*. De Grotiani lectione Schneiderus silet. Schneiderum ipsum et Meineckium sequimur. In Næskii *Opusculis philologicis* (l. c.) legitur *μέσσον* (sic) *δ' ἠέλιος*, typographico, ut videtur, errore.

[5] Sic edunt Galeus et ceteri. Codex uterque habet *πλακτῶν*.

[6] Sic Galeus et ceteri. Codex uterque, pro *ἔσχ' ὑπέρ*, habet *ὑπέρσχεο*.

[7] Sic legitur in utroque codice et nihil mutandum. Nam in hoc quidem loco, etsi volente Schneidero, *ψυχρὸς κύκλος* esse non potest *ὁ κύκλος τοῦ Κρόνου*; id enim versu 15 refellitur, in quo *φαίνων* est nomen stellæ Saturni, non vero Jovis, ut Schneiderus somniat. Sed *ψυχρὸς κύκλος* est *ἡ χρυσάλλινη σφαῖρα* stellas inerrantes movens, quæ ideo frigida dicitur parum scito Alexandro, quia glacies (*χρύσταλλος*) frigida est. Male igitur

monicos et concinentes sonos efficere. Unde etiam in sequentibus ait Alexander :

Terra ergo *hypate* et gravis in medio habitat;
inerrantium sphæra fuit *nete synemmenon;*
meses Sol erratica positionem habuit super astra;
ab illo crystallinus est *diatessaron* circulus;
ex hoc autem semitonium Phænon remittit laxatus,
et ex ipso tantum Phaethon, quantum violentum Martis astrum;
Sol infra illos tonum mortales delectans obtinet;
a splendore autem Solis triplex semitonium Cytherea;

Nækius legendum putat τοῖο δ' ἀφ' ὑψιστος, vel τοῦ δ' ἀπο δὴ ὕψος.

[8] Sic Galeus et ceteri. Codex uterque habet διὰ τεσσάρων.

[9] Codex uterque habet τῷ δὲ τάσιν. Galeus et Schneiderus τῷ δὲ τόσον. Sed Schneiderus ipse dicit : Versum 16 non expedio. Nækius et Meineckius recte, τοῦ δὲ τόσον.

[10] In Parisiensi codice est ἕβριμος; in Grotiano ἐβριμος, Schneidero teste; apud Galeum et Meineckium ὀβριμος, quod ferri posse fatetur Nækius, ipse tamen scribens ὁμβριμος.

[11] In Parisiensi codice legitur Ἄρεως.

[12] Sic Galeus, Nækius et Meineckius. In codice Grotiano et apud Schneiderum legitur ἡέλιος ὑπό. In Parisiensi, ἡέλιος (sic) ὑπό.

[13] In codice Parisiensi legitur τερψίνβροτος (sic). In codicibus Vossiano et Grotiano legi suspicor τερψίνβροτον, exscribentis mendo; nam Galeus habet τερψίβροτον; Schneiderus, Nækius et Meineckius τερψίμβροτον. Malim τερψίμβροτος, inquit Meineckius. Sic legendum esse codicis Parisiensis lectione comprobatur.

[14] Sic Galeus et ceteri. In Parisiensi codice legitur δ' ἠελίοις ἡ; in Grotiano δ' ἠελίοις ἡ, Schneidero teste.

[15] In utroque codice et apud Schneiderum Nækiumque legitur Κυθερείης, silicet pro Κυθερείης ἀστήρ : quod ferri vix po-

ἡμίτονον δ' ὑπὸ τῇ σΊΙλϐων[1] Φέρεθ' Ἑρμείαο[2]·
τόσσον τε[3] χρωσθεῖσα Φύσιν πολυκαμπέα[4] μήνη·
κέντρου δ' ἠελίοιο Θέσιν διὰ [πεντ'] ἔλαχε χθών[5],
αὐτὴ πεντάζωνος, ὑπ' ἠέρι ἧς[6] Φλογόεν πῦρ,
ἁρμοσθεῖσ' ἀκτῖσι πυρὸς κρυεροῖσί τε πάχναις·
οὐρανὸς[7] ἑξάτονος[8] τόνον ἔσχεθε τὸν διὰ πασῶν[9].

test. Galeum et Meineckium sequi maluimus. Nækius ipse fatetur potius legendum esse Κυθερείη, vel Κυθέρεια, nisi in versus initio scripseris αἴγλη : quod minus placet. In Parisiensi codice, post τριημίτονον Κυθερείης, iterum legitur ἡμίτονον Κυθερείης, evidenti exscribentis errore.

[1] In utroque codice legitur ἡμίτονον ἀεὶ ὑποσΊΙλϐων (sic). Galeus et Schneiderus edunt ἡμίτονον δὲ ὑπὸ σΊΙλϐων. Nækium et Meineckium sequimur.

[2] Sic omnes edunt. In utroque codice est Ἑρμείας.

[3] Sic Schneiderus, Nækius et Meineckius. In utroque codice et apud Galeum est δέ.

[4] Uterque codex, Galeus et Schneiderus habent πολυκαμπΊέα, quod Nækius et Meineckius correxerunt.

[5] Uterque codex et Schneiderus habent κέντει δ' ἠελίοις Θέσιν διὰ (sic) ἔλαχε χθών. Schneiderus metrum, sed non sententiam, sanari posse dicit legendo : κέντρον δ' ἠελίοιο Θέσιν χθὼν ἔλλαχε δῖα. Galeus edit : κένσει (sic) δ' ἠελίοιο Θέσιν πάρα δῖα λάχε χθών. Nækium et Meineckium sequimur, qui ε, id est πέντ', ante ἔλαχε deesse intellexerunt : quod sequenti Theonis commentario apertissime confirmatur. Vide Notam Q.

[6] In Parisiensi codice, et verisimiliter in Grotiano, legitur ἀπηερίης. Galeus, Schneiderus et Meineckius edunt ἀπ' ἠερίης. Schneiderus nihil annotat, nisi se versum non intelligere, et post voces αὐτὴ πεντάζωνος multos versus de Terræ zonis deesse videri : quod falsum esse recte judicavit Meineckius, se tamen versum aperte mendosum sanare non posse confessus. Nækius

semitonio infra illam Stilbon fertur Mercurii,
tantumdemque colorata naturam varie flexibilem Luna;
centri vero a Sole positionem *diapente* sortita est Terra,
ipsa quinque zonas habens et cujus flammeus ignis infra aera est,
concinnata igniis radiis et pruinis glacialibus;
cœlum, sex tonos complectens, tonum habuit *diapason*.

silet. Procul dubio legendum, una tantum littera mutata, *ὑπ' ἠέρι ἦς*. Vide Notam o.

[7] Codex uterque habet *οὐρανόν*: quam vocem Galeus, Schneiderus et Meineckius servant, nec mutari vult Nækius, qui *οὐρανὸν* a *χθὼν* pendere dicit, nescio quo sensu. Virgulam Meineckius posuit inter *πάχναις* et *οὐρανόν*; sed versum non esse sanatum fatetur. Legendum *οὐρανός*, id jam suspicato Schneidero, et monstrante orationis contextu, sicut et Theonis, vel potius Adrasti, commentario; *οὐρανὸς* enim est inerrantium sphæra ceteras complectens, et acutissimum edens sonum, qui plenis sex tonis, id est *διὰ πασῶν* intervallo, a gravissimo differt. Vide Notam Q.

[8] In codice Parisiensi est *ἑξάτονον*, et in Grotiano atque apud editores omnes *ἑξάτονον*. Sed, mutata voce *οὐρανὸς* in *οὐρανόν*, legendum etiam *ἑξάτονος*, ut jam conjecerat Schneiderus. Vox sequens *τόνον*, quam omnes editores habent, exstat etiam in Parisiensi codice, in cujus margine recenti manu annotatum est eam in Ambrosiano deesse. In Grotiano scriptum est *ἑξάτονον* (*γρ. τόνον*), Schneidero teste.

[9] Schneiderus, probante Nækio, et Meineckius edunt *ἐσχεθε*. Codex Parisiensis habet *ἐσχεσθε*. De Grotiani lectione Schneiderus silet. Tum uterque codex et Schneiderus habent *τὼν διὰ πάντων*. Galeus edit: *τόνον ἐσχετ' ἐτῶν διὰ πάντων*. Schneideri conjecturam, quam ipse sequi non ausus fuerat, probante Nækio prævioque Meineckio et plene confirmante Theonis ipsius commentario, in textum recipere non dubitamus.

[25] Τοίην[1] τοι σειρῆν' ὁ[2] Διὸς παῖς ἥρμοσεν Ἑρμῆς,
ἑπλάτονον κίθαριν[3], Θεομήτορος[4] εἰκόνα κόσμου.

Ἐν[5] δὲ τούτοις τὴν μὲν τάξιν τῶν σφαιρῶν, ἣν βεβούληται, μεμήνυκε, τὴν δὲ διάστασιν αὐτῶν καὶ τὰ ἄλλα σχεδὸν πάντα φαίνεται εἰκῇ[6] πεποιῆσθαι. Τὴν γὰρ λύραν ἑπτάχορδον λέγων εἰκόνα κόσμου συστήσασθαι τὸν Ἑρμῆν καὶ ἐν τῇ διὰ πασῶν ἡρμοσμένην[7] συμφωνίᾳ[8], τὸ πᾶν ἐννεάχορδον[9] συνίστησιν, ἐξ μέντοι τόνους περιέχον[10]. Καὶ τὸν μὲν τῆς ὑπάτης φθόγγον ἀποδίδωσι τῇ γῇ, διότι βαρυτάτη τῶν ἄλλων ἐστὶν αὕτη· καίτοι, εἰ[11] ἐπὶ τοῦ μέσου ἐστὶν ἀκίνητος, οὐδ' ὅλως ποιεῖ φθόγγον. Τὸν δὲ τῆς συνημμένης νήτης τῇ[12] τῶν ἀπλανῶν[13] ἀποδίδωσι σφαίρᾳ[14], καὶ τούτων μεταξὺ ζ[15] τίθησι φθόγγους τοὺς τῶν πλανωμένων· Πάλιν τὸν τῆς μέσης ἀποδίδωσι τῷ ἡλίῳ, τῆς ὑπάτης οὔτε πρὸς τὴν μέσην διὰ πέντε συμφωνούσης, ἀλλὰ διὰ τεσσάρων, οὔτε πρὸς τὴν συνημμένην νήτην διὰ πασῶν, ἀλλὰ πρὸς τὴν διεζευγμένην. Τό τε πᾶν σύστημα οὔτε κατὰ διάτονον

[1] Codex uterque, Galeus et Schneiderus habent τοίνυν, quod in τοίην mutandum jam viderant Schneiderus et Nækius, ac τοίην Meineckius in textum recepit.

[2] Codex uterque, Galeus et Schneiderus habent σειρὴν ὁ. Jam vero Schneiderus legendum conjecerat σειρῆν' ὁ : quod probamus. Meineckius edit σειρῆνα : quod Nækius malebat.

[3] Sic omnes edunt. In Parisiensi codice legitur κίθαρην (sic).

[4] Codex uterque habet Θεομήτορος, quod in Θεομήστορος Meineckius frustra mutavit. Vide Notam P.

[5] Pro ἐν, in Parisiensi codice legitur εἰ. Vossianum et Grotianum apographa non ultra Alexandri versus pertingunt.

[6] In codice εἰκῇ.

Talem Sirena Jovis filius concinnavit Mercurius, septem tonos habentem citharam, divine sapientis imaginem mundi.

In quibus ille ordinem sphærarum, quem voluit, indicavit; intervalla vero illarum et cetera fere omnia eum finxisse liquet. Dicens enim septem chordarum lyram, mundi imaginem, a Mercurio compositam fuisse et in *diapason* consonantia concinnatam, deinde rerum universitatem novem chordis constituit, sex tamen tonos complectentem. Et *hypates* quidem sonum attribuit Terræ, quia ceteris omnibus gravior est[7]: quæ tamen, si in medio est immobilis, nullum omnino sonum edit. *Netes* autem *synemmenon* sonum inerrantium attribuit sphæræ, et inter hos duo ponit septem sonos erraticorum corporum. Tum *meses* sonum attribuit Soli; nec tamen *hypate* cum *mese* efficit *diapente* consonantiam[8], sed *diatessaron*, neque cum *nete synemmenon* consonantiam *diapason*[9], sed cum *nete diezeugmenon*. Nec totum systema secundum *diatonicum genus* concinnatur; non enim triplicis semitonii intervallum indi-

[7] In codice ἡρμοσμένη.
[8] In codice συμφωνία.
[9] In codice ἐννεάρχορδον.
[10] In codice περιέχων.
[11] In codice ἡ.
[12] In codice τήν.
[13] In codice ἀπλανῶν.
[14] In codice σφαίραν (sic).
[15] Pro τούτων μεταξὺ ζ, in codice legitur τοῦτο ζ' μεταξὺ δέ

γένος ἁρμόζεται· οὔτε γὰρ τριημιτονιαῖον[1] ἀσύνθετον, οὔτε πλείω ἑνὸς ἡμιτόνια κατὰ τὸ ἑξῆς ἐν τούτῳ μελῳδεῖται[2] τῷ γένει. Οὔτε μὴν ἐν χρώματι[3]· πάλιν γὰρ ἐν χρώ-
Fol. 8 b. ματι τόνος ἀσύνθετος | οὐ μελῳδεῖται[4]. Εἰ δὲ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν λέγει τις τοῖν γενοῖν εἶναι τὸ σύστημα, τό τε πλείω δύοιν κατὰ τὸ ἑξῆς ἡμιτόνια τάττεσθαι οὐδ' ὅλως[5] ἐστὶν ἐμμελές. Ἄλλα ταῦτα μὲν τοῖς ἀμυήτοις μουσικῆς ἐστιν ἄδηλα[6].

Ἐρατοσθένης δὲ τὴν μὲν διὰ τῆς Φορᾶς τῶν ἄστρων γινομένην ἁρμονίαν παραπλησίως ἐνδείκνυται· τὴν μέντοι τάξιν τῶν πλανωμένων οὐ τὴν αὐτήν, ἀλλὰ μετὰ σελήνην ὑπὲρ γῆς δευτέρου φησὶ φέρεσθαι τὸν ἥλιον. Φησὶ γὰρ ὡς Ἑρμῆς ἔτι[7] νέος, ἐργασάμενος τὴν λύραν, ἔπειτα πρώτως[8] εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνιὼν καὶ παραμείβων τὰ πλανᾶσθαι λεγόμενα, θαυμάσειε[9] τὴν διὰ τὴν ῥύμην τῆς Φορᾶς αὐτῶν γινομένην ἁρμονίαν [ὁμοίαν][10] τῇ ὑπ' αὐτοῦ κατεσκευασμένῃ[11] λύρᾳ· ἐν δὲ τοῖς ἕπεσι φαίνεται ὁ ἀνὴρ οὗτος τὴν μὲν γῆν ἑᾶν[12] ἀκίνητον, ἐν ᾗ[13] δὲ φθόγγοις ποιεῖ ὑπὸ τὴν τῶν ἀπλανῶν[14] σφαῖραν τὰς[15] τῶν πλανωμένων ἑπτά, καὶ πάσας

[1] Intellige διάστημα. Vox τριημιτονιαῖος in lexicis non invenitur; sed in illis est similis vox τριημιποδιαῖος.

[2] In codice μελωδεῖται.

[3] Pro ἐν χρώματι, in codice legitur χρῶμα τέ (sic), sine ἐν.

[4] In codice μελωδεῖται.

[5] In codice οὐδόλως, sicut et paulo supra, fol. 8 a.

[6] In codice ἀδηδα. De toto hoc loco vide Notam Q.

[7] In codice ἐστί.

[8] In codice est πρῶτος. Sed potius legendum πρώτως hic et in capite XIV. Vide Notam N. Chalcidius (fol. 26 a Ascensii, p. 156 Meursii) vertit *primitus*.

visum, neque plura uno semitonia ex ordine in hoc genere canuntur. Nec secundum *chroma;* nam rursus in chromate tonus indivisus non canitur. Si quis autem mixtum ex ambobus generibus dicat esse systema, tum etiam duobus plura ex ordine semitonia poni melodiæ nequaquam congruum est. Sed hæc quidem iis in obscuro sunt, qui musicæ initiati non fuerint.

Eratosthenes vero editam astrorum cursu harmoniam subsimilem in modum demonstrat; nec tamen errantium astrorum ordinem eumdem, sed post Lunam supra Terram secundum ait ferri Solem. Dicit enim Mercurium, juniorem adhuc, quum lyram fecisset, deinde prima vice in cœlum ascendentem, et per ea, quæ errare dicuntur, astra transeuntem, miratum esse quod cursus illorum impetu edita harmonia [similis] esset paratæ ab ipso lyræ; sed in epico carmine vir ille aperte videtur Terram sinere immobilem, et in sonis octo esse vult inerrantium sphæram et septem infra eam erraticarum stellarum sphæras, quas omnes circa Terram movet, et lyram facit octo chordas ha-

[9] In codice ϑανμάσοιε.

[10] Vox *ὁμοίαν* in codice deest; sed restituenda est, ut per sese liquet, et latine vertitur a Chalcidio (fol. 26 *a* Ascensii, p. 156 Meursii).

[11] In codice *κατεσκευασμένη*.

[12] In codice *ἐάν*.

[13] In codice *ῆ*. Sed est numerus *η*, id est 8. Vide Notam Q.

[14] In codice *ἀπλανῶν*.

[15] In codice *ταῖς*.

κινῶν περὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν λύραν ποιούμενος ὀκτάχορδον ἐν τῇ διὰ πασῶν συμφωνίᾳ[1], ὁ μουσικώτερος Ἀλεξάνδρου[2].

Οἱ μέντοι μαθηματικοὶ τὴν τάξιν τῶν πλανωμένων οὔτε ταύτην αὐτὴν πάντες τιθέασιν, ἀλλὰ μετὰ μὲν τὴν σελήνην τάττουσι τὸν ἥλιον, ὑπὲρ δὲ τοῦτον[3] ἔνιοι μὲν τὸν στίλβοντα, εἶτα τὸν Φωσφόρον, [ἄλλοι δὲ τὸν Φωσφόρον,][4] ἔπειτα τὸν στίλβοντα, τοὺς δὲ ἄλλους ὡς εἴρηται.

Τὰ ἐν τῇ Πολιτείᾳ περὶ τοῦ Παμφύλου μύθου[5].

Πλάτων δέ, ἐπὶ τέλει τῆς Πολιτείας, προτρέπων ἐπὶ δικαιοσύνην καὶ ἀρετήν, μύθον τινὰ διέξεισι, καὶ περὶ τῆς τῶν οὐρανίων διακοσμήσεως λέγων ἄξονα μέν τινα διὰ τοῦ πόλου διήκοντα, οἷον[6] κίονα, ἑτέραν δὲ ἠλακάτην καὶ ἄτρακτον, τοὺς δέ τινας περὶ τοῦτο κοίλους ἐν ἀλλήλοις ἡρμοσμένους σφονδύλους τὰς τῶν ἄστρων σφαίρας, ζ μὲν τῶν πλανωμένων, ἐκτὸς[7] δὲ πρώτην [τὴν][8] τῶν ἀπλανῶν[9] ἐντὸς αὐτῆς περιέχουσαν τὰς ἄλλας· δηλοῖ δὲ τὴν τάξιν

[1] In codice *συμφωνία*.

[2] In Parisiensi codice legitur ὁ *μουσικώτατος* Ἀλέξανδρος, et sic legisse Vossium annotavit Grotius, Schneidero teste. Liquet vero laudari, non Alexandrum, qui Theoni ut musicæ imperitus reprehenditur, sed Eratosthenem: quippe qui aliter atque Alexander cœlestem harmoniam constituebat, volebatque lyræ et mundanæ musicæ octo esse sonos, quos novem esse Alexander voluerat. Ergo procul dubio legendum ὁ *μουσικώτερος* Ἀλεξάνδρου. Vide *Dissertationis* nostræ part. II, c. III, § 12. Hunc locum Chalcidius omisit. Vide *Diss.* part. II, c. I, § 5.

[3] In codice *τούτων*.

[4] Uncis inclusa in codice non sunt, sed evidenter librarii

bentem in *diapason* consonantia, musicæ magis peritus ille quam Alexander.

Mathematici vero errantium astrorum ordinem neque eum ipsum omnes esse ponunt; sed post Lunam quidem collocant Solem, super illum vero aliqui Stilbontem, deinde Phosphorum, [alii Phosphorum,] deinde Stilbontem, tum cetera ut dictum est.

[CAPUT XVI.]

QUÆ IN REPUBLICA LEGUNTUR DE PAMPHYLI FABULA.

Plato, in fine *Reipublicæ*, hortans ad justitiam et virtutem, fabulam narrat, in qua etiam, quod ad cœlestium corporum ordinationem spectat, de axe quodam loquitur, qui polum pertransit, tanquam columna, aliam autem fusi virgam dicit ac fusum ipsum, et aliquos circa eum cavos alios aliis involutos spondylos, qui sunt astrorum sphæræ, septem scilicet errantium, et extrinsecus prima inerrantium sphæra intra se continens alias : monstrat autem sphærarum ordinem, tum per magnitudinem astrorum cujusque, tum per

culpa propter *ὁμοιοτέλευτον* omissa sunt. Chalcidius (fol. 26 *a* Ascensii, p. 157 Meursii) inacurrate et falsum in modum hæc ita vertit : « Ultra hunc (Solem) autem quidam Mercurium, « quidam autem alium aliquem ex residuis collocant. »

[5] In codice titulus hic textui sine ullo discrimine insertus est.

[6] In codice *οἳ*, pro *οἷον*, et mox *ἡλεκάτην*, pro *ἡλακάτην*.

[7] In codice *ἕκτον*.

[8] In codice non est *τήν*.

[9] In codice *ἀπλανῶν*; et mox *αὐτῆς*, pro *αὐτῆς*.

τῶν σφαιρῶν διά τε τοῦ μεγέθους τῶν ἄστρων ἑκάστου, καὶ διὰ τοῦ χρώματος ἑκάστου, καὶ ἔτι διὰ τοῦ τάχους τῆς
Fol. 9 a. ἐπὶ | τὰ ἐναντία τῷ παντὶ φορᾶς, λέγων οὕτως·

« Ἐπειδὴ δὲ τοῖς ἐν τῷ λειμῶνι ἑκάστοις ἑπτὰ ἡμέραι « γένοιντο[1], ἀναστάντας ἐντεῦθεν δεῖν τῇ ὁγδόῃ ἐκπορεύε- « σθαι[2], καὶ ἀφικνεῖσθαι τεταρταίους[3], ὅθεν καθορᾷν[4] ἄνωθεν « διὰ παντὸς τοῦ οὐρανοῦ καὶ γῆς τεταμένον[5] φῶς εὐθύ, οἷον « κίονα, μάλιστα τῇ ἴριδι ἐμφερές[6], λαμπρότερον δὲ καὶ « καθαρώτερον, εἰς ὃ ἀφικνεῖσθαι[7] προελθόντας ἡμερησίαν « ὁδόν, καὶ ἰδεῖν[8] αὐτόθι κατὰ μέσον τὸ φῶς ἐκ τοῦ οὐρα- « νοῦ τὰ ἄκρα[9] τῶν δεσμῶν τεταμένα[10]. Εἶναι γὰρ τοῦτο « τὸ[11] φῶς σύνδεσμον τοῦ οὐρανοῦ, οἷον τὰ ὑποζώματα τῶν « τριηρῶν, οὕτω πᾶσαν[12] συνέχων τὴν περιφοράν· ἐκ δὲ « τῶν ἄκρων τεταμένον Ἀνάγκης[13] ἄτρακτον, δι' οὗ πάσας « ἐπιστρέφεσθαι τὰς περιφοράς[14]· οὗ τὴν μὲν ἡλακάτην[15] « καὶ τὸ ἄγκιστρον εἶναι ἐξ ἀδάμαντος, τὸν δὲ σφόνδυλον « μικτὸν ἐκ[16] τούτου καὶ ἄλλων· τὴν δὲ τοῦ[17] σφονδύλου

[1] In codice *ἡμέρας γένοιτο*. In Platone, qualem ediderunt Baiterus, Orellius et Winckelmannus (Turici, 1839, in-4°), *ἡμέραι γένοιντο*. Menda, quæcumque in Parisiensi Theonis codice evidentia sunt, hic notamus, sed in textu ad optimam editionem illam Platonis corrigimus. Lectiones vero eas, quæ sanæ et antiquæ esse possint, servamus in textu, tanquam e Platonis exemplari ortas, quod Theon ante oculos habuit. De toto hoc Platonis loco, vide Notam B.

[2] Sic legitur in Theonis codice, sed in Platone *πορεύεσθαι*

[3] In codice *ἢ τεταρτέους*.

[4] In codice *καθαράν*.

[5] In codice *τεταγμένον*.

cujusque colorem, tum etiam per celeritatem contrarii universo motus, sic loquens :

« Postquam autem in prato cuique septem dies ef-
« fluxerint, inde surgentes oportere octavo die profi-
« cisci, et quarto die ad locum pervenire, unde vident
« superne per totum cœlum et terram extensum lumen
« rectum, tanquam columnam, iridi maxime simile,
« sed clarius et purius, ad quod perveniunt unius diei
« itinere, et ibi se vidisse medio in lumine extrema vin-
« culorum e cœlo tensa. Esse enim lumen illud cœli vin-
« culum, quemadmodum transtris triremes continen-
« tur, sic totum continens circuitum. Ab extremis autem
« extensum esse Necessitatis fusum, per quem omnes
« circuitus volvi ; cujus virgam et cuspidem esse ex ada-
« mante, ac spondylum mixtum ex hac materia et aliis;

[6] In Platonis ed. Turicensi est προσφερῆ; sed in Theonis codice ἐμφερές, et in uno Platonis est προσφερές. Neutrum genus melius est, immo solum rectum est. Adjectivum enim ad φῶς refertur.

[7] Sic in Theonis codice. In Platone est ἀφικέσθαι.

[8] In codice δεῖν.

[9] Post ἄκρα, vox αὐτοῦ, quæ in Platone est, abest a Theone.

[10] In codice τεταμένα.

[11] In codice εἶναι. τοῦτο γὰρ φῶς.

[12] In codice οὗτος πᾶς.

[13] In codice τεταμένον ἀνάγκαις.

[14] In codice περιφεράς.

[15] In codice ἡλεκάτην.

[16] Post ἐκ, in Platone est τε.

[17] In codice, pro τοῦ, legitur iterum τήν.

« φύσιν εἶναι τοιάνδε· τὸ μὲν σχῆμα, οἷανπερ[1] τοῦ ἐνθάδε·
« νοῆσαι δὲ δεῖ, ἐξ ὧν ἔλεγε, τοιόνδε αὐτὸν εἶναι, ὥσπερ
« ἂν εἰ ἐν[2] ἑνὶ μεγάλῳ σφονδύλῳ κοίλῳ[3] καὶ ἐξεγλυμμένῳ[4]
« διαμπερὲς ἄλλος τοιοῦτος ἐλάττων[5] ἐγκέοιτο[6] ἁρμόττων
« καθάπερ οἱ κάδοι εἰς ἀλλήλους ἁρμόττοντες· καὶ οὕτω δὲ
« τρίτον ἄλλον καὶ τέταρτον καὶ ἄλλους τέτταρας· ὀκτὼ γὰρ
« εἶναι τοὺς σύμπαντας σφονδύλους ἐν ἀλλήλοις ἐγκειμέ-
« νους, κύκλους ἄνωθεν τὰ χείλη φαίνοντας, νῶτον συνεχὲς
« ἑνὸς σφονδύλου[7] ἀπεργαζομένους περὶ τὴν ἠλακάτην·
« ἐκείνην δὲ διὰ[8] μέσου τοῦ ὀγδόου διαμπερὲς ἐληλάσθαι·
« τὸν μὲν οὖν πρῶτόν τε καὶ[9] ἐξωτάτω σφόνδυλον τανυτά-
« τατον τὸν τοῦ χείλους κύκλον ἔχειν, τὸν δὲ τοῦ ἕκτου
« δεύτερον[10], τρίτον δὲ τὸν τοῦ τετάρτου, τέταρτον δὲ τὸν
« τοῦ ὀγδόου, πέμπτον δὲ τὸν τοῦ ἑβδόμου, ἕκτον δὲ τὸν
« τοῦ πέμπτου, ἕβδομον δὲ τὸν τοῦ τρίτου, ὄγδοον δὲ τὸν
« τοῦ δευτέρου· καὶ τὸν μέν τοῦ μεγίστου[11] ποικίλον, τὸν
« δὲ τοῦ ἑβδόμου λαμπρότατον, τὸν δὲ τοῦ ὀγδόου χρῶμα[12]
« ἀπὸ τοῦ ἑβδόμου ἔχειν πρὸς λάμποντος, τὸν δὲ τοῦ δευτέ-
Fol. 9 b. « ρου καὶ πέμπτου παραπλήσια ἀλλήλοις, ξανθότερα ἐκεί-

[1] Pro *οἷαπερ ἡ*, quod in Platone est, in Theonis codice est vox *οἷανπερ*, compendiose scripta. Vide Tabulam B, n° 31. Vox *οἷανπερ*, per *attractionem*, legitima est.

[2] Pro *ἂν εἰ ἐν*, quod in Platone est, in Theonis codice est *γὰρ ἂν*.

[3] In codice *κύλῳ*.

[4] In codice *ἐγκεγκλυμένῳ*. In Platone *ἐξεγλυμμένῳ*. Vox *ἐγγεγλυμμένῳ* ad codicis lectionem magis accederet. Sed *διπλασιασμὸς* in hac voce vix græcus foret.

[5] In codice *ἄλλως τοιοῦτος ἐλάττων*.

« et spondyli naturam esse hujusmodi : secundum figu-
« ram quidem, qualis in nostris fusis cernitur ; intelligi
« tamen oportet, ex iis quæ ille dicebat, perinde eum
« se habere, ac si in uno magno cavoque spondylo et
« cælatura perforato similis alius minor inesset sic con-
« gruens, ut cadi qui alii aliis inseruntur ; atque ita ter-
« tium et quartum et quatuor alios ; octo enim esse
« omnes simul spondylos insertos invicem, circulis si-
« milia superne labia ostendentes et dorsum continuum
« unius spondyli circum fusi virgam efficientes ; hanc
« autem per octavi medium ab una parte ad alteram
« esse trajectam. Primi igitur extimique ejusdem spon-
« dyli latissimum esse labii circulum ; sexti, secundum
« latitudine ; quarti, tertium ; quartum, octavi ; quin-
« tum, septimi ; sextum, quinti ; septimum, tertii ; se-
« cundique, octavum ; atque maximi circulum esse vario
« colore ; septimi, splendidissimum ; octavi, eum esse,
« qui a septimo irradiante colorem accipiat ; secundi et
« quinti, similes inter se, flaviores prioribus habere co-
« lores ; tertium candidissimum esse colore ; quartum

[6] In codice ἐλικόιτο.

[7] In codice σφονδύλους.

[8] In codice διὰ δέ.

[9] In codice τε ἐξωτάτῳ (sic), sine καί.

[10] In codice τὸν δὲ ἐκ τοῦ δευτέρου.

[11] Pro μεγίστου, in codice est πέμπτου : quod aperte mendosum. Vide Notam B.

[12] In Platone est τὸ ante χρῶμα.

« νων, χρώματα[1], τρίτον δὲ λευκότατον χρῶμα ἔχειν, τὸν « τέταρτον ὑπέρυθρον[2], δεύτερον[3] λευκότητι τὸν[4] ἕκτον· « κυκλεῖσθαι δὲ δὴ[5] σλρεφόμενον τὸν ἄτρακτον ὅλον μὲν τὴν « αὐτὴν φοράν[6], ἐν δὲ [τῷ][7] ὅλῳ περιφερομένῳ τοὺς ἐντὸς « ἑπτὰ κύκλους τὴν ἐναντίαν τῷ ὅλῳ ἠρέμα περιάγεσθαι[8], « αὐτῶν δὲ τούτων τάχισλα μὲν ἰέναι τὸν ὄγδοον, δευτέρους « δὲ καὶ ἅμα ἀλλήλοις ἰσοταχῶς[9] τόν τε ἕβδομον καὶ τὸν ἕκ- « τον καὶ τὸν[10] πέμπτον· τρίτον[11] δὲ φορᾷ ἰέναι, ὡς σφίσι[12] « φαίνεσθαι, ἐπανακυκλούμενον μάλισλα τῶν ἄλλων [τὸν « τέταρτον][13], τέταρτον δὲ [τὸν][14] τρίτον, καὶ πέμπτον τὸν « δεύτερον· σλρέφεσθαι δὲ αὐτὸν ἐν τοῖς τῆς Ἀνάγκης γό- « νασιν· ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων, αὐτοῦ ἄνωθεν, ἐφ' ἑκάσλου βε- « βηκέναι Σειρῆνα συμπεριφερομένην, φωνὴν μίαν ἱεῖσαν, « ἕνα τόνον[15]· ἐκ πασῶν [δὲ][16] ὀκτὼ οὐσῶν [μίαν][17] ἁρ- « μονίαν συμφωνεῖν. »

[1] Vox χρώματα in Platone non est.

[2] Sic in Theonis codice. In Platone, sine τόν, legitur τέταρτον δὲ ὑπέρυθρον. In sequioribus Platonis editionibus, ὑπερέρυθρον.

[3] In Platone δεύτερον δέ.

[4] Pro λευκότητι τόν, in Theonis codice legitur λευκότατον. Nec in Theonis codice, nec in Turicensi editione Platonis, post ἕκτον, legitur ὑπερβάλλειν, quæ vox in novem etiam Platonis codicibus non invenitur, et sensum turbat, omninoque delenda est.

[5] In Theonis codice legitur κυλίεσθαι (sic) δέ, sine δή.

[6] Post φοράν, in codice legitur τῷ κόσμῳ. Sed id nota esse videtur, e margine in textum translata.

[7] In codice deest τῷ.

[8] In Platone est περιφέρεσθαι.

[9] In Platone non est ἰσοταχῶς, et id esse potest nota e margine in textum translata.

« subrubeum, et sextum esse albedine secundum. Ac « fusum quidem volutum circumferri totum uno eo- « demque motu; sed in toto sese volventi septem inte- « riores circulos motu totius motui contrario lente « circumverti; ipsorumque horum celerrime ferri oc- « tavum; secundos et invicem æquos celeritate esse sep- « timum, sextum et quintum; celeritate vero tertium « ferri, ut ipsis quidem visum est, quartum, qui retro « sese circumfert magis quam ceteri omnes; celeritate « autem quartum esse tertium, et secundum esse celeri- « tate quintum; fusum autem in Necessitatis genibus « volvi, et in superna ipsius parte circulorum cuique « insidere Sirena cum ipso circumvolutam, quæ vocem « unam, tonum unum edit, et ex omnibus, octo nu- « mero, [unam] harmoniam concinere. »

[10] In Platone *καὶ ἕκτον καὶ πέμπτον*.

[11] Ante *τρίτον*, in Platone legitur *τόν*, quod a Theonis codice et a tribus ipsius Platonis abest, et sine quo sententia magis elucet. Non enim de spondylorum supra enumeratorum tertio agitur, sed de quarto, qui *celeritate tertius* esse dicitur. Satius ergo videatur *τὸν* in Platone delere.

[12] In codice *ὃν φασι*.

[13] Voces *τὸν τέταρτον*, quæ sunt in Platone, male apud Theonem desunt. Voces *μάλιστα τῶν ἄλλων*, contra, non sunt in Platone, sed forsitan addendæ sunt, et certe sententiæ prosunt. Vide Notam R.

[14] In Theonis codice male deest articulus *τόν*, qui in Platone est.

[15] In codice *ἐνάτονον* (sic).

[16] In codice deest *δέ*.

[17] In codice deest *μίαν*. Vide Notam R.

Ταῦτα μὲν οὖν καὶ ὁ Πλάτων· ὧν τὴν ἐξήγησιν[1] ἐν τοῖς [περὶ][2] τῆς Πολιτείας ποιούμεθα ὑπομνήμασιν. Κατεσκευάσθαι[3] δ' ἡμῖν καὶ σφαιροποιΐα κατὰ τὰ εἰρημένα· καὶ γὰρ αὐτός φησιν ὁ Πλάτων ὅτι τὸ ἀνευ τῶν δι' ὄψεως[4] μιμημάτων[5] τὰ τοιαῦτα ἐθέλειν ἐκδιδάσκειν, μάταιος πόνος. Ἐπὶ δὲ τῶν κύκλων φησὶν[6] ἑφεστάναι Σειρῆνας· ἃς[7] οἱ μὲν αὐτούς [φασι][8] λέγεσθαι τοὺς πλανήτας, ἀπὸ τοῦ σειριάζειν· κοινῶς τε γάρ, φησὶν ὁ Ἄδραστος, πάντας τοὺς ἀστέρας οἱ ποιηταὶ σειρίους[9] καλοῦσιν, ὡς Ἴβυκος·

> Φλεγέθων, ἅπερ[10] τὰν[11] νύκτα μακρὰν
> σείρια παμφανόωντα.....

καὶ κατὰ διαφορὰν ἔνιοι τοὺς λαμπροὺς καὶ ἐπιφανεῖς, ὡς Ἄρατος τὸν τοῦ κυνὸς ὀξέα σειριάειν[12] φησί, καὶ ὁ τραγικὸς ἐπί τινος τῶν πλανήτων.

> Τί ποτ' ἄρ'[13] ἀστὴρ ὧδε πορθμεύει
> σείριος;

Ἔνιοι δὲ Σειρῆνας[14] οὐ τοὺς ἀστέρας λέγεσθαί φασιν, ἀλλά,

[1] In codice legitur ἐξήτησιν.

[2] In codice deest περί.

[3] In codice κατεσκεύασθαι.

[4] In Platone (*Tim.* p. 40 D) legimus: ,..... τὸ λέγειν ἀνευ διὰ ψεως τούτων αὖ τῶν μιμημάτων, μάταιος ἂν εἴη πόνος. Servandam tamen credimus in Theone lectionem δι' ὄψεως, quæ sola ibi convenit, ubi est. Et certe auctor Platonis dictum illud, memoriter referens, valde mutavit.

[5] Post μιμημάτων, in codice iterum legitur τῶν.

[6] In codice φασίν.

[7] In codice deest ἃς: quæ vox librario vocis Σειρῆνας ultima syllaba esse videri potuit.

Hæc ergo etiam Plato : quorum interpretationem nos in *Commentariis de Republica* exponimus. Parata est etiam a nobis *Sphæræ constructio* secundum ea quæ dicta sunt. Etenim ipse dicit Plato, si quis sine imitationibus, quæ ad visum fiunt, hæc voluerit docere, vanum esse laborem. Circulis autem dicit insidere Sirenas, quas nonnulli ipsas aiunt dici erraticas stellas, a voce *σειριάζειν*. Communiter enim astra omnia poetæ vocant *σείρια*, ut Ibycus :

> Ardens, sicut per longam noctem
> *σείρια* omnino fulgentia.....

et singulariter aliqui fulgida et illustria, ut Aratus Canis astrum dicit *ὄξεα σειριάειν*; et tragicus de quadam erratica stella :

> Quid ergo astrum illud affert
> *σείριον*?

Aliqui autem Sirenas non astra dici contendunt, sed,

[8] In codice hic deest *φασι*, paulo ante male positum pro *φησίν*.

[9] In codice *σειρόους*. Vide Notam s.

[10] In codice est *ἅπερ*, quod metri causa mutavimus. Versus hic enim est anapæsticus spondæos admittens. Sequitur versus dactylici, aut anapæstici dactylos admittentis, initium.

[11] In codice *τά*. Doricam esse dialectum non intellexit librarius, versus, prosæ orationis instar, continuans.

[12] In codice *ὀξεία* (sic) *σειριᾶν*. Sed ipsa Arati verba sunt: *ὀξέα σειριάει*. Vide *Phænomena*, v. 332.

[13] Pro *ἀρ'*, in codice legitur *ἀρα ὁ*. Versus anapæsticus est, in primo loco tribrachum habens pedem.

[14] In codice *σειρίους*.

κατὰ τὸ πυθαγορικόν, τοὺς ἀπὸ τῆς τούτων Φορᾶς γινομένους ἤχους καὶ φθόγγους ἡρμοσμένους καὶ συμφώνους, ἐξ ὧν μίαν ἡρμοσμένην ἀποτελεῖσθαι φωνήν.

Fol. 10 a. Τί ἐστιν ὑπόλειψις[1] καὶ προήγησις, σληρυγμὸς καὶ ἀναποδισμός;

Τῶν δὲ πλανωμένων, φησὶν ὁ Ἄδραστος, τὰ μέν ἐστιν ἀεὶ ὑπολειπλικά, ὡς ἥλιος[2] καὶ σελήνη· ταῦτα γὰρ οὐδέν ποτε[3] εἰς τὰ προηγούμενα τῶν ζωδίων μεταβαίνει, ἀλλὰ πάντοτε ὁρᾶται μεταβαίνοντα εἰς τὰ ἑπόμενα· διόπερ οὐδὲ σληριγμούς, οὐδὲ ἀναποδισμοὺς ποιεῖται. Τὰ δὲ καὶ προηγεῖται καὶ ὑπολείπεται, καθάπερ τὰ ἄλλα· διόπερ ἀναγκαίως καὶ σληρίζοντά ποτε φαίνεται, καὶ ἀναποδίζοντα.

Τί ἐστιν ὑπόλειψις[4];

Ἔστι γὰρ ὑπόλειψις[5] μὲν φαντασία πλανῆτος ὡς εἰς τὰ ἑπόμενα τῶν ζωδίων καὶ πρὸς ἀνατολὰς ἀπιόντος, ὥς φησιν ὁ Ἄδρασλος· ὡς δὲ ὁ Πλάτων φησίν, οὐ φαντασία, ἀλλὰ τῷ ὄντι μετάβασις πλανῆτος εἰς τὰ ἑπόμενα ζώδια ἐπ' ἀνατολὰς[6] ἀπιόντος κατὰ τὴν ἰδίαν κίνησιν, οἷον ἀπὸ Καρκίνου[7] εἰς Λέοντα.

[1] In codice ὑπόλησις. Titulus hic post vocem φωνήν, puncto tantum interposito, sequitur. Post titulum autem demum ad aliam lineam transitur, cujus prima littera τ rubra est.

[2] In codice ὡς φ' ἥλιος.

[3] Sic in codice. Forte legendum οὐδέ ποτε. Chalcidius (fol. 26 *b* Ascensii, p. 157 Meursii) vertit *nunquam*. Sed οὐδέν ποτε, *nihil unquam*, servari potest.

[4] Titulus hic, cujus prima littera rubra est, cum capite se-

secundum pythagoricam doctrinam, illorum motu editos sonos concinnos et consonantes, e quibus unam effici concinnam vocem.

[CAPUT XVII.]

QUID SINT PONE RELICTIO, AD ANTECEDENTIA MOTUS, STATIO ET RETROCESSUS.

Erraticorum astrorum, inquit Adrastus, quædam sunt semper pone relicta, ut Sol et Luna, quæ nunquam in antecedentia signa transeunt, sed semper transeuntia videntur in sequentia signa : quare neque stationes, neque retrocessus faciunt. Quædam autem et ad antecedentia moventur et ad sequentia, nempe cetera erratica omnia : quare necessario et stantia aliquando videntur et retrogredientia.

[CAPUT XVIII.]

QUID SIT PONE RELICTIO.

Est enim *pone relictio* species erratici astri tanquam ad sequentia signa et orientem versus abeuntis, ut Adrastus loquitur : ut loquitur autem Plato, non species, sed reipsa transitio erratici astri in sequentia signa ad orientem abeuntis proprio sibi motu, exempli causa a Cancro in Leonem.

quenti eadem continuatur linea. De scripturæ compendio in voce *ὑπόλειψις*, vide Tabulam B, n° 40 *a*.

[5] In codice vox *ἀπόλημψις* compendiose scripta. Vide Tabulam B, n° 40 *b*.

[6] In codice *ἐπανατολάς*. — [7] In codice *μαρκίνου*.

Τί ἐστι προήγησις[1];

Προήγησις δέ ἐστι[2] φαντασία πλανῆτος ὡς ἐπὶ τὰ προηγούμενα καὶ ἐπὶ δυσμὰς μεταβαίνοντος, οἷον ἀπὸ Καρκίνου εἰς Διδύμους.

Τί ἐστι στηριγμός[3];

Στηριγμὸς δέ ἐστι φαντασία πλανῆτος ὡς ἐπὶ πλέον ἑστῶτος καὶ μένοντος παρά τινι[4] τῶν ἀπλανῶν[5].

Τί ἐστιν ἀναποδισμός[6];

Ἀναποδισμὸς δέ ἐστι φαντασία πλανῆτος ὑποστροφῆς ἀπὸ στηριγμοῦ ὡς ἐπὶ τὰ ἐναντία τῇ προσθεν[7] κινήσει. Τὰ δὲ τοιαῦτα[8] ἡμῖν φαίνεται γίνεσθαι, οὐ μὴν οὕτως ἐπιτελεῖται· τούτου δ' αἴτιον τὸ κατὰ ἰδίου τινὸς κύκλου[9] ἢ ἐν ἰδίᾳ σφαίρᾳ[10] φερόμενον ἕνα τῶν[11] πλανωμένων, κατωτέρω τῶν ἀπλανῶν[12], ἡμῖν διὰ τὴν ἐπιπρόσθησιν[13] δοκεῖν κατὰ τὸν ζωδιακὸν φέρεσθαι κύκλον ἐπάνω κείμενον· ὡς καὶ περὶ

[1] Titulus hic, ut prior.
[2] In codice ἐστιν.
[3] Titulus hic, ut priores duo.
[4] In codice τινα.
[5] In codice ἀπλανῶν.
[6] Titulus hic, ut priores tres.
[7] In codice προσθέσει.
[8] In codice τὰ δὲ ταῦτα, quod græcum non est.
[9] Genitivum mutari non oportet; nam similiter sub finem sequentis capitis legitur κατ' ἰδίων τινῶν κύκλων, et in capite XXV, κύκλοις....., καθ' ὧν φέροντας, etc.

[CAPUT XIX.]

QUID SIT AD ANTECEDENTIA MOTUS.

Motus ad antecedentia est species erratici astri tanquam ad antecedentia signa occidentem versus abeuntis, exempli causa a Cancro ad Geminos.

[CAPUT XX.]

QUID SIT STATIO.

Statio est species erratici astri, tanquam diutius stantis et manentis prope aliquam inerrantium stellarum.

[CAPUT XXI.]

QUID SIT RETROCESSUS.

Retrocessus est species erratici astri regressionis a statione in contrariam motui priori partem. Talia autem fieri videntur, nec vero ita perficiuntur : cujus rei hæc est causa, quod, per proprium quemdam circulum aut in propria sphæra sese movens quæque errantium stellarum infra inerrantes, nobis propter obstantiam videtur secundum zodiacum ferri circulum, qui supra situs est : quemadmodum etiam de his defi-

[10] In codice *ἐν ἰδία σφαῖρᾳ*.

[11] In codice *ἕνατον*.

[12] In codice *ἀπλανῶν*.

[13] In codice legitur *ἐπιπρόσθεσιν* : quod a re alienum est. Chalcidius (fol. 26 *b* Ascensii, p. 158 Meursii) vertit : *objectu aerii corporis impediente aspectum*. Sententiam ergo non intellexit, sed recte legit *ἐπιπρόσθησιν*. Vide Notam T.

τούτων διορίζει ὁ Ἄδρασ̣τος, εἰς τὸ τὴν διαφορὰν τῶν περὶ τοὺς πλανήτας ὑποθέσεων φανερὰν γίνεσθαι, αἷς ἕπεται τὰ φαινόμενα.

Περὶ τῆς τῶν ὅλων διακοσμήσεως καὶ τῆς ὑπὸ σελήνην[1] ἀταξίας.

Φησὶ δ' ὅτι ὁ μὲν πᾶς κόσμος, τοιοῦτός τε καὶ ἐκ τοσούτων καὶ
Fol. 10 b. | τοιούτων συνεσ̣τηκώς, οἵων καὶ ὅσων διειλόμεθα, φερόμενός[2] τε φορὰν ἐγκύκλιον καὶ τοῦ σφαιρικοῦ σχήματος οἰκείαν, ὑπὸ τοῦ πρώτου [κινεῖται][3]. ὅθεν καὶ κατεσκευάσθη τοῦ βελτίσ̣του καὶ ἀρίσ̣του χάριν. Πρὸς δὲ τὴν χρόνου διαρίθμησιν καὶ τὴν τῶν περιγείων καὶ ἀπογείων μεταβολήν, ἐγένετο ἡ τῶν πλανωμένων φορὰ ποικίλη τις ἤδη συνεσ̣τηκυῖα[4], ὥσ̣τε ἀκολουθεῖν αὐτῇ τὸ ἐνταῦθα· ταῖς γὰρ τούτων τροπαῖς προσιόντων καὶ ἀπιόντων συμμεταβάλλει καὶ τἀνταῦθα[5] πάντοίως. Τῶν μὲν γὰρ ἀπλανῶν[6] ἁπλῆ καὶ μία φορὰ κύκλῳ, τεταγμένη τε καὶ ὁμαλῆ. Τῶν δὲ ἄλλων πλανωμένων κυκλικὴ μέν, οὐ μὴν ἁπλῆ δοκεῖ καὶ μία, οὐδὲ ὁμαλὴ καὶ τεταγμένη. Τῶν δ' ὑπὸ σελήνην καὶ περὶ ἡμᾶς καὶ μέχρις ἡμῶν πᾶσα μεταβολὴ καὶ κίνησις, καί, καθάπερ φησίν,

Ἔνθα Κότος τε Φόνος τε[7] καὶ ἄλλων ἔθνεα Κηρῶν.

[1] In codice σεληνῶν, litteris ῶν compendiose scriptis. Cf. Tabulam B, n° 16.

[2] In codice φερόμενοι.

[3] In codice deest κινεῖται. Voces ὑπὸ τοῦ πρώτου Chalcidius omisit. Vide Notam U, in qua, quid sit τὸ πρῶτον, indicatur.

[4] In codice συνεσ̣τηκεῖα.

[5] Pro τἀνταῦθα, quod mox in codice recte scriptum inveniemus, hic legitur τὰ κατ' αὐτά, quod sensu caret. Vide Notam V.

nit Adrastus, eo ut evidens fiat differentia hypotheseon, cum quibus phænomena congruunt.

[CAPUT XXII.]

DE UNIVERSI ORDINATIONE ET DE CONFUSIONE INFRA LUNAM.

Dicit vero mundum totum, quum talis sit atque e tot et talibus compositus, quot et qualia enumeravimus, moveaturque motu circulari et sphæricæ formæ proprio, a *primo* moveri : quocirca etiam paratus est optimi et præstantissimi causa. Sed ad temporis numerationem et minimarum maximarumque a Terra distantiarum mutationem factus est erraticorum astrorum motus ita varie jam compositus, ut illum sequerentur quæ hic fiunt. Etenim illorum conversionibus venientium aut abeuntium simul etiam mutantur quæ hic fiunt omnimodo. Nam inerrantium simplex et unus motus circularis, ordinatus et semper æquabilis; aliorum autem, id est erraticorum, circularis quidem, nec vero simplex aut unus, nec semper æqualis et ordinatus. Sed infra Lunam, circa nos et usque ad nos, omnis est mutatio omnisque motus, et, ut ille dicit,

Ibi Invidia Cædesque et ceterorum genera Fatorum.

[6] In codice ἀπλανῶν.

[7] Versus hic, a Theone atque a Proclo (*In Cratyl.* p. 103) sine auctoris nomine allatus, Empedoclis est, testibus, præter Proclum alio loco (Comm. *in Remp.* ined., in Maii *Class. auct.* t. I, p. 363), Hierocle (*In aur. Carm.* p. 186 ed. Needham) et Synesio (*De Provid.* I, p. 89 D, et *Ep.* 148, p. 283), quorum hic

Καὶ γὰρ γένεσις καὶ φθορὰ περὶ πάντα τἀνταῦθα, καὶ αὔξησις καὶ μείωσις, ἀλλοίωσίς τε παντοία, καὶ ἡ κατὰ τόπον ποικίλη Φορά. Τούτων δέ, φησίν, αἴτια τὰ πλανώμενα τῶν ἄστρων. Ταῦτα δὲ λέγοι[1] τις ἄν, οὐχ ὡς τῶν τιμιωτέρων καὶ θείων καὶ ἀϊδίων ἀγεννήτων τε καὶ ἀφθάρτων ἕνεκα τῶν ἐλαττόνων καὶ θνητῶν καὶ ἐπικήρων φυτῶν, ἀλλ' ὡς ἐκείνων μὲν διὰ τὸ κάλλιστον καὶ ἄριστον καὶ μακαριώτατον ἀεὶ οὕτως ἐχόντων, τῶν δὲ ἐνταῦθα κατὰ συμβεβηκὸς[2] ἐκείνοις ἑπομένων. Ἵνα μὲν γὰρ ἡ ἐν κύκλῳ τοῦ παντὸς ἀεὶ ὁμοία Φορὰ γίνηται[3], οἷον ἐνέργειά τις οὖσα καὶ ζωὴ τούτου θεία, μένειν ἐπὶ τοῦ μέσου τὴν γῆν ἀνάγκη, [ᾗ][4] περιενεχθήσεται τὸ[5] κύκλῳ φερόμενον. Εἰ δὲ ἀνάγκη μένειν κάτω τὴν γῆν, ἀνάγκη καὶ τὸ πῦρ τὸν ἐναντίον ταύτῃ κατέχειν τόπον, ὑπὸ τὴν κύκλῳ Φορητικὴν αἰθέριον οὐσίαν καθισταμένον. Τούτων δ' οὕτω διεστηκότων[6], ἀνάγκη καὶ τἄλλα στοιχεῖα, ὕδωρ καὶ ἀέρα, κατὰ λόγον τὸν μεταξὺ τόπον ἐπέχειν. Τούτων δὲ ὄντων, ἀνάγκη καὶ μεταβολὴν εἶναι τῶν ἐνταῦθα, διὰ [τὸ][7] τὴν ὅλην αὐτῶν διόλου [φύσιν][8] εἶναι τρεπτὴν καὶ ταῦτα δυ-
Fol. 11 a. νάμεις | ἔχειν ὑπεναντίας. Ἐγγίνεται δὲ ἡ μεταβολὴ τῇ

legit Φθόνος τε Κότος τε, ille Φόνος τε Κότος τε, quem sequitur Karsten (*Empedoclis reliq.* v. 21, p. 88, et not. p. 165). Proclus cum Theonis codice bis consentit et forsitan sequendus est. Chalcidius Nævii versum a re alienum inserere maluit.

[1] In codice λέγει.

[2] Vide Notam x.

[3] In codice γίνεται.

[4] In codice deest ᾗ. Chalcidius (fol. 26 *b* Ascensii, p. 160 Meursii) vertit *circa quam*.

Etenim generatio et corruptio est omnium quæ hic sunt, augmentumque et diminutio, omnimodaque mutatio et varius e loco in locum motus. Quarum rerum, inquit, astra causæ sunt erratica. Hæc autem fieri dicat aliquis, non tanquam illa digniora, divina, sempiterna, nec genita, nec corruptibilia, minorum, mortalium et Parcis obnoxiorum causa exstiterint; sed quod illa quidem, propter id quod pulcherrimum, optimum et beatissimum est, ita semper sint, et ea quæ hic sunt illorum cursum *per accidens* sequantur. Ut enim circularis et sibi semper similis fiat universi motus, qui tanquam vis activa quædam et vita illius divina est, maneat in medio Terra necesse est, cui circumferantur ea quæ moventur circulari motu. Atque, si necesse est manere in imo Terram, necesse est etiam ignem oppositum illi tenere locum, infra ætheream illam, quæ secundum circulum movetur, naturam constitutum. Quibus ita invicem distantibus, necesse est et cetera elementa, aquam et aera, secundum proportionem interjectum locum obtinere. Quæ quum ita sint, necesse est etiam rerum quæ hic sunt esse mutationem, quia tota earum penitus natura mutabilis est et illa vires habent contrarias. Fit autem mutatio va-

[5] In codice τῷ.

[6] In codice est συνεσληπότων; sed supra syllabam συν syllaba δι eadem manu scripta est.

[7] In codice deest τό.

[8] In codice deest φύσιν.

ποικίλη Φορᾷ τῶν πλανωμένων· εἰ γὰρ ὁμοίως τοῖς ἀπλανέσι[1] καὶ ταῦτα ἐφέρετο κατὰ παραλλήλων, ἀεὶ ὁμοίας οὔσης τῆς τῶν ὅλων καὶ πάντων κατασλάσεως, οὐκ ἂν τῶν ἐνταῦθα ἑτεροίωσις ἦ[2] μεταβολή τις ἦν. Νῦν δὲ τροπαὶ καὶ ἰσημερίαι, πρόσοδοί τε καὶ ἀποχωρήσεις κατά τε ὕψος καὶ πλάτος, μάλισλα μὲν ἡλίου καὶ σελήνης, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων, τάς τε ὥρας διαφόρους ἐπιτελοῦσι, καὶ τὴν ἐνταῦθα πᾶσαν ἐργάζονται μεταβολὴν καὶ γένεσιν καὶ ἀλλοίωσιν. Ἡ δὲ ποικίλη τῆς Φορᾶς τῶν πλανωμένων Φανταsία γίνεται διὰ τό, κατ' ἰδίων τινῶν κύκλων καὶ ἐν ἰδίαις δὲ σΦαίραις[3] ἐνδεδεμένα καὶ δι' ἐκείνων κινούμενα, δοκεῖν ἡμῖν Φέρεσθαι διὰ τῶν ζωδίων, καθὰ πρῶτος ἐνόησε Πυθαγόρας, τῇ κατὰ ταὐτὰ[4] τεταγμένῃ, ἁπλῇ[5] καὶ ὁμαλῇ αὐτῶν Φορᾷ κατὰ συμβεβηκὸς[6] ἐπιγινομένης τινὸς ποικίλης καὶ ἀνωμάλου κινήσεως.

Τίς ἡ Θέσις τῶν σΦαιρῶν ἢ κύκλων[7] τῶν πλανωμένων.

Περὶ δὲ τῆς Θέσεως τῶν σΦαιρῶν [ἢ][8] κύκλων τοιαύτης[9], ἥτις σώσει τὰ Φαινόμενα, διέξεισι ταῦτα·

Φυσικὸν μὲν καὶ ἀναγκαῖον, καθάπερ τὰ ἀπλανῆ[10], καὶ

[1] In codice ἀπλανέσι.

[2] In codice legitur ἡ. potius quam ἦ, ita tamen ut de lectione dubitari possit.

[3] In codice, pro δὲ σΦαίραις, legitur διαΦοραῖς.

[4] In codice ταῦτα. Sed conferatur Plato, *Tim.* p. 34 A et p. 40 B.

[5] In codice ἁπλῇ.

[6] Vide Notam X.

rio motu erraticorum : si enim, eodem quo inerrantia modo, ista etiam ferrentur per parallelos circulos, quum sibi semper similis foret universi et omnium partium dispositio, nulla eorum quæ hic sunt mutatio et vicissitudo fieret. Nunc vero solstitia et æquinoctia, accessus et recessus secundum altitudinem et latitudinem, maxime quidem Solis et Lunæ, verum etiam ceterorum, tempestates varias efficiunt, et omnem, quæ hic fit, operantur mutationem generationemque et vicissitudinem. Varia autem erraticorum motus species inde oritur, quod secundum proprios quosdam circulos ac in propriis sphæris alligata illisque mota, videntur nobis per signa moveri, ut primus intellexit Pythagoras, quum eumdem semper in modum ordinato, simplici et æquabili eorum motui per accidens superveniat quidam varius et inæquabilis motus.

[CAPUT XXIII.]

QUÆ SIT ERRATICIS ASTRIS SPHÆRARUM POSITIO AUT CIRCULORUM.

De positione sphærarum aut circulorum ea quæ phænomena servet, hæc ille disserit.

Naturale et necessarium est, ut inerrantia, sic alio-

[7] In codice ἡ κύκλη.

[8] In codice deest ἡ.

[9] Vocis τοιαύτης in codice prima tantum littera scripta est, vacuusque relictus est ceterarum locus. Vide Tabulam A, n° 6.

[10] In codice ἀπλανῆ.

τῶν ἄλλων οὐρανίων[1] ἕκαστον ἁπλῆν καὶ μίαν καθ' αὑτὸ φορὰν ὁμαλῶς φέρεσθαι καὶ εὐτάκτως. Δῆλον δέ φημι τοῦτο γενήσεσθαι, ἐάν, κατ' ἐπίνοιαν σλήσαντες τὸν[2] κόσμον, νοήσωμεν τὰ πλανώμενα ὑπὸ τὸν ζωδιακόν, ἀκίνητον ὄντα καθ' ὑπόθεσιν, κινούμενα· οὕτως γὰρ αὐτέτι ποικίλη καὶ ἀνώμαλος, ἀλλ' εὔτακτος ἡ κίνησις αὐτῶν ἐπιτελουμένη φανήσεται, ὡς ἐπὶ τῆς Σφαιροποιΐας τῆς πλατωνικῆς ὑφ' ἡμῶν ἐπιδείκνυται. Τῆς δ' ἄλλῃ ἄλλου διακούσης[3] αὐτῶν κινήσεως καὶ ποικίλης αἰτία ἡ διτλὴ κίνησις, τῆς ἀπλανοῦς[4] ἀπ'[5] ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν σφαίρας[6] φερομένης περὶ τὸν διὰ τῶν πόλων ἄξονα, καὶ συμπεριαγούσης τῇ οἰκείᾳ ῥύμῃ[7] τὰ πλανώμενα, καὶ πάντας γραφούσης τοὺς παλλους, καθ' ὃν
Fol. 11 b. φέρεται τὰ ἀπλανῆ[8], παραλλήλους· αὐτὰ δὲ τὰ πλανώμενα, κατὰ τὴν ἰδίαν κίνησιν οὖσαν, βραδύτερον ἀπὸ δύσεως[9] ἐπ' ἀνατολὴν φέρεται[10] ἐν ἀνίσοις χρόνοις, ὑπὸ τὸν ζωδιακὸν λελοξωμένον, κατὰ τῶν τρίων παραλλήλων, χειμερινοῦ, ἰσημερινοῦ, θερινοῦ, περὶ ἕτερον ἄξονα τὸν πρὸς ὀρθὰς ὄντα τῷ ζωδιακῷ, πεντεκαιδεκαγώνου πλευρὰν ἀπέχοντα τοῦ τῶν ἀπλανῶν[11] ἄξονος. Τὸν δὲ τῶν πλανωμένων ἄξονα Πλάτων ἡλακάτην[12] καὶ ἄτρακτον καλεῖ.

[1] In codice est *οἷον* male scriptum pro *οὐνίων*, id est *οὐρανίων*. Nam sic in codice semper pro *οὐράνιος* scribitur *οὐνιος*, sicut et *οὐνὸς* pro *οὐρανός*. Vide Tabulam B, n° 17.

[2] Pro *τόν*, in codice est *τε*.

[3] In codice *τῆς δ' ἄλλην ἄλλου διακούσης*.

[4] In codice *ἀπλανοῦς*.

[5] In codice *ἐπ'*.

[6] In codice *σφαίρασι*.

rum etiam astrorum quodque simplici et uno per se ipsum motu æquabiliter ferri et composite. Clarum hoc futurum esse dico, si, mente ponentes quiescere mundum, intellexerimus erratica infra zodiacum moveri, quem immobilem esse posuerimus : ita enim jam non varius et inæquabilis, sed compositus eorum motus effectus apparebit, quemadmodum in *Sphæræ structura platonica* a nobis demonstratur. Sed alio aliorum itinere pervagantis et varii eorum motus causa est motus duplex, quum inerrans sphæra ab ortu ad occasum volvatur circum axem per polos transeuntem, et secum proprio impetu circumferat astra errantia, omnesque describat circulos, per quos inerrantia feruntur, parallelos : erratica autem ipsa, per motum qui est ipsis proprius, tardius ab occasu ad orientem feruntur non æquis temporibus, sub obliquo zodiaco, per tres parallelos, hibernum, æquinoctialem, æstivum, circulos, circa alium axem, qui ad perpendiculum est zodiaco et polygoni quindecim laterum uno latere distat ab inerrantium axe. Et quidem erraticorum axem Plato fusi virgam et fusum vocat.

[7] In codice *οἰκεία ῥόμη*.

[8] In codice *ἀπλανῆ*.

[9] In codice *βραχυτέρων ἀποδύσεως*.

[10] In codice *φέρεσθαι*.

[11] In codice *ἀπλανῶν*.

[12] In codice *ἡλεκάτῃ*. Platonis sententiam auctor male intellexit. Vide Notam R.

Τί ἐστι τὸ ὁμαλῶς κινεῖσθαι;

Λέγεται δέ, φησὶν ὁ Ἄδραστος, ὁμαλῶς μὲν κινεῖσθαι τὸ τὰ ἴσα διαστήματα ἐν ἴσοις χρόνοις διανύειν, ἀλλὰ μή, ποτὲ[1] μὲν ἀνιέναι, ποτὲ[2] δὲ ἐπιτείνειν ἕκαστον τὸ αὐτὸ τάχος.

Τί ἐστι τὸ εὐτάκτως κινεῖσθαι;

Εὐτάκτως δέ ἐστι κινεῖσθαι τὸ μή, ποτὲ[3] μὲν ἵστασθαι, ποτὲ δὲ ἀνακάμπτειν[4], φέρεσθαι δὲ ἐπὶ τὰ αὐτὰ ἀεὶ ὁμοίως. Δοκεῖ δὲ ἡμῖν τὰ πλανώμενα, πάντα μὲν ἀνωμαλίας, ἔνια δὲ καὶ ἀταξίας μετέχειν. Τίς οὖν ἡ τῆς τοιαύτης φαντασίας αἰτία; Πρώτη μὲν τὸ ἐν ἑτέραις σφαίραις καὶ ἐν ἑτέροις κύκλοις ὄντα, καθ' ὧν φέρονται, δοκεῖν διὰ τοῦ ζωδιακοῦ φέρεσθαι, καθὰ ἤδη προείρηται.

Τίς ἡ θέσις τῶν ζ κύκλων, [μάλιστα δὲ τοῦ ἡλιακοῦ][5].

Κατὰ συμβεβηκὸς δέ, ὡς προείρηται[6], καίτοι ἁπλῆν τὴν ἰδίαν ποιούμενοι κίνησιν οἱ ζ, πλείονας κύκλους γράφουσι καὶ διαφόρους. Δῆλον δὲ τοῦτο ἂν ἡμῖν καὶ ἐφ' ἑνὸς γένοιτο σκοπουμένοις τοῦ φανερωτάτου καὶ μεγίστου τῶν πλανω-

[1] In codice μή ποτε.
[2] In codice ὁτὲ (sic).
[3] In codice μή ποτε.
[4] In codice ἀνακάπτειν.
[5] Uncis inclusa in codice non sunt, sed necessaria sunt, ut titulus conveniat capiti, quod, præter propositionem primam, totum est de motu Solis.

[CAPUT XXIV.]

QUID SIT ÆQUABILITER FERRI.

Æquabiliter autem moveri, inquit Adrastus, vocatur æqua spatia æquis temporibus percurrere, nec vero eamdem unumquodque celeritatem nunc remittere, nunc intendere.

[CAPUT XXV.]

QUID SIT COMPOSITE FERRI.

Composite ferri est non stare aliquando, aliquando retrogredi, sed ire eodem versus semper similem in modum. Atqui nobis erratica videntur omnia inæqualitatis nonnihil, quædam etiam nonnihil incompositi habere. Quænam est igitur talis speciei causa? Prima est quod, quum in aliis sphæris et in aliis sint circulis, per quæ feruntur, videntur per zodiacum ferri, sicut jam dictum est.

[CAPUT XXVI.]

QUÆ SIT POSITIO SEPTEM CIRCULORUM, [ET PRÆCIPUE SOLARIS CIRCULI].

Per accidens autem, ut dictum est antea, quamvis simplicem proprium perficiant motum septem erratica, plures circulos describunt invicem differentes. Quod nobis vel in uno clarum foret considerantibus maxime conspicuo et maximo errantium astrorum

[a] Vide c. XXII finem et Notam X.

Vide descript. II.

μένων ἡλίου. Ἔστω ζωδιακὸς μὲν ὁ αϐγδ· κέντρον δὲ αὐτοῦ καὶ τοῦ παντός, περὶ [οὗ][1] τὸ μέσον ἐρήρεισθαι[2] μέση γῇ[3], τὸ θ, καὶ διὰ τούτου[4] πρὸς ὀρθὰς ἀλλήλαις αἱ αγ, ϐδ, διάμετροι· καὶ τὸ μὲν α ἐν ἀρχῇ τοῦ Κρίου, τὸ δὲ ϐ[5] Καρκίνου, πάλιν δὲ τὸ μὲν γ τοῦ Ζυγοῦ, τὸ δὲ δ Αἰγοκέρω[6].

Fol. 12 a. Φαίνεται δὴ | ὁ ἥλιος κατὰ τὸ α γενόμενος ἰσημερίαν ἐαρινὴν ποιεῖσθαι, κατὰ δὲ τὸ ϐ τροπὴν θερινήν, καὶ κατὰ μὲν τὸ γ [ἰσημερίαν][7] μετοπωρινήν, [κατὰ δὲ τὸ δ τροπὴν χειμερινήν][8]· ἴσας δὲ οὔσας τὰς αϐ, ϐγ, γδ, δα, περιφερείας[9] τεταρτημοριαίας ἀνωμάλως ἐν ἀνίσοις χρόνοις διεξιάν. Ἀπὸ μὲν γὰρ ἰσημερίας ἐαρινῆς ἐπὶ τροπὴν θερινὴν ἐν ἡμέραις παραγίνεται ϛδ ϛ′, ἀπὸ δὲ θερινῆς τροπῆς ἐπὶ ἰσημερίαν μετοπωρινὴν ἡμέραις ϛβ ϛ′, ἀπὸ δὲ μετοπωρινῆς[10] ἰσημερίας ἐπὶ τροπὴν χειμερινὴν ἡμέραις πη η′[11], λοιπὸν ἀπὸ τροπῆς χειμερινῆς ἐπὶ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν ἡμέραις ϛ η′[12], ὥστε τὸν ὅλον κύκλον ἐνιαύτῳ διανύειν, ἡμέραις τξγ ισλα τξε δ′, καὶ κατὰ τῶν Διδύμων τὴν ἀρχὴν βραδύτατα[13] κινούμενος, κατὰ δὲ τὴν ἀρχὴν τοῦ Τοξότου τάχιστα, μέσα

[1] In codice deest οὗ.

[2] In codice ἐρηρεῖσθαι.

[3] In codice γῇ.

[4] In codice τοῦτο. Chalcidius (fol. 27 *a* Ascensii, p. 162 Meursii) vertit : *per quam* (litteram θ) *lineæ duæ dirigantur, etc.*

[5] In codice, pro ϐ, legitur δεύτερον, quia *punctum* ϐ pro *numero* habitum est. Sed in Chalcidio est ϐ.

[6] In codice Αἰγοκέρῳ.

[7] Vox *ἰσημερίαν* in codice non est. Sed Chalcidius (fol. 27 *a* Ascensii, p. 162 Meursii) vertit : *item ad γ autumnale æquinoctium.*

Sole. Sit zodiacus circulus $\alpha\zeta\gamma\delta$; centrum hujus et universi, [cujus] in medio fixa est media Terra, punctum θ, et per illud, ad perpendiculum invicem, $\alpha\gamma$, $\zeta\delta$, diametri : et sit punctum α ad initium Arietis, ζ Cancri, rursus γ Libræ, et δ Capricorni. Liquet ergo Solem, quum in α fuerit, æquinoctium vernum facere, in ζ autem solstitium, in γ [æquinoctium] autumnale, [et in δ brumam,] ac eum æquos inter se, $\alpha\zeta$, $\zeta\gamma$, $\gamma\delta$, $\delta\alpha$, arcus, quartas ambitus circuli partes, inæquabiliter non æquis inter se temporibus percurrere. Nam ab æquinoctio verno ad solstitium diebus pervenit 94 1/2, a solstitio ad autumnale æquinoctium diebus 92 1/2, ab autumnali æquinoctio ad brumam diebus 88 1/8, et quod reliquum est a bruma ad æquinoctium vernum diebus 90 1/8, ita circulum totum percurrens annue, diebus fere 365 1/4, ac in principio Geminorum tardissime motus, in principio Sagittarii citissime, et media celeritate in Virgine et Piscibus. Naturale autem,

Vide descript. II.

[8] Uncis inclusa librarius omisit, sed Theon, procul dubio, non omiserat, et Chalcidius (l. c.) latine vertit : *ad δ hiemalem conversionem.*

[9] In codice est *περιφερει*, sed littera *ε* supra syllabam *ει* addita, vulgari scripturæ compendio.

[10] In codice *μετα περινῆς.*

[11] Pro *ἡμέραις πη η'*, in codice legitur *ἡμέραν* (sic) *πη*. Sed verus numerus est in Chalcidii versione. Vide Notam τ.

[12] Pro *ϛ η'*, in codice legitur *ϛδ ε'*. Sed verus numerus invenitur in Chalcidii versione. Vide Notam τ.

[13] In codice *βραδύτητα.*

δὲ κατὰ τὴν Παρθένον καὶ τοὺς Ἰχθύας. Φυσικὸν δέ, ὡς φαμεν, καὶ ἀναγκαῖον[1] πάντα τὰ θεῖα ὁμαλῶς κινεῖσθαι καὶ εὐτάκτως· δῆλον οὖν ὡς ἐπί τινος ἰδίου κύκλου φερόμενος ὁμαλῶς καὶ εὐτάκτως, ἡμῖν ἀπὸ τοῦ θ ὁρᾶσιν ἐπὶ τοῦ αϛγδ[2] δοκεῖ φέρεσθαι ἀνωμάλως. Εἰ μὲν οὖν ὁ κύκλος αὐτοῦ περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον ἦν τῷ παντί, λέγω δὲ περὶ τὸ θ, τοὺς αὐτοὺς λόγους διαιρούμενος[3] ὑπὸ τῶν αγ, ϛδ, διαμέτρων[4], διὰ τὴν ἰσότητα τῶν περὶ τὸ κέντρον γωνιῶν καὶ τὴν ὁμοιότητα τῶν περιφερειῶν, τὴν αὐτὴν ἂν παρέχοι[5] ἀπορίαν. Δῆλον δὲ ὡς ἑτέρως κινούμενος, καὶ οὐ περὶ τὸ θ κέντρον, αἴτιόν ἐστι τῆς τοιαύτης ἐμφάσεως. Ἤτοι οὖν ἐντὸς αὐτοῦ περιλήψεται τὸ θ, ἢ δι' αὐτοῦ ἐλεύσεται, ἢ ἐκτὸς αὐτοῦ ἀπολείψει. Διὰ μὲν οὖν τοῦ θ ἡλιακὸν ἔρχεσθαι κύκλον, ἀμήχανον· καὶ γὰρ αὐτὸς ἂν ὁ ἥλιος ἐπὶ γῆν παρεγίνετο, καὶ τοῖς μὲν ἐπὶ θάτερα τῆς γῆς ἀεὶ ἦν ἡμέρα, τοῖς δ' ἄλλοις ἀεὶ νὺξ ἦν, καὶ οὔτε ἀνατέλλων, οὔτε δύνων, οὐθ' ὅλως περὶ τὴν γῆν ἐρχόμενος ἐφαίνετο ἂν ὁ ἥλιος· ἅπερ ἄτοπα. Λείπεται οὖν ἢ ἐντὸς[6] περιλαμβάνεσθαι τὸ θ ὑπὸ τοῦ ἡλιακοῦ κύκλου, ἢ ἐκτὸς[7] ἀπολείπεσθαι.

Fol. 13 b. Ὁποτέρως δ' ἂν ὑποτεθῇ, φησί, σωθήσεται τὰ φαινόμενα, καὶ ἐντεῦθεν ἡ διαφορὰ τῶν μαθηματικῶν ἐλεγχθήσεται[8] ἄτοπος οὖσα, τῶν μὲν κατὰ ἐκκέντρων μόνον λεγόντων

[1] In codice ἀναγκαία (sic).

[2] In codice ᾱϛ.γ̄δ̄.

[3] In codice διαιροῦμεν.

[4] In codice ᾱϛ.γ̄δ̄ διαμέτρῳ.

[5] Librarius in codice scripsit παρέχειν, propter verbum λέγω, quod huc referri falso credidit.

ut dicimus, et necessarium est divina omnia æquabiliter et composite moveri. Clarum est ergo, quum in quodam proprio circulo Sol moveatur æquabiliter et composite, nobis eum a puncto θ spectantibus in circulo $\alpha\epsilon\gamma\delta$ videri inæquabiliter moveri. Si ergo illius circulus esset circa idem centrum, quod est universi, id est circa θ, secundum easdem proportiones divisus diametris $\alpha\gamma$ et $\epsilon\delta$, propter æquitatem angulorum ad centrum et similitudinem arcuum eamdem dubitationem pareret. Liquet autem eum aliter se moventem, non vero circa θ centrum, causam esse talis speciei. Aut ergo intra ambitum suum continebit punctum θ, aut per illud transibit, aut illud extrinsecus relinquet. Atqui per θ transire Solis circulum impossibile est; nam Sol ipse in Terram deveniret, et unius Terræ partis incolis semper esset dies, aliis semper nox, neque unquam oriens, nec occidens, nec omnino Terram circumiens Sol conspiceretur : quod est absurdum. Superest ergo, aut θ punctum Solis circulo contineri, aut extrinsecus relinqui. Utrumvis autem statueris, inquit, salva erunt phænomena, et idcirco mathematicorum dissensio vana esse convincetur, quorum hi per circulos tantum excentricos ferri dicunt astra erratica, illi per epicyclos, illi circa ipsum sphæræ

[6] In codice *ἐκτός*. Sed Chalcidius (fol. 27 *b* Ascensii, p. 164 Meursii) vertit : *vel intra..... vel extra.*

[7] In codice *ἐντός*. Sed vide præcedentem notulam.

[8] In codice *ἐλεχθήσεται*.

φέρεσθαι τὰ πλανώμενα, τῶν δὲ κατ' ἐπικύκλων[1], τῶν δὲ περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον τῇ ἀπλανεῖ[2]. Ἐπιδειχθήσονται γὰρ ταῖς τρισὶ γράφοντες κύκλους κατὰ συμβεβηκός, καὶ τὸν περὶ τοῦ παντὸς κέντρον, καὶ τὸν ἔκκεντρον, καὶ τὸν ἐπίκυκλον. Ἐὰν μὲν γὰρ περιλαμβάνεσθαι ὑποθώμεθα τὸ θ ἐντὸς ὑπὸ ἡλιακοῦ κύκλου, φησί, μὴ μέντοι γε ὡς κέντρον, [κατ'][3] ἔκκεντρον ἡ τοιαύτη λέγεται πραγματεία· ἐὰν δὲ[4] ἐκτὸς ἀπολείπεσθαι, κατ' ἐπίκυκλον.

Vide descript. III.

Ὑποκείσθω πρότερον ἔκκεντρος εἶναι ὁ τοῦ ἡλίου[5] κύκλος ὁ εζηκ, παρεγκεκλιμένος οὗτως, ὡς ἔχει τὸ αὐτοῦ κέντρου ὑπὸ τῇ εζ περιφερείᾳ[6], οἷον τὸ μ, καὶ διαιρούμενος οὐκ εἰς ἴσα μὲν τὰ εζ, ζη, ηκ, κε[7]· καὶ τὴν μὲν εζ περιφέρειαν εἶναι ϛδ ϛ'· τὴν δὲ ζη, ϛϚ ϛ'· καὶ τὴν ηκ, πϛ η'· τὴν δὲ κε, ϛ η'[8]. Φανερὸν οὖν ὡς, ἐπὶ μὲν τοῦ ε γενόμενος, ἡμῖν ἀπὸ τοῦ θ ἐπ' εὐθείας[9] ὁρῶσιν ἐπὶ τοῦ α εἶναι δόξει, τὴν δὲ εζ διελθών, μεγίστην οὖσαν τῶν εἰς τέσσαρα τετμημένων τοῦ ἰδίου κύκλου, ἡμέραις ϛδ ϛ', ὅσωνπερ ἦν καὶ αὐτὴ[10] [μοιρῶν][11], ὁμαλῶς, καὶ γενόμενος ἐπὶ τοῦ ζ, ἡμῖν ἐπὶ τοῦ[12] Ϭ φανήσεται, καὶ δόξει τὴν αϬ διεληλυθέναι, τεταρτημοριαίαν τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου, οὐ ταῖς αὐταῖς ἡμέραις, ἀνωμάλως. Πάλιν δέ, τὴν ζη περιφέρειαν, δευτέραν μεγέθει τοῦ ἰδίου κύκλου, περιελθὼν ὁμαλῶς ἐν

[1] In codice ἐπίκυκλον. Sed vidimus κατὰ ἐκκέντρων. Cf. c. XXI.

[2] In codice ἀπλανῆ.

[3] In codice deest κατ'.

[4] In codice est γάρ; sed supra hanc vocem eadem manu scriptum est δέ.

[5] In codice ἡλιακοῦ.

[6] In codice περιφερεία.

inerrantis centrum. Demonstrabuntur enim ea tres illos describere circulos, et circum universi centrum, et excentricum, et epicyclum. Si enim contineri ponimus θ intra Solis circulum, inquit, non vero ut centrum, [secundum] excentricum esse dicitur talis consideratio; sin autem extra relinqui, secundum epicyclum.

Ponatur prius excentricum esse Solis circulum εζηκ, sic deflexum, ut est ejus centrum sub εζ arcu, videlicet punctum μ, et divisum in arcus, non æquos quidem εζ, ζη, ηκ, κε, et εζ arcum esse 94 1/2, ζη arcum 92 1/2, ηκ arcum 88 1/8, et κε arcum 90 1/8. Liquet ergo fore ut Sol, quum in ε fuerit, nobis e puncto θ secundum rectam lineam videntibus in puncto α esse videatur. Tum, εζ arcume mensus, maximam partium quatuor in quas divisus est ipsius circulus, intra dies 94 1/2, quam multarum arcus ille est particularum, æquabiliter, quum ad punctum ζ pervenerit, nobis in puncto δ apparebit, et videbitur αδ arcum emensus esse, quartam partem zodiaci circuli, non pari ac tres ceteras dierum numero, inæquabiliter. Deinde arcum ζη, magnitudine secundum in proprio circulo, emensus

Vide descript. III.

[7] In codice διαιρουμένου εἰς ἴσα μένει τὰ ε̄ζ̄ η̄κ̄.

[8] In codice ζη̄. Verum numerum habet Chalcidius (fol. 27 *b* Ascensii, p. 165 Meursii).

[9] In codice ἐπευθείας.

[10] Pro ἦν καὶ αὐτή, in codice est εἶναι αὐτῇ, quod sensu caret.

[11] Vox μοριῶν hic in codice deest. Sed paulo infra recte scriptum est: ὁσωνπερ ἦν αὐτὴ μοριῶν. Vide et Notam z.

[12] In codice τό. Mox τεταρτιμοριαίαν.

ἡμέραις ϛϑ ϛ', ὅσωνπερ ἦν αὐτὴ μοριῶν, καί γενόμενος ἐπὶ τοῦ η, ἡμῖν ἐπὶ τοῦ γ φανήσεται, καὶ δόξει τὴν ϑγ, τεταρτημοριαίαν τοῦ ζωδιακοῦ, καθ' ἣς ἦν τῆς[1] πρόσθεν ἐν ἐλάττοσιν ἡμέραις διεληλυθέναι, καὶ ἀνωμάλως. Παραπλησίως δὲ τὴν ηκ[2] διαπορευθείς, ἐλαχίστην οὖσαν τῶν εἰς τέσσαρα τοῦ ἰδίου κύκλου, μοριῶν[3] πη η', ἐν ἡμέραις τοσαύταις, καὶ γενόμενος ἐπὶ τοῦ κ[4], τοῖς ἀπὸ τοῦ θ ὁρῶσι φανήσεται μὲν ἐπὶ τοῦ δ, δόξει δὲ τὴν γδ, τεταρτημοριαίαν[5] καὶ ἴσην ταῖς πρόσθεν[6], ἐλαχίσταις | ἡμέραις διεληλυθέναι. Καὶ κατὰ λόγον, λοιπὴν τὴν κε[7] πορευθεὶς ἡμέραις ϛ η'[8], ὅσων καὶ μοριῶν[9] ἦν, καὶ ἀποκατασταθὰς ἐπὶ τὸ ε, δόξει τὴν δα διηνυκέναι[10], τεταρτημοριαίαν καὶ ἴσην, ἐν ἡμέραις ϛ η'[11], καὶ ἐπὶ τὸ α σημεῖον ἀποκαθίστασθαι. Καὶ τὸν ἑαυτοῦ κύκλον διαπορευθεὶς ὁμαλῶς, τὸν τῶν ζωδίων ἀνωμάλως δόξει διεληλυθέναι. Ἐὰν δέ, ἐπιζεύξαντες μεταξὺ τῶν κέντρων τὴν θμ, ἐκβάλλωμεν ἐφ' ἑκάτερα ἐπ' εὐθείας, ἐπειδὴ τοῦ εϛ κύκλου κέντρον τὸ μ, ἴση ἔσται ἡ μν [τῇ] μξ[12]· ὥστε κατὰ μὲν τὸ θν γενόμενος ὁ ἥλιος ἀπογειότατος

Fol. 13 a.

[1] In codice τῇ.

[2] In codice ηή.

[3] In codice μοιρῶν. Sed recte paulo supra, eadem de re, legebatur μοριῶν. Vide Notam z.

[4] In codice ή.

[5] In codice legitur tantum μοριαίαν. Verisimile est in antiquiori exemplari scriptum fuisse compendiose δμοριαίαν, et illud δ, propter γδ, quod præcedit, omissum fuisse ab exscribente.

[6] Ante ἐλαχίσταις forsitan addendum ἐν, quod propter εν in fine vocis πρόσθεν facile omitti potuit. Nec tamen est ἐν necessarium.

æquabiliter intra dies 92 1/2, quot erat arcus ille particularum, quum in η fuerit, nobis in γ spectabitur, et videbitur $\zeta\gamma$, quartam zodiaci partem, in minori, quam illam in qua erat ante, dierum numero percurrisse, et inæquabiliter. Similiter, $\eta\varkappa$ arcum emensus, minimam quatuor proprii circuli partium, quippe particularum 88 1/8, intra totidem dies, quum fuerit in $\varkappa$, a puncto θ spectantibus apparebit in δ, videbiturque $\gamma\delta$, quartam partem et præcedentibus æquam, minimo dierum numero percurrisse. Atque eadem ratione reliquum $\varkappa\varepsilon$ arcum emensus diebus 90 1/8, quot erat etiam ille particularum, et in punctum ε restitutus, videbitur $\delta\alpha$ iter confecisse, quartam partem et ceteris æquam, intra dies 90 1/8, et in punctum α restitui. Itaque proprium circulum emensus æquabiliter, videbitur zodiacum inæquabiliter percurrisse. Si autem, centris recta linea $\theta\mu$ junctis, hanc in utramque partem recta porrexerimus, quoniam $\varepsilon\zeta$ circuli centrum est μ, æqua erit linea $\mu\nu$ [lineæ] $\mu\xi$, ita ut, quum in $\theta\nu$ fuerit Sol, a Terra maxime distet,

[7] Sic legendum. In codice legitur potius $\eta\varepsilon$, ita tamen ut inter η et $\varkappa$ dubitare possis.

[8] In codice $\zeta\bar{\eta}$.

[9] In codice $\mu\omicron\iota\rho\tilde{\omega}\nu$. Sed vide Notam z.

[10] In codice $\delta\varepsilon\iota\varkappa\nu\upsilon\varkappa\acute{\varepsilon}\nu\alpha\iota$.

[11] In codice $\zeta\bar{\eta}$.

[12] In codice $\dot{\eta}$ $\mu\nu$ $\mu\bar{\zeta}$, sine $\tau\tilde{\eta}$. Chalcidius (fol. 28 *a* Ascensii, p. 166 Meursii) vertit : *æquales erunt lineæ* $\nu\mu$, $\mu\xi$.

ἂν εἴη, καὶ ἡμῖν ἀπὸ τοῦ θ ὁρῶσι τὸ μέγεθος ἐλάχιστος δόξει καὶ βραδύτατα κινούμενος· ὅπερ φαίνεται ποιῶν κατὰ τὴν πέμπτην ἡμίσειαν μάλιστα μοῖραν τῶν Διδύμων· κατὰ δὲ τὸ θξ γενόμενος, προσγειότατός τε καὶ διὰ τοῦτο μέγιστος τῇ φάσει καὶ τάχιστα κινούμενος δόξει· ἄτινα πάλιν φαίνεται ποιούμενος κατὰ τὴν ε ἡμίσειαν μοῖραν τοῦ Τοξότου· εὐλόγως[1] τε καὶ περὶ τὰς αὐτὰς μοίρας τῶν τε Ἰχθύων καὶ τῆς Παρθένου μέσων τῷ μεγέθει[2] καὶ τῷ τάχει φέρεσθαι δοκεῖ· καὶ οὕτω πάντα, φησί, σωθήσεται τὰ φαινόμενα.

Εὑρίσκεται ὁ εζηκ[3] κύκλος τῇ θέσει καὶ τῷ μεγέθει δεδομένος. Ἤχθωσαν γὰρ διὰ τοῦ μ ταῖς αγ, εδ, παράλληλοι, πρὸς ὀρθὰς ἀλλήλαις, αἱ οπ, ρσ, καὶ ἐζεύχθωσαν αἱ ζμ, με. Δῆλον οὖν ὅτι τοῦ εζηκ[4] κύκλου διαιρεθέντος εἰς ἡμέρας τξε δ', ἡ μὲν εζη[5] περιφέρεια τοιούτων ἔσται ἡμερῶν ρπζ[6], ἡ δὲ ηκε ἔσται ἡμερῶν ροη δ'[7]. Ἴσα ἄρα ἑκάτερα τῶν εο[8], πη, ρζ, σκ. Αἱ[9] δὲ σπ, πρ, ρο, οσ[10] περιφέρειαι[11] ἀνὰ ϛα τετάρτου ἑκκαιδεκάτου[12] τοιούτων ὑπάρχουσαι[13]. Ἡ δοθεῖσα ἄρα γωνία ὑπὸ ομν[14] ἴση ἔσται τῇ θμτ[15]· ὁμοίως καὶ

[1] In codice εὔλογος.

[2] Id geometrice falsum esse ostendit Nota LL, quam vide.

[3] In codice ε̄ζ κη'.

[4] In codice éζ η̄η̄.

[5] In codice ε̄ζ ή.

[6] In codice ρ' π' ξ'; et mox η' κ' ε', pro ηκε.

[7] In codice ρο η̄δ̄.

[8] In codice βο.

[9] In codice ή.

[10] Pro σπ, in codice legitur εη, ita tamen ut littera ε, ob

et nobis a puncto θ spectantibus minima magnitudine videbitur et tardissime motus : quod faciens conspicitur in quinto et dimidio fere gradu Geminorum. Quum autem in $\theta\xi$ fuerit, Terræ proximus et ideo maximus specie et celerrimus videbitur : quæ rursus faciens conspicitur in quinto et dimidio gradu Sagittarii. Atque, ut poscit ratio, in iisdem gradibus Piscium et Virginis media esse magnitudine et media celeritate ferri videbitur; et sic, inquit, omnia salva erunt phænomena.

Solis circulus excentricus $\varepsilon\lambda\upsilon\xi$; et sit punctum ipsius a Terra maxime distans ε sub quinto et dimidio gradu Geminorum; centrum ejus in $\theta\alpha$ linea punctum H; et describatur e centro θ, radio Hε, circulus $\mu o\nu\xi$. Rursus e centro μ, radio $\mu\varepsilon$, describatur circulus $\varepsilon\zeta\eta\varkappa$: in aperto est hunc eumdem fore atque epicyclum. Dico igitur fore ut Sol, æquabiliter motus per excentrici ambitum $\varepsilon\lambda\upsilon\xi$, *per accidens* describat etiam $\varepsilon\zeta\eta\varkappa$ epicyclum, delatum æquabiliter per ambitum $\mu o\nu\xi$ eodem tempore quo ipsum Sol percurrit. Delatus sit enim Sol per arcum aliquem in excentrico pro arbitrio sumtum $\varepsilon\pi$, et ducatur πH linea, et illi $\rho\theta$ parallela, atque lineæ θH æqua sumatur $o\rho$, et ducatur πo. Quoniam lineæ Hθ et πo æquæ erunt et parallelæ, et æqua est linea θH lineæ $\mu\varepsilon$, id est etiam lineis $o\rho$ et $o\pi$, circulus ergo e centro o, radio $o\rho$, descriptus transibit etiam per punctum π, et idem erit atque $\varepsilon\zeta\eta\varkappa$ epicy-

[14] In codice $\grave{\varepsilon}\varkappa$ et signum vocis $\varkappa\acute{\varepsilon}\nu\tau\rho o\nu$. Vide Tab. B, n° 2 *g*.

[15] In codice signum Solis. Vide Tabulam B, n° 11.

[16] Signum Solis.

[17] In codice non est $\acute{\eta}$.

[18] In codice θo.

[19] In codice $\theta\rho$. Antiquiorem codicem exscribens librarius, ubi erat littera O, esse credidit litteram Θ.

[20] In codice $\mu\sigma$.

[21] In codice legitur $\tau o\upsilon\tau\acute{\iota}$, quod ortum est e $\tau o\upsilon\tau\acute{\varepsilon}\sigma\eta\iota$ compendiose scripto.

[22] In codice $\varkappa\acute{\varepsilon}\nu\tau\rho\omega$.

[23] In codice $\tau\tilde{\omega}$ ρ $\gamma\rho\alpha\psi\acute{o}\mu\varepsilon\nu o\varsigma$.

κύκλος ἥξει καὶ διὰ τοῦ π, καὶ ὁ αὐτὸς ἔσται τῷ εζηκ[1] ἐπικύκλῳ. Γεγράφθω οὖν ὁ πρχ· ἐπεὶ οὖν, διὰ τὰς παραλλήλους, αἱ τ, φ, γωνίαι ἴσαι εἰσὶν ἀλλήλαις, ἐν δὲ τοῖς κύκλοις αἱ ἴσαι γωνίαι ἐφ' ὁμοίων περιφερειῶν βεβήκασιν, ἐν δὲ τοῖς ἴσοις καὶ ἐπὶ ἴσων, ἐάν τε πρὸς τοῖς κέντροις ὦσιν, ἐάν τε πρὸς ταῖς περιφερείαις, αἱ ρπ, επ, μο, περιφέρειαι μὲν[2] ὅμοιαι ἔσονται ἀλλήλαις, αἱ δὲ επ, μο, καὶ ἴσαι. Ἐν ᾧ ἄρα χρόνῳ ὁ ἥλιος[3] τὴν επ περιφέρειαν ἐκι-
Fol. 17 b. νήθη | τοῦ ἐκκέντρου, ἐν τούτῳ καὶ τὸ μ κέντρον[4] τοῦ ἐπικύκλου, τὴν μο περιφέρειαν ἐνεχθέν, τὸν εζη ἐπίκυκλον ἐπὶ τὸν πρχ μετήνεγκε, καὶ ὁ ἥλιος, τὴν επ ἐπὶ τοῦ ἐκκέντρου διανύσας, ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ ε, τουτέστιν[5] ἀπὸ τοῦ ρ[6], καὶ τὴν ρπ τοῦ ἐπικύκλου περιφέρειαν ὁμοίαν ἔγραψε. Τὸ δ' αὐτὸ δειχθήσεται καὶ κατὰ πᾶσαν κίνησιν ποιούμενος· ὥστε καὶ ὅλον διανύσας τὸν ἔκκεντρον[7], ὁ ἥλιος ὅλον γράψει τὸν ἐπίκυκλον· ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Περὶ ἡλίου ἀποκαταστάσεως.

Ταῦτα δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων πλανωμένων δείκνυται· πλὴν ὁ μὲν ἥλιος[8] ἀπαραλλάκτως ταῦτα δοκεῖ ποιεῖν κατὰ ἀμφοτέρας τὰς ὑποθέσεις, διὰ τὸ τοὺς ἀποκαταστατικοὺς αὐτοῦ[9] χρόνους, τόν τε τοῦ μήκους, καὶ τὸν τοῦ πλάτους,

[1] In codice $\bar{\varepsilon}\bar{\zeta}\ \bar{\eta}\bar{\kappa}$.

[2] In codice, pro μέν, est δέ, e δέ, quod mox sequitur, confusione orta.

[3] Signum Solis.

[4] Signum vocis κέντρον probe exaratum. Vide Tabulam B, n° 1 e.

clus. Describatur ergo $\pi\rho\chi$. Quum, propter parallelas lineas, anguli τ et φ æqui sint inter se, in circulis autem æqui anguli similibus arcubus innitantur, et in æquis circulis æquis etiam arcubus, seu ad centra anguli sint, seu ad ambitus, igitur arcus $\rho\pi$, $\varepsilon\pi$ et μo similes erunt inter se, atque arcus $\varepsilon\pi$ et μo inter se etiam æqui. In quo ergo tempore Sol $\varepsilon\pi$ arcum excentrici emensus est, in eodem etiam centrum μ epicycli, per arcum μo delatum, epicyclum $\varepsilon\zeta\eta$ in $\pi\rho\chi$ transtulit, et Sol, arcum $\varepsilon\pi$ in excentrico emensus, ordiendo a puncto ε, id est a puncto ρ, arcum etiam epicycli $\rho\pi$ similem descripsit. Idem autem eum facere in omni motus sui parte demonstrari potest. Itaque, totum emensus excentricum, Sol totum etiam describet epicyclum : quod demonstrare oportebat.

[CAPUT XXVII.]

DE SOLIS RESTITUTIONE IN IDEM PUNCTUM.

Hæc vero etiam de ceteris erraticis demonstrantur, hoc tantum excepto, quod Sol sine ulla mutatione hæc facere videtur secundum utramque hypothesim, quia ipsius restitutionum tempora, tum longitudinis, tum

[5] In codice τουτί, ut supra.

[6] Pro τοῦ ρ, in codice legitur πρ. Sed supra π sunt puncta librarii dubitationem indicantia. Vide Tabulam B, n° 37 *d*.

[7] In codice ἔγκεντρον.

[8] Solis signum.

[9] In codice αὐτούς.

καὶ τὸν τοῦ βάθους καὶ τῆς[1] λεγομένης ἀνωμαλίας, οὕτως εἶναι[2] σύνεγγυς ἀλλήλων, ὥστε τοῖς πλείστοις[3] τῶν μαθηματικῶν ἴσους δοκεῖν, ἡμερῶν ἕκαστον τξε δ'[4]· ἀκριβέστερον δὲ ἐπισκοπουμένοις[5], τὸν μὲν τοῦ μήκους, ἐν ᾧ τὸν[6] ζωδιακὸν ἀπὸ σημείου τινὸς ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον διανύει[7], καὶ ἀπὸ τροπῆς[8] ἐπὶ τὴν αὐτὴν τροπὴν, καὶ ἀπὸ ἰσημερίας ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἰσημερίαν παραγίνεται, τὸν εἰρημένον σύνεγγυς χρόνον[9], παρὰ τετραετίαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον τοῦ μήκους αὐτοῦ κατὰ τὴν αὐτὴν[10] ὥραν ἀποκαθισταμένου· τὸν δὲ τῆς ἀνωμαλίας, καθ' ὃν ἀπογειότατος γινόμενος, καὶ δι' αὐτὸ τῇ μὲν[11] φάσει τοῦ μεγέθους μικρότατος, βραδύτατος δὲ κατὰ τὴν εἰς τὰ ἑπόμενα φοράν, ἢ ἀνάπαλιν

[1] In codice καὶ τὸν τῆς. Sed delendum τὸν. Nam restitutio secundum inæqualitatem est eadem atque restitutio secundum altitudinem.

[2] Hic quidem in codice οὕτω, sine εἶναι. Sed vide notam 5.

[3] In codice legitur τοὺς πλείστους, quod quidem cohærere posset cum δοκεῖν activo, sed obscurissimum esset propter ἴσους (χρόνους).

[4] In codice τεδ, omissa littera ξ, et omisso accentu litteræ δ. Notum est δ esse 4, et δ' esse 1/4.

[5] Post vocem ἐπισκοπουμένοις, iterantur omnia quæ jam legimus a vocibus τόν τε τοῦ μήκους usque ad numerum τξε δ', qui tamen ipse non iteratur. Post ἕκαστον, signum est, quod in codice indicare solet pausam orationis, et itur ad sequentem lineam, incipientem vocibus τὸν μὲν τοῦ μήκους, ἐν ᾧ τὸ (sic) ζωδιακὸν κ. τ. λ., cujus prima littera primæ vocis Τὸν rubra est. In iteratis nihil variatur, nisi quod, pro ἴσους, legitur ἴσας, male, et quod pro οὕτω σύνεγγυς, est melior et a nobis recepta lectio οὕτως εἶναι σύνεγγυς. Vide Tab. A, n° 4. In aperto est

latitudinis, tum altitudinis et ejus quæ sic dicitur inæqualitatis, adeo invicem proxima sunt, ut mathematicis plerisque æqua videantur, dierum quodque 365 1/4. Sed diligentius considerantibus videtur restitutionis secundum longitudinem tempus, intra quod Sol zodiacum ab uno puncto ad idem punctum percurrit, et ab uno solstitio ad idem solstitium, aut ab uno æquinoctio ad idem æquinoctium redit, jam dictum fere esse tempus, et sic eum post quatuor annos ad idem longitudinis punctum eadem diei hora restitui; restitutionis autem secundum inæqualitatem tempus, intra quod iterum fit a Terra distantissimus et ideo magnitudinis specie minimus lentissimeque delatus ad sequentia signa, aut rursus Terræ proximus et ideo maximus specie ac motu celerrimus, dierum esse fere 365 1/2, et sic eum post biennium rursus ad idem

iterata redundare, nihil deesse, et voci *ἐπισκοπουμένοις* voces *τὸν μὲν τοῦ μήκους, ἐν ᾧ κ. τ. λ.* esse continuandas. Ex hoc capite breve et nullius momenti excerptum Chalcidius latinum fecit.

[6] In codice *τό*.

[7] In codice *διανύειν*.

[8] In codice *ἀποτροπῆς*.

[9] Ante *χρόνον*, in codice legitur *κύκλον*, sensu nullo. Vox ea deleri debet, nisi forte legendum *κύκλον χρόνου*, aut pro *κύκλον* legendum *δοκεῖν*, quod, ab *ὥσϑε* pendens, subauditur.

[10] In codice *τὴν ἑαυτοῦ*. Sed paulo infra, simili de re, recte legetur *αὐτήν*. Vide Notam cc.

[11] In codice *δέ*. Similem errorem paulo supra jam vidimus.

προσγειότατος, καὶ διὰ τοῦτο μέγιστος μὲν τῷ μεγέθει δοκῶν, τῇ δὲ κινήσει τάχιστος, ἡμερῶν ἐγγιστα τξε ς'[1], διετίᾳ[2] πάλιν ἐπὶ τὸ αὐτὸ σημεῖον τοῦ βάθους τὴν αὐτὴν ὥραν αὐτοῦ φαινομένου· τὸν δὲ τοῦ πλάτους, ἐν ᾧ ἀπὸ τοῦ
Fol. 18 a. αὐτοῦ βορειό|τατος ἢ νοτιώτατος γινόμενος ἐπὶ τὸ αὐτὸ παραγίνεται, ὡς[3] πάλιν ἴσας ὁρᾶσθαι τὰς τῶν αὐτῶν γνωμόνων σκιάς, ἡμερῶν μάλιστα τξε η'[4], κατὰ τὸ αὐτὸ τοῦ πλάτους σημεῖον αὐτοῦ τὴν αὐτὴν ὥραν ὀκταετίᾳ παραγενομένου[5].

Περὶ τῆς τῶν λοιπῶν πλανήτων ἀποκαταστάσεως.

Ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων, ἐπεὶ καθ' ἕκαστον[6] τῶν πλανωμένων πολὺ[7] παραλλάττουσιν [οἱ][8] εἰρημένοι χρόνοι πάντες, καὶ ἐφ' ὧν μὲν μᾶλλον, ἐφ' ὧν δὲ ἧττον, τὰ γινόμενα καθ' ἕκαστον φαίνεται ποικιλώτερα[9] καὶ διαλλάττοντά πως καθ' ἑκατέραν τὴν ὑπόθεσιν, οὐκέτ'[10] ἐν ἴσῳ χρόνῳ τοῦ πλανήτος ἑκάστου τὸν ἑαυτοῦ ἐπίκυκλον περιερχομένου καὶ τοῦ ἐπικύκλου τὸν ἔγκεντρον[11], ἀλλ' ὧν μὲν θᾶττον, ὧν δὲ βράδιον, διά τε[12] τὰς τῶν κύκλων ἀνισότητας, καὶ διὰ τὰς

[1] In codice τξεζ, ubi ζ male scriptum est pro ς', sicut jam sæpius. Vox quæ sequitur, διετίᾳ, nullam patitur de hoc numero dubitationem. Vide Notam cc.

[2] In codice legitur διετία (sic); infra ε sunt puncta dubitationem indicantia, et supra ε scriptum est αι, male. Vide Tabulam B, n° 37 *e*.

[3] Pro codicis lectione ὡς, an potius legendum ὥστε?

[4] In codice τξεη.

[5] An legendum παραγινομένου? In codice est ε, non ι.

[6] In codice καθέκαστον.

[7] In codice πολλοί, quod cum πάντες cohærere nequit.

punctum altitudinis eadem hora diei apparere; et restitutionis secundum latitudinem tempus, intra quod ab eodem puncto, maxime aquilonius aut maxime australis factus, ad idem punctum redit, ita ut æquæ iterum videantur eorumdem gnomonum umbræ, dierum esse fere 365 1/8, et sic eum ad idem latitudinis punctum eadem hora diei post octo annos redire.

[CAPUT XXVIII.]

DE CETERORUM ERRANTIUM ASTRORUM RESTITUTIONE IN IDEM PUNCTUM.

Quod ad cetera spectat, quoniam unicuique errantium astrorum multum variant omnia prædicta tempora, et his magis, illis minus, ea quæ unicuique fiunt apparent magis varia et quodam modo mutabilia secundum utramque hypothesim, quum jam non intra æquum tempus et errans astrum quodque suum ipsius epicyclum circumeat et epicyclus concentricum circulum, sed aliis motus hic illo celerior, aliis tardior sit, propter inæquales circulorum magnitudines ac propter inæquales a medio universi distantias, præter-

Vocis utriusque, πολὺ et πολλοί, idem sonus apud Græcos recentiores : inde librarii error.

[8] Articulus οἱ in codice omissus est : quippe qui post πολλοὶ inutilis videbatur. Sed, legendo πολύ, eum restituere oportet.

[9] In codice ποικιλότερον.

[10] In codice οὐκ ἐτ'.

[11] In codice ἐκκεντρον. Vide Notam DD.

[12] Pro τε, in codice δέ.

ἀπὸ τοῦ μέσου τοῦ παντὸς ἀνίσους ἀποσλάσεις[1], ἔτι τε διὰ τὰς[2] πρὸς τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων διαφόρους λοξώσεις, ἢ ἀνομοίους ἐγκλίσεις[3] τε καὶ θέσεις.

Περὶ σληριγμῶν καὶ προηγήσεων καὶ ἀναποδισμῶν, [ὅτι ταῦτα οὐχ ὁμοίως ἐπὶ πάντων ἁπαντᾷ][4].

Ὅθεν, κατὰ τῶν σληριγμῶν τε καὶ ἀναποδισμῶν καὶ προηγήσεων καὶ ὑπολείψεων[5], οὐχ ὁμοίως ἐπὶ πάντων ἁπαντᾷ[6]· ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῶν ε γίνεται[7] ὡς ταῦτα[8] φαίνεται, καὶ εἰ μὴ παντάπασιν ὁμοίως· ἐπὶ μέντοιγε ἡλίου καὶ σελήνης οὐδ' ὅλως· οὔτε γὰρ προηγεῖσθαί ποτε, οὔτε σληρίζειν, οὔτε ἀναποδίζειν οὗτοι φαίνονται, διὰ τὸ τὸν μὲν ἥλιον σύνεγγυς κατὰ τὸν [αὐτὸν][9] χρόνον ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ[10] κύκλου φαίνεσθαι φερόμενον, καὶ τὸν ἐπίκυκλον αὐτὸν[11] κατὰ τοῦ ἐγκέντρου, καθάπερ ἔφαμεν[12], τῆς δὲ σελήνης τὸν ἐπίκυκλον θᾶττον κατὰ τοῦ ἐγκέντρου φέρεσθαι [καὶ][13] τοῦ τῶν ζωδίων ὑπολείπεσθαι κύκλου[14], ἢ αὐτὴν[15] διεξιέναι τὸν ἐπικύκλον.

[1] In codice ὑποσλάσεις.

[2] In codice τοῦ.

[3] In codice compendiose scriptum est ἐγκλ et Ι′ supra λ. Vide Tabulam B, n° 10, et Notam EE.

[4] Uncis inclusa addidimus titulo, re et ipsis auctoris in ipso hoc capite verbis poscentibus. Infra legetur caput XXXV, quod revera est περὶ σληριγμῶν καὶ προηγήσεων καὶ ἀναποδισμῶν.

[5] In codice ὑπολήψεων. Cf. c. XVII-XXI, et *Diss.* part. II, c. IV, § 10. Pro accusativo, genitivus post κατὰ servari potest.

[6] In codice ἐπὶ πάντ' ἁπαντᾶν.

eaque propter varias erga medium per signa circulum obliquitates, aut inclinationes positionesque dissimiles.

[CAPUT XXIX.]

DE STATIONIBUS, AD ANTECEDENTIA MOTIBUS ET RETROCESSIBUS, [QUOD EA NON OMNIBUS SIMILITER OBVENIUNT].

Unde fit ut de stationibus, retrocessibus, ad antecedentia motibus et pone relictionibus non similiter omnibus obveniat. Sed in quinque errantibus stellis hæc quidem fiunt, ut apparent, nec tamen in his etiam omnibus omnino similiter; in Sole vero et Luna nequaquam fiunt: nam neque ad antecedentia unquam mota, neque stantia, neque retrocedentia hæc duo astra cernuntur, quoniam Sol ferme intra idem tempus proprium circulum cernitur percurrens, atque epicyclus ipse concentricum, ut jam diximus, Lunæ autem epicyclus celerius secundum concentricum fertur et a zodiaco circulo pone relinquitur, quam ipsa epicyclum percurrit.

[7] In codice τῶν ἐγίνεσθαι.

[8] In codice legitur ταῦθα; sed syllaba τα supra syllabam θα eadem manu scripta est.

[9] In codice deest αὐτόν.

[10] In codice αὐτοῦ. Sed vide Notam FF.

[11] In codice αὐτοῦ.

[12] Vide c. XXVII.

[13] In codice deest καί.

[14] In codice legitur τὸν.... κύκλον. Sed legendum τοῦ.... κύκλου. Vide Notam FF.

[15] In codice αὐτόν. Sed de Luna agitur. Vide Notam FF.

[Πότερον οἱ πλανῆτες κατὰ τῶν κύκλων, ἢ οἱ κύκλοι φέροντες αὐτοὺς περὶ τὰ ἴδια κέντρα κινοῦνται.][1]

Δῆλον δὲ ὡς οὐδὲν διαφέρει πρὸς τὸ σώζειν τὰ φαινόμενα, τοὺς πλανῆτας κατὰ τῶν κύκλων, ὡς διώρισται, λέγειν κινεῖσθαι, ἢ τοὺς κύκλους φέροντας τὰ τούτων σώματα αὐτοὺς περὶ τὰ ἴδια κέντρα κινεῖσθαι· λέγω δὲ τοὺς
Fol. 18 b. μὲν ἐγκέντρους, φέροντας τὰ τῶν ἐπικύκλων | κέντρα, περὶ τὰ αὐτῶν[2] κέντρα[3] κινεῖσθαι ὑπεναντίως [τῷ παντί][4], τοὺς δὲ ἐπικύκλους, φέροντας τὰ τῶν πλανωμένων σώματα,
Vide descript. VIII. πάλιν περὶ τὰ αὐτῶν[5] κέντρα, οἷον τὸν μὲν μλνξ ἔγκεντρον φέρεσθαι περὶ τὸ θ, τοῦ παντὸς καὶ ἑαυτοῦ[6] κέντρον, ὑπεναντίως τῷ παντί, φέροντα ἐπὶ τῆς αὐτοῦ[7] περιφερείας τὸ[8] μ κέντρον[9] τοῦ εξηκ ἐπικύκλου, ὃν[10], ἔχοντα τὸν πλανώμενον κατὰ τὸ ε, φέρεσθαι πάλιν περὶ[11] τὸ μ κέντρον[12], ἐπὶ μὲν ἡλίου[13] καὶ σελήνης[14] ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ παντί, ἐπὶ

[1] Titulum hunc uncis inclusum addidimus. De hoc capite vide *Dissertationis* part. II, c. IV, § 15. In codice voces ἐπίκυκλον et δῆλον puncto tantum separantur. Hoc caput Chalcidius omnino omisit.

[2] In codice αὐτῶν.

[3] Compendiose scriptum est in codice κεν et τρ supra. Vide Tabulam B, n° 8.

[4] In codice non sunt voces τῷ παντί, quæ sunt necessariæ, et quæ paulo infra simili de re leguntur. Vide Notam J.

[5] In codice τὰ αὐτά : quod falsum est.

[6] In codice ἑαυτόν.

[7] In codice αὐτοῦ.

[8] In codice τοῦ.

[CAPUT XXX.

UTRUM ASTRA ERRANTIA IN CIRCULIS, AN CIRCULI ASTRA FERENTES CIRCUM SUA IPSORUM CENTRA MOVENTUR.]

Clarum est parum referre, volenti salva esse phænomena, utrum astra errantia in circulis, ut definitum est, moveri dicat, an circulos ferentes illorum corpora ipsos circum propria centra moveri : intelligo autem concentricos, ferentes epicyclorum centra, circum sua ipsorum centra moveri in contrariam [universo] partem, et epicyclos, ferentes errantium astrorum corpora, rursus circum sua ipsorum centra, videlicet μλνξ concentricum moveri circum θ, universi ac suum ipsius centrum, contrario, atque universum, motu, ferentem in suo ipsius ambitu μ centrum epicycli εζηκ, quem et ipsum, habentem erraticum astrum in puncto ε, rursus ferri circa μ centrum, quod ad Solem et Lunam spectat, eodem versus quo universum,

Vide descript. VIII.

[9] In codice signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 *n*.

[10] In codice legitur τὸν νεξ. ηκ ἐπίκυκλον. Vox ὃν deest, quæ a librario, ut videtur, pro ultima syllaba vocis ἐπίκυκλον habita est.

[11] In codice ἐπί : quod falsum est.

[12] Signum vocis κέντρον recte exaratum. Vide Tabulam B, n° 4 *h*.

[13] Signum Solis.

[14] Signum Lunæ. Vide Tabulam B, n° 12 *b ter*.

δὲ τῶν ἄλλων καὶ τοῦτον[1] ὑπεναντίως τῷ παντί· σώζεται γὰρ οὕτω τὰ φαινόμενα.

Vide descript. IX.

Κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν πραγματείαν, ὄντος ἐκκέντρου[2] κύκλου τοῦ ελυξ περὶ κέντρον[3] τὸ κ, ἐπὶ μὲν ἡλίου[4] αὐτὸς ὁ ελυξ κύκλος ἐν ἑαυτῷ κινούμενος ὁμαλῶς περὶ τὸ κ κέντρον[5], φέρων τὸν ἥλιον[6] ἐνεσπειρυγμένον κατὰ τὸ ε σημεῖον, σώσει τὰ φαινόμενα, τοῦ κ κέντρου[7] καθ' ἑαυτὸν[8] μὲν μὴ κινουμένου, μηδ' ὑπεναντίως τῷ παντί, συναποφερομένου δὲ τῷ παντί, καὶ πρὸς ἡμέραν ἑκάστην γράφοντος τὸν κρπ κύκλον, ἴσον γινόμενον τῷ τῆς ἑτέρας πραγματείας κύκλῳ· ποιήσεται γὰρ οὕτως ὁ ἥλιος ἀεὶ[9] κατὰ τοὺς αὐτοὺς τόπους μέγιστα ἀποστήματα, καὶ πάλιν καθ' ἑτέρους ἐλάχιστα, καὶ παραπλησίως κατὰ ἄλλους μέσα[10], τὰ μὲν μέγιστα κατὰ τὴν ε ς'[11] μοῖραν, ὡς εἴρηται, τῶν Διδύμων, τὰ δὲ ἐλάχιστα κατὰ τὴν αὐτὴν τοῦ Τοξότου, καὶ τὰ μέσα ὁμοίως κατὰ τὰς αὐτάς τε [τῆς][12] Παρθένου καὶ τῶν Ἰχθύων· ἐπειδὴ καὶ τὸ ε σημεῖον τοῦ ἐκκέντρου[13] ἐφ' οὗ ἐστιν ὁ ἥλιος, τήνδε μὲν ἔχοντος τὴν θέσιν τοῦ κύκλου, φαινόμενον ὑπὸ τοὺς Διδύμους, ἀπογειότατόν ἐστιν· περιενεχθέντος δὲ τοῦ κύκλου περὶ τὸ κ[14] κέντρον[15], μεταπεσὸν[16] ὅπου νῦν ἐστὶ τὸ υ,

[1] In codice *τούτων*. — In hac autem opinione non stetit auctor. Vide c. XXXII et XXXIII, et Notam II.

[2] In codice *ἐγκέντρου*.

[3] In codice *κεν*, et *τρ* supra. Vide Tabulam B, n° 8.

[4] Signum Solis.

[5] Signum vocis *κέντρον*. Vide Tabulam B, n° 1 *d*.

[6] Signum Solis. Vide Tabulam B, n° 11.

[7] In codice signum vocis *κέντρον*. Vide Tabulam B, n° 1 *m*.

[8] In codice *ἑαυτοῦ*.

sed quod spectat ad cetera, ipsum etiam in contrariam universo partem : sic enim salva sunt phænomena.

Et secundum alteram considerationem, sit excentricus circulus ελυξ circa centrum κ : quod ad Solem spectat, circulus ipse ελυξ, intra annum sese æquabiliter movens circa κ centrum ferensque fixum Solem in puncto ε, servabit phænomena, si κ centrum ipsum non per sese quidem, nec in contrariam universo partem moveatur, sed deferatur simul cum universo, et quotidie describat κρπ circulum æquum alterius considerationis circulo. Sic enim Sol faciet semper in iisdem locis maximas a Terra distantias, et rursus in aliis semper iisdem minimas, et similiter in aliis medias, scilicet maximas in quinto et dimidio, ut dictum est, gradu Geminorum, minimas in eodem gradu Sagittarii, ac medias similiter in iisdem gradibus Virginis et Piscium. Nam excentrici punctum ε, in quo est Sol, dum sic positus est circulus, sub Geminis visum, a Terra maxime distat; circulo autem sese volvente circa centrum κ, punctum ε, eo translatum ubi nunc est υ, ap-

Vide descript. IX.

[9] In codice *αἰεί*.
[10] In codice *μέσους*.
[11] In codice *εζ*, consueto librarii errore.
[12] In codice deest *τῆς*.
[13] In codice *ἐγκέντρου*.
[14] Pro *τὸ κ*, in codice scriptum est *τόν*.
[15] Signum vocis *κέντρον* recte exaratum.
[16] In codice *μεταπεσών*; sed refertur ad *τὸ ε σημεῖον*.

φανήσεται μὲν ὑπὸ τὸν Τοξότην, ἔσται δὲ προσγειότατον[1]· μεταξὺ δὲ τούτων, κατά τε τὴν Παρθένον καὶ τοὺς Ἰχθύας[2], μέσως ἀποσταθήσεται[3].

Τὰ δ' ἄλλα πλανητὰ ἐπειδὴ κατὰ πάντα τόπον τοῦ ζωδιακοῦ καὶ μέγιστα καὶ ἐλάχιστα καὶ μέσα ποιεῖται καὶ ἀποστήματα καὶ κινήματα, ἐὰν κέντρῳ[4] μὲν τῷ[5] θ τοῦ πάντος, διαστήματι δὲ τῷ θκ, γεγράφθαι | νοήσωμεν[6] κύκλον τὸν κπρ, ἔπειτα τοῦτ ν[7], ἔγκεντρον ὄντα καὶ ἴσον τῷ τῆς ἑτέρας ὑποθέσεως ἐπικύκλῳ, φέρεσθαι περὶ τὸ θ τοῦ παντὸς κέντρον[8], καὶ συναποφέρειν τὸ κ κέντρον[9] τοῦ ἐκκέντρου[10] ὑπεναντίως τῷ παντὶ ἐν χρόνῳ τινί, τὸν δὲ ελυξ ἔκκεντρον[11] ἐν ἑτέρῳ χρόνῳ κινεῖσθαι περὶ τὸ ἑαυτοῦ κέντρον τὸ κ, φέροντα τὸν πλανώμενον ἐνεσταθηριγμένον ἐν αὐτῷ κατὰ τὸ ε, λαμβανόμενοι[12] τῶν χρόνων[13] καθ' ἕκαστον τῶν πλανωμένων ἰδίων καὶ οἰκείων, σωθήσεται τὰ φαινόμενα.

Fol. 19 a.

Vide iterum descript. IX.

Καὶ ταῦτα μὲν ἐπιπλέον διέξεισι τοῦ προσοικειοῦσθαι ἀλλήλαις τὰς τῶν μαθηματικῶν ὑποθέσεις τε καὶ πραγματείας, οἵτινες πρὸς τὰ φαινόμενα μόνον καὶ τὰς κατὰ συμβεβηκὸς[14] γινομένας τῶν πλανωμένων κινήσεις ἀποβλέποντες, μακροῖς χρόνοις ταύτας τηρήσαντες διὰ τὸ εὐφυὲς τῆς

[1] In codice προσγειότατος.

[2] In codice ἰχθύσας; sed supra σας eadem manu scriptum ας.

[3] Geometrice falsam esse hanc mediarum a Terra distantiarum positionem demonstrabimus in Nota LL ad c. XXXII spectanti, in quo similis error invenitur.

[4] Signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 *k*.

[5] In codice τό.

[6] In codice νοήσομεν.

[7] In codice τοῦτο.

parebit sub Sagittario et erit Terræ proximum; inter hæc autem duo puncta, in Virgine et in Piscibus, in mediis erit distantiis.

Cetera vero astra erratica, quoniam in omni zodiaci loco et maximas et minimas et medias faciunt a Terra distantias ac celeritates, si e centro universi θ, radio $\theta\varkappa$, descriptum esse intelligamus circulum $\varkappa\pi\rho$, deinde hunc, mundo concentricum et æquum alterius hypotheseos epicyclo, volvi circum θ universi centrum, ac secum transferre $\varkappa$ centrum excentrici, motu universi motui contrario, intra aliquod tempus, et excentricum $\varepsilon\lambda\upsilon\xi$ intra aliud tempus volvi circum suum ipsius centrum $\varkappa$, ferentem erraticum astrum ipsi infixum in puncto ε, sumtis temporibus unicuique erraticorum peculiaribus et propriis, phænomena salva erunt. Vide iterum descript. IX.

Atque hæc quidem in longiorem demonstrationem abeunt, invicem consociandi causa mathematicorum hypotheses et considerationes, qui, ad phænomena solum et ad eos, qui *per accidens* fiunt, erraticorum motus attendentes, quum eos per longa tempora obser-

[8] In codice *κέντρου*.

[9] Signum vocis *κέντρον*. Vide Tabulam B, n° 1 *a*.

[10] In codice *ἐγκέντρου*.

[11] In codice *ἔγκεντρον*.

[12] In codice *λαμβανόμενον*; sed ea vox refertur ad (*ἡμεῖς*) *νοήσωμεν*.

[13] In codice *τὸν χρόνον*. Sed mox recte legitur *ἰδίων καὶ οἰκείων* (id est *τῶν χρόνων*), et notum est dici *λαμβάνεσθαί τινος*.

[14] Vide Notam X.

χώρας αὐτῶν, Βαβυλώνιοι καὶ Χαλδαῖοι καὶ Αἰγύπτιοι, προθύμως ἀρχάς τινας καὶ ὑποθέσεις ἀνεζήτουν, αἷς ἐφαρμόζοι[1] τὰ φαινόμενα· δι' οὗ τὸ καὶ τὰ εὑρημένα[2] πρόσθεν ἐπικρίνειν καὶ τὰ μέλλοντα προλήψεσθαι[3] φέροντες, οἱ μὲν ἀριθμητικάς τινας, ὥσπερ Χαλδαῖοι, μεθόδους, οἱ δὲ καὶ γραμμικάς, ὥσπερ Αἰγύπτιοι, πάντες μὲν ἀνὰ φυσιολογίας ἀτελεῖς ποιούμενοι τὰς μεθόδους, δέον ἅμα καὶ φυσικῶς περὶ τούτων ἐπισκοπεῖν· ὅπερ οἱ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀστρολογήσαντες ἐπειρῶντο ποιεῖν, τὰς παρὰ τούτων λαβόντες ἀρχὰς καὶ τῶν φαινομένων τηρήσεις, καθὰ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Ἐπινομίῳ[4] μηνύει· ὡς ὀλίγον ὕστερον ἔσται δῆλον, παρατεθεισῶν τῶν λέξεων αὐτοῦ.

Τὰ Ἀριστοτέλους[5], [Εὐδόξου τε καὶ Καλλίππου].

Καὶ Ἀριστοτέλης δέ, ἐν τοῖς Περὶ οὐρανοῦ[6] κοινῶς διὰ πλειόνων δείξας περὶ τῶν ἄστρων, ὡς οὔτε δι' ἠρεμοῦντος[7] αὐτὰ φέρεται τοῦ αἰθερίου σώματος, οὔτε φερομένου

[1] In codice ἐφαρμόζει.

[2] In codice δι' οὗ τὸ κατὰ τὰ εἰρημένα. Sed vide Notam GG.

[3] In codice καὶ καταμέλλοντα προλείψεσθαι.

[4] De hoc platonici dialogi titulo, vide Notam HH. Infra, in c. XXXIV, *Epinomidis* (p. 986-988) locum, qui hic promittitur, codicis lacuna deesse credimus.

[5] Titulus hic, ne puncto quidem interposito, præcedentibus verbis continuatur, ita ut legatur αὐτοῦ τὰ Ἀριστοτέλους: κε': — Tum itur ad sequentem lineam, cujus prima littera primæ vocis Καὶ rubra est. Sed quid est κε'? Nescio; nisi forte ea est vox sequens καὶ hic male scripta, aut initium vocis κεφάλαιον. Vide Tabulam B, n° 41 *d*. Nec κε' in hoc loco significare potest 25. Nam cetera capita præfixos non habent numeros. Quæ

vaverint, favente ipsorum regionis natura, Babylonii Chaldæique et Ægyptii, diligenter principia quædam et hypotheses quærebant, quibus consonarent phænomena; et hoc quidem modo id obtinebant, ut de prius inventis judicarent ac futura præviderent, hi quasdam arithmeticas, ut Chaldæi, methodos, illi etiam geometricas, ut Ægyptii, adhibentes, cuncti, sine naturali scientia, imperfectis utentes methodis, quum simul etiam physice de iis disceptare oporteat: quod quidem illi qui apud Græcos astronomiæ studuerunt facere sunt conati, ab extraneis illis sumentes principia et phænomenorum observationes, sicut et Plato in *Epinomide* declarat, et paulo post clarum erit, allatis ipsius verbis.

[CAPUT XXXI.]

ARISTOTELIS OPINIO, [EUDOXIQUE ET CALLIPPI].

Aristoteles etiam in libris *De cœlo*, generaliter multa locutus de astris, postquam ostendit neque ipsa per quiescens ferri æthereum corpus, neque cum ipso sese

sequuntur, uncis inclusa, titulo addidimus. Aristotelis enim opinionis declaratio Eudoxi et Callippi opinionum enarrationi ita immixta est, ut nostrum hoc caput in tria capita sub peculiaribus titulis commode dividi non potuerit: quod tamen, sed male, in codice factum est, scholiastæ alicujus aut librarii industria. Caput hoc XXXI in Chalcidii versione latina valde corruptum et mutilum legitur, in qua capita XXXII, XXXIII et XXXIV omissa sunt. De toto hoc capite XXXI, vide *Dissertationis* nostræ part. II, c. III, § 6, et c. IV, § 17.

[6] *De cœlo*, II, 8. — [7] In codice διηρεμοῦντος.

συνθεῖ καθάπερ ἀπολελυμένα καὶ καθ' ἑαυτά, οὔτε μὴν δινούμενα, οὔτε κυλινδούμενα, μᾶλλον δὲ ὑπ' ἐκείνου φέρεται τὰ ἀπλανῆ[1] πολλὰ ὄντα ὑπὸ μιᾶς κοινῆς τῆς ἐκτὸς, τῶν
Fol. 19 b. δὲ πλανωμένων ἕκα|στον ἐν ὑπὸ πλειόνων σφαιρῶν, πάλιν ἐν τῷ λ τῶν Μετὰ τὰ Φυσικά[2] φησιν[3] Εὔδοξον τε καὶ Κάλλιππον σφαίραις[4] τισὶ κινεῖν τοὺς πλανήτας. Τὸ γὰρ Φυσικόν ἐστι μήτε τὰ ἄστρα αὐτὰ κατὰ ταὐτὰ[5] φέρεσθαι κυκλικάς τινας ἢ ἑλικοειδεῖς γραμμὰς καὶ ὑπεναντίως γε τῷ παντί, μήτε αὐτούς τινας κύκλους περὶ τὰ αὐτῶν[6] κέντρα[7] δινεῖσθαι φέροντας ἐνεστηριγμένους τοὺς ἀστέρας, καὶ τοὺς μὲν[8] ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ παντί, τοὺς δὲ ὑπεναντίως. Πῶς γὰρ καὶ δυνατὸν ἐν κύκλοις ἀσωμάτοις τηλικαῦτα σώματα δεδέσθαι;

Σφαίρας δέ τινας εἶναι τοῦ πέμπτου σώματος. οἰκεῖον ἐν τῷ βάθει τοῦ παντὸς οὐρανοῦ κειμένας τε καὶ φερομένας, τὰς μὲν ὑψηλοτέρας, τὰς δὲ ὑπ' αὐτὰς τεταγμένας, καὶ τὰς [μὲν][9] μείζονας, τὰς δὲ ἐλάττονας, ἔτι δὲ τὰς μὲν κοίλας, τὰς δὲ ἐν τῷ βάθει τούτων πάλιν στερεάς, ἐν αἷς, ἀπλανῶν[10] δίκην, ἐνεστηριγμένα τὰ πλανητά, τῇ ἐκείνων ἁπλῇ μέν, διὰ δὲ[11] τοὺς τόπους[12] ἀνισοτάχει φορᾷ, κατὰ

[1] In codice ἐπλανῆ.

[2] *Metaph.* Λ, 8.

[3] In codice φασί.

[4] In codice Εὔδοξος τε καὶ Κάλλιππος · σφαιρας.

[5] In codice τ' αυτὰ (sic).

[6] In codice αὐτῶν.

[7] In codice signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 *a*.

[8] Post μέν, in codice scriptum est ἑπτά : quod aperte falsum est. Vox ἑπτὰ orta est e vocibus ἐπὶ τά, quæ sequuntur. Vide Notam II.

movente currere simul tanquam soluta et per sese ipsa, nec vero in uno loco rotari, nec a loco in locum volvi rotantia, sed potius corpore illo ferri astra inerrantia, quæ multa sunt, una et communi omnibus sphæra extrinsecus involvente, et erraticorum unumquodque pluribus sphæris; rursus in undecimo Metaphysicorum libro dicit Eudoxum et Callippum sphæris quibusdam movere astra errantia. Naturali enim scientiæ consentaneum est, neque astra ipsa eumdem semper in modum ferri per circulos quosdam, aut spiras, et quidem contrario, atque universum, motu, neque quosdam circulos circum sua ipsorum centra rotari ferentes astra sibi infixa, et hos quidem eodem versus quo et universum, illos vero contrario motu. Qui enim fieri potest ut circulis incorporeis talia corpora alligentur?

Immó esse quasdam quinti corporis sphæras congruens est, in cœli universi profundo sitas et sese moventes, has excelsiores, illas sub his positas, has quidem majores, illas vero minores, et has præterea cavas, illas solidas in harum rursus profundo, quibus, inerrantium more, infixa erratica, illorum motu simplici, sed propter locos inæqualiter celeri, delata, *per accidens* cernuntur tanquam varie jam sese moventia et describentia circulos quosdam excentricos, aut etiam aliorum

[9] In codice deest μέν.

[10] In codice ἀπλανῶν.

[11] In codice scriptum est τε.

[12] Vide Tabulam B, n° 39.

συμβεβηκὸς[1] φαίνεται ποικίλως ἤδη κινεῖσθαι καὶ γράφειν τινὰς κύκλους ἐκκέντρους[2], ἢ καὶ ἐφ' ἑτέρων τινῶν κύκλων κειμένους, ἤ τινας ἕλικας, καθ' ὧν οἱ μαθηματικοὶ κινεῖσθαι νομίζουσιν αὐτά[3], τῇ ἀνασπροφῇ ἀπατώμενοι. Ἐπεὶ οὖν φαίνεται μὲν συναποφέρεσθαι ὑπὸ τοῦ παντὸς παρ' ἑκάστην τε[4] καὶ πάντα τὴν ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δύσεις, ἀντιφέρεσθαι δὲ τὴν εἰς τὰ ἑπόμενα κατὰ λοξοῦ τοῦ ζωδιακοῦ μετάβασιν, κινεῖσθαι δέ τι καὶ πλάτος, βορειότερα τε καὶ νοτιώτερα[5] βλεπόμενα, πρὸς δὲ τούτοις ὕψος τε καὶ βάθος, ὁτὲ μὲν ἀπογειότερα, ὁτὲ δὲ προσγειότερα θεωρούμενα, φησὶν ὁ Ἀριστοτέλης ὅτι[6] διὰ πλειόνων σφαιρῶν ἕκαστον οἱ πρόσθεν ὑπετίθεντο φέρεσθαι.

[[Τὰ Εὐδόξου καὶ τὰ[7] Ἀριστοτέλους.]]

Εὔδοξος μὲν ἥλιον καὶ σελήνην διὰ τριῶν σφαιρῶν φησιν ἐσπηρίχθαι, μιᾶς μὲν τῆς τῶν ἀπλανῶν[8] περὶ τοὺς τοῦ παντὸς πόλους δινουμένης καὶ διὰ κράτος κοινῶς πάσας
Fol. 20 a. τὰς ἄλλας | ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δύσεις[9] ἐφελκομένης, ἑτέρας

[1] Vide Notam x.

[2] In codice ἐγκέντρους.

[3] In codice αὐτοῦ. Sed αὐτὰ refertur ad τὰ πλανητά.

[4] Pro τε, in codice legitur δέ. Pro παρ', compendiose scriptum est in fine lineæ πρ, et supra litteram ρ est littera o male exarata et atramento obruta. Vide Tabulam B, n° 32 *b*. Cf. n° 32 *a*. Librarius ergo scribere voluisse videtur πρός. Sed legendum παρ'. Nam cum adjectivo ἑκάστην subaudire oportet ἡμέραν. Atqui, quemadmodum, videlicet in Demosthene (*Pro corona*, § 6) et in Æschine (*Contra Ctesiphontem*, § 55), locutionum παρ' αὐτὰ τἀδικήματα, παρ' αὐτὰ τὰ πράγματα, παρ' αὐτὰ τὰ

quorumdam ambitui insidentes, aut quasdam spiras, per quæ omnia mathematici ipsa moveri censent, sphærarum conversione decepti. Quandoquidem ergo videmus ea universi motu simul deferri quotidie omnia ab ortu ad occasum, contrario autem motu transferri ad sequentia signa per obliquum zodiacum, moveri etiam nonnihil in latitudinem, et ideo nunc magis ad aquilonem, nunc ad austrum magis conspici, prætereaque in excelsum et in humile ferri, unde fit ut nunc magis nunc minus a Terra distantia videantur, dicit Aristoteles priores posuisse per plures quodque sphæras moveri.

[[EUDOXI OPINIO ET ARISTOTELIS.]]

Eudoxus ait Solem et Lunam tribus sphæris infixa esse, quarum una est sphæra inerrantium stellarum, circa polos universi se convertens et per vim alias com-

δεινά, sensus est *in ipsis delictorum, negotiorum, periculorum temporibus*, ita locutionis παρ' ἑκάστην (ἡμέραν) sensus est *intra cujusque diei spatium*. Deinde, cum vocibus τὴν ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δύσεις, subaudire oportet φοράν.

[5] In codice νωτιωτέρα.

[6] Pro ὅτι, in codice est ὁτὲ δέ, errore librarii, propter ὁτὲ δέ, quod præcedit. Priora vero non Aristotelis sunt, sed Theonis, qui Aristotelis mentem non assecutus est. Vide nostræ *Diss.* part. II, c. III, § 6.

[7] In codice κατά. Titulus hic, quia capitis XXXI titulo fit inutilis, minoribus litteris editus est ac geminatis uncis inclusus.

[8] In codice ἀπλανῶν.

[9] In codice ἐπιδύσεις; et mox similiter διαμέσου.

δὲ φερομένης περὶ ἄξονα τὸν πρὸς ὀρθὰς τῷ διὰ μέσου τῶν ζωδίων, δι' ἣν τὴν κατὰ μῆκος μετάβασιν εἰς τὰ ἑπόμενα τῶν ζωδίων κοινῶς ἕκαστον πάλιν φαίνεται ποιεῖσθαι, τρίτης δὲ περὶ ἄξονα τὸν[1] πρὸς ὀρθὰς τῷ λελοξωμένῳ κύκλῳ πρὸς τὸν διὰ μέσου[2] ἐν τῷ πλάτει τῶν ζωδίων, δι' ἧς τὴν κατὰ πλάτος κίνησιν ἕκαστον ἰδίαν, τὸ μὲν ἐν πλείονι, τὸ δὲ ἐν ἐλάττονι φέρεται διαστάσει, βορειότερόν τε καὶ νοτιώτερον γινόμενον[3] τοῦ διὰ μέσων τῶν ζωδίων· τῶν δ' ἄλλων πλανωμένων ἕκαστον διὰ τεττάρων, προστεθείσης, ἄν τις ὑπολάβοιτο[4], σειρήνης[5] καθ' ἕκαστον ἑτέρας, δι' ἧς[6] καὶ τὸ βάθος ἕκαστον ποιήσεται.

[[Τὰ Καλλίππου καὶ τὰ[7] Ἀριστοτέλους.]]

Κάλλιππος δέ, χωρισθοῦ Κρόνου καὶ Διός, τοῖς ἄλλοις καὶ ἑτέρας τινάς, φησί, προσετίθει σφαίρας, ἀνὰ δύο[8] μὲν ἡλίῳ[9] καὶ σελήνῃ[10], τοῖς δὲ λοιποῖς ἀνὰ μίαν.

[1] In codice τῶν.

[2] In codice διαμέσον (sic).

[3] Pro νοτιώτερον, compendiose scriptum est νοτιω, et τρ supra ω, ita ut substantivi casus ignoretur, et legitur γινομένων. Vide Tabulam B, n° 26 *a*.

[4] In codice ἀπολάβηται. Similiter positam in similium propositionum initio particulam ἄν vide apud Platonem : ἂν φαίη ὁ λόγος (in *Phædone*, p. 87 A), et ἂν ἴσως φαίη (in *Hippia Maj.* p. 299 A).

[5] In codice σειρήναι (sic). Vide Notam JJ.

[6] In codice διήσῃ, ubi η in fine ortum esse videtur e x prima vocis sequentis littera.

[7] In codice κατά. Earum autem, quæ falsum hunc titulum

muniter omnes ab ortu ad occasum trahens, alia autem sese movens circum axem ad perpendiculum medio per signa circulo situm, per quam in longitudinem ad sequentia signa communiter singula rursus videntur transferri, et tertia circum axem ad perpendiculum circulo oblique sito erga medium per signa circulum in zodiaci latitudine, per quam motu in latitudinem unumquodque sibi peculiari, hoc in majori, illud in minori fertur spatio, nunc magis aquilonium, nunc magis australe fiens circulo per signa medio; ceterorum vero erraticorum quodque in quatuor sphæris, addita, ut conjici potest, Sirene cuique alia, per quam in altitudinem moveatur.

[[OPINIO CALLIPPI ET ARISTOTELIS.]]

Callippus autem, exceptis Saturno et Jove, ceteris alias etiam, inquit, adjiciebat sphæras, duas Soli et totidem Lunæ, et cuique reliquorum unam.

geminatis uncis inclusum sequuntur, propositionum prima tantum ad Callippi opinionem præcipue spectat; altera vero ad Aristotelem; ceteræ, usque ad titulum c: XXXII a nobis additum, spectant ad Eudoxum Callippumque et Aristotelem simul. Post propositionem primam, nolente codice, ad aliam lineam ivimus. Si codici credas, omnia usque ad c. XXXIII de Callippo et Aristotele forent.

[8] In codice δύο : δύο. Vide Aristotelis *Metaph.* Λ, 8, et *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 6.

[9] In codice signum Solis.

[10] Signum Lunæ. Vide Tabulam B, n° 12 c.

Εἶτα δὲ[1] ἐπιλογίζεται, εἰ μέλλοιεν συντεθεῖσαι σώζειν τὰ φαινόμενα, καθ' ἕκαστον τῶν πλανωμένων καὶ ἑτέρας εἶναι σφαίρας μιᾷ[2] ἐλάττονας τῶν φερουσῶν τὰς ἀνελιττούσας, εἴτε ἑαυτοῦ δόξαν ταύτην, εἴτε ἐκείνων ἀποφαινόμενος. Ἐπεὶ γὰρ ᾤοντο κατὰ[3] φύσιν μὲν εἶναι τὸ ἐπὶ τὸ αὐτὸ φέρεσθαι πάντα, ἑώρων δὲ τὰ πλανώμενα καὶ ἐπὶ τοὐναντίον μεταβαίνοντα, ὑπέλαβον δεῖν εἶναι, μεταξὺ φερουσῶν, ἑτέρας τινάς, σφαίρας δηλονότι, σφαίρας, αἳ τῇ ἑαυτῶν κινήσει ἀνελίξουσι τὰς φερούσας ἐπὶ τοὐναντίον, ἐφαπτομένας αὐτῶν, ὥσπερ ἐν ταῖς μηχανοσφαιροποιΐαις[4] τὰ λεγόμενα τυμπάνια, κινούμενα περὶ τὸ κέντρον[5] ἰδίαν τινὰ κίνησιν, τῇ παρεμπλοκῇ τῶν ὀδόντων εἰς τοὐναντίον κινεῖ καὶ ἀνελίττει[6] τὰ ὑποκείμενα καὶ προσφαπτόμενα[7].

[Περὶ τῆς κατὰ φύσιν ὑποθέσεως.][8]

Ἔστι δὲ τὸ μὲν φυσικὸν ὄντως, πάσας τὰς σφαίρας φέρεσθαι μὲν ἐπὶ τὸ αὐτό, περιαγομένας[9] ὑπὸ τῆς ἐξωτάτω[10], κατὰ δὲ τὴν ἰδίαν κίνησιν, διὰ | τὴν τάξιν τῆς θέσεως καὶ τοὺς τόπους καὶ τὰ μεγέθη, τὰς μὲν θᾶττον, τὰς δὲ βραδύτερον, ἐπὶ τὰ ἐναντία φέρεσθαι περὶ ἄξονας ἰδίους καὶ

Fol. 20 b.

[1] In codice εἰ τα δέ (sic).

[2] In codice μιᾶ.

[3] Pro κατά, in codice scriptum est tantum τά.

[4] Vox ea lexicis addatur.

[5] In codice signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 *b*.

[6] In codice κινεῖν καὶ ἀνελίττειν.

[7] In codice προσφαπτόμενον.

[8] Titulum hunc addidimus. In codice, vox ἐστὶ voci προσφαπτόμενον (sic), puncto tantum interposito, continuatur. Sed

Deinde supputat Aristoteles, si quis voluerit earum compositione salva esse phænomena, erraticorum astrorum unicuique alias esse insuper sphæras, una pauciores deferentibus, in contrariam partem moventes, sive suam ipsius, sive illorum hanc opinionem declarans. Quum enim censerent naturæ esse consentaneum eodem versus omnia ferri, viderent autem erratica etiam contrarie translata, conjiciebant in deferentium intervallis esse oportere alias quasdam, solidas, ut liquet, sphæras, quibus sese ipsas moventibus deferentes in contrariam partem sphæræ revolvantur, et quæ ideo ipsas tangant, sicut in sphæris artificiose structis ea quæ dicuntur tympana, sese moventia circum centrum suum proprio quodam motu, dentium implicatione in contrariam partem movent ac revolvunt infra posita et tangentia corpora.

[CAPUT XXXII.

DE HYPOTHESI RERUM NATURÆ CONSENTANEA.]

Est autem rerum naturæ vere consentaneum, sphæras omnes ferri eodem versus, circumactas extrinsecus involvente sphæra, sed et proprio motu, propter ordinem positionis, locosque et magnitudines, has citius, illas tardius, contrarie ferri circum axes proprios et

male; nam deinceps non de Callippi, aut Aristotelis, sed de auctoris ipsius hypothesi agitur.

[9] In codice περιαγομένῳ.

[10] In codice ἐξωτάτῳ.

λελοξωμένους πρὸς τὴν τῶν ἀπλανῶν[1] σφαῖραν· ὥστε τὰ ἐν αὐταῖς ἄστρα, τῇ τούτων ἁπλῇ καὶ ὁμαλῇ κινήσει φερόμενα, κατὰ συμβεβηκὸς[2] αὐτὰ δοκεῖν συνθέτους καὶ ἀνωμάλους καὶ ποικίλας τινὰς ποιεῖσθαι φοράς· καὶ γράφουσί τινας κύκλους διαφόρους, τοὺς μὲν ἐγκέντρους, τοὺς δὲ ἐκκέντρους, τοὺς δὲ ἐπικύκλους. Ἕνεκα δὲ τῆς ἐννοίας τῶν λεγομένων, ἐπὶ βραχὺ καὶ περὶ τούτων ἐκθετέον, κατὰ τὸ δοκοῦν ἡμῖν ἀναγκαῖον εἰς τὰς σφαιροποιΐας διάγραμμα.

Vide descript. X.

Ἔστω σφαῖρα κοίλη τῶν ἀπλανῶν[3] ἡ αβγδ, περὶ κέντρον[4] τὸ θ τοῦ παντός, ἐν βάθει τῷ αε· διάμετροι δ' αὐτῆς αι[5] αγ, βδ· καὶ νοείσθω ὁ αβγδ κύκλος μέγιστος καὶ διὰ μέσων τῶν ζωδίων· ἑτέρα δέ τις[6] ὑποκάτω τῆς περὶ τὸ αὐτὸ κέντρον, κοίλη σφαῖρα πλανήτου ἡ ερστ καὶ πχυψ, ἐν βάθει τῷ[7] επ· ἐν δὲ τῷ βάθει τούτῳ στερεὰ σφαῖρα ἡ εζπη, ἐνεστηριγμένον ἐν αὐτῇ[8] φέρουσα τὸ πλανώμενον κατὰ τὸ ε. Καὶ πᾶσαι φερέσθωσαν ἐπὶ τὰ αὐτὰ ὁμαλῶς ἁπλᾶς κινήσεις ἀπ' ἀνατολῶν ἐπὶ δύσεις, μόνη δὲ ἡ τὸ πλάτος ἀφορίζουσα τοῦ πλανήτου[9] ἐπὶ τὰ ἐναντία φερέσθω, ἢ ἐπὶ τὰ αὐτὰ μέν, ὑπολειπέσθω δὲ διὰ βραδυτῆτα· ἑκατέρως γὰρ σωθήσεται τὰ φαινόμενα[10]. Ἀλλ' ἡ μὲν τῶν ἀπλανῶν[11] περὶ ἄξονα πρὸς ὀρθὰς τῷ [τοῦ ἰσημερινοῦ ἐπιπέδῳ· ἡ δὲ κοίλη

[1] In codice ἁπλανῶν.
[2] Vide Notam x.
[3] In codice ἁπλανῶν.
[4] Signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 *b*.
[5] In codice ἡ.
[6] Pro δέ τις, scriptum est ἥτις.
[7] In codice τό.
[8] In codice αὐτῇ.

oblique sitos erga inerrantium sphæram : ita ut quæ illis insunt astra, inerrantium simplici et æquabili motu delata, *per accidens* ipsa videantur multiplices inæquabilesque et varios exsequi motus; et sic describunt circulos varios, quorum alii concentrici, alii excentrici, alii epicycli sunt. Sed ut intelligantur quæ dicimus, breviter etiam de his exponendum, secundum eam, quæ nobis necessaria ad sphærarum structuram videtur, descriptionem.

Sit sphæra cava inerrantium stellarum $\alpha\beta\gamma\delta$, circa centrum universi θ, solida in altitudinem $\alpha\varepsilon$; illius autem diametri $\alpha\gamma$ et $\beta\delta$; et intelligatur $\alpha\beta\gamma\delta$ maximus esse circulus et per signa medius; tum alia, infra priorem, quæ est circa idem centrum, cava errantis astri sphæra $\varepsilon\rho\sigma\tau$ et $\pi\chi\upsilon\psi$, solida in altitudinem $\varepsilon\pi$; et intra hanc altitudinem sit solida omnino sphæra $\varepsilon\zeta\pi\eta$, infixum sibi ferens erraticum astrum in puncto ε. Atque omnes ferantur eodem versus æquabiliter simplicibus motibus ab ortu ad occasum, et ea sola, quæ motum erratici in latitudinem definit, contrarie vertatur, aut eodem versus, sed pone relinquatur propter tarditatem. Utroque enim modo salva erunt phænomena. Sed inerrantium sphæra vertatur circum axem ad perpendiculum [æquinoctialis circuli planitiæ, et

Vide descript. X.

[9] In codice Πλάτωνος, ridiculo errore. Recte scriptum est paulo infra ἡ κοίλη τοῦ πλανήτος.

[10] De hac propositione, vide *Diss.* part. II, c. IV, § 18.

[11] In codice ἀπλανῶν.

τοῦ πλανήτος περὶ ἄξονα πρὸς ὀρθὰς τῷ][1] αὐτῷ ἐπιπέδῳ ἐν ᾧ ἐστι καὶ ὁ τὸ πλάτος ἀφορίζων κύκλος[2] ὁ λόξος πρὸς τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων. Φερέσθω δὲ ἡ μὲν τῶν ἀπλανῶν[3] σφαῖρα τάχιστα· βραδύτερον δὲ ταύτης ἡ κοίλη τοῦ πλανήτος ἐπὶ τὰ ἐναντία, ὥστε ἔν τινι ὡρισμένῳ χρόνῳ πᾶσαν ἐπὶ τὰ ἐναντία περιϊέναι τὴν[4] τῶν ἀπλανῶν[5], ἤ, ὥς τινες οἴονται, ὑπολείπεσθαι· ποτέρα δὲ ἀληθεστέρα δόξα ἐν ἄλλοις εἴρηται· φερέτω δὲ τὴν[6] σφαῖραν τὴν στερεὰν
Fol. 21 a. ἔ]χουσαν τὸ πλανώμενον· ἡ δὲ στερεὰ σφαῖρα, φερομένη περὶ τὸν ἑαυτῆς ἄξονα ὁμαλῶς, ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποκατασταθήσεται, κατὰ τὰ αὐτὰ φερομένη τῇ ἀπλανεῖ[7]· ἤτοι δὲ ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποκατασταθήσεται, ἐν ᾧ καὶ ἡ κοίλη τοῦ πλανωμένου τὴν τῶν ἀπλανῶν[8] ἐπὶ τὰ ἐναντία φερομένην περιέρχεται ἢ ὑπολείπεται, ἢ ἧττον, ἢ βραδύτερον.

Ἀποκαθιστάσθω πρότερον ἐν τῷ αὐτῷ· καὶ ἐν τῷ κέντρῳ[9] τῇ σφαίρᾳ[10] τὸ μ· καὶ γεγράφθω κέντρῳ μὲν τῷ θ[11], διαστήματι δὲ τῷ[12] θμ κύκλος ὁ μνξ[13]· τῆς δὲ εὐ-

[1] Uncis inclusa in codice non sunt, sed apud auctorem ipsum deesse non potuerunt, et temere omissa sunt a librario, qui, verbis περὶ ἄξονα πρὸς ὀρθὰς τῷ, in propositione bis obviis, deceptus, a priori loco ad alterum transiliit. Vide Notam KK. De loci sententia, confer ea quæ dixit auctor in c. XXXI, folii 20 *a* initio.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 15 et 18.

[3] In codice ἀπλανῶν.

[4] In codice περιεῖναι τῆς.

[5] In codice ἀπλανῶν.

[6] In codice δὲ ἐπὶ τήν. Sed ἐπὶ sensum omnino turbat.

[7] In codice ἀπλανῆ. De loci sententia, cf. Notam II.

cava sphæra errantis astri circum axem ad perpendiculum] ei planitiæ in qua est etiam circulus latitudinem definiens et oblique situs erga eum qui est per signa medius. Feratur inerrantium sphæra celerrime; ac, illa tardius illique contrarie, cava astri erratici sphæra, ita ut hæc in quodam definito tempore totam contrarie circumeat inerrantium sphæram, sive, ut quidam censent, pone totam relinquatur (utra autem verior sit opinio, in aliis dictum est); atque ferat solidam omnino sphæram, in qua est erraticum astrum. Solida autem sphæra, circum suum ipsius axem sese æquabiliter volvens, ad eumdem situm restituetur, similem in modum inerranti delata; atque, aut ad eumdem situm redibit intra idem tempus, in quo etiam cava erratici sphæra inerrantium sphæram contrarie sese moventem vel totam circumit, vel pone totam relinquitur, aut celerius, aut tardius.

Restituatur primum intra idem tempus; et in sphæræ centro sit μ; describaturque e centro θ, radio $\theta\mu$, circulus $\mu\lambda\nu\xi$; recta autem linea $\varepsilon\nu$ bipartita in

[8] In codice *ἁπλανῶν*.

[9] In codice signum vocis *κέντρον*. Vide Tabulam B, n° 1 *p*.

[10] In codice *τῇ σφαῖρα* (sic).

[11] In codice, post signum vocis *κέντρον*, cui nulla addita est casus indicatio, scriptum est *μὲν τὸ* (sic) *θ*. Vide Tab. B, n° 1 *i*.

[12] In codice *τό*.

[13] In codice *μψνξ*. Sed paulo infra recte scriptum est *μλνξ*. Litteræ *ψ* alius est usus in eadem hac geometrica descriptione.

θείας[1] δίχα διαιρεθείσης κατὰ τὸ H[2], κέντρῳ[3] μὲν τῷ[4] H, διασλήματι δὲ τῷ Hε[5], κύκλος γεγράφθω ὁ ελυξ, ἔκκεντρος[6] πρὸς τὸ πᾶν. Φανερὸν δὴ ὅτι ἐν ᾧ χρόνῳ ἡ κοίλη σφαῖρα τοῦ πλανωμένου τῆς τῶν ἀπλανῶν[7] ὑπολείπεται φέρουσα τὴν σλερεάν, τὸ μὲν μ κέντρον[8] τῆς σλερεᾶς σφαίρας διελεύσεται τὸν μλυξ[9] κύκλον ἔγκεντρον[10], ἐπὶ τὰ ἐναντία δοκοῦν φέρεσθαι καὶ ἀπάγον τὴν σλερεὰν σφαῖραν, τὸ[11] δὲ ἐπὶ τοῦ ε πλανώμενον ἐν μὲν τῇ σλερεᾷ σφαίρᾳ[12] γράψει τὸν επ[13] κύκλον, ἐπίκυκλον γινόμενον τοῦ μλυξ ἐγκέντρου[14], αὐτὸν φερόμενον ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ παντί, [καὶ][15] κατὰ συμβεβηκὸς[16] γράψει καὶ τὸν ελυξ ἔκκεντρον[17] ἴσον τῷ ἐγκέντρῳ, περιγράφον αὐτὸν ἐπὶ[18] τὰ ἐναντία τῷ

[1] In codice τῆς δὲ εὐθείας, omissis litteris ευ, propter simile vocis εὐθείας initium. Vide lineam ευ in descriptione x.

[2] In codice η. Hic et in sequentibus, quotiescumque de excentrici circuli centro agitur, majori littera scribimus H, ut ab η epicycli puncto in eadem descriptione discernatur.

[3] Signum vocis κέντρον, supra quod est ω casum indicans. Vide Tabulam A, n° 1 *s*.

[4] In codice τό.

[5] In codice τὸ (sic) κε. Jam sæpius, in indicandis lineis, κ pro η offendimus.

[6] In codice ἔγκεντρος.

[7] In codice ἀπλανῶν.

[8] In codice signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 *d*.

[9] In codice μνξ.

[10] In codice, post syllabam ἔγ, est signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 3 *a*.

[11] In codice legitur τόν. Sed πλανώμενον esse debet in nominandi casu. Ergo legendum τό. Auctor enim dicit, modo

puncto H, e centro H, radio Hε, describatur circulus ελυξ, excentricus erga universum. Evidens est prorsus fore ut, in quo tempore cava erratici sphæra pone totam inerrantium sphæram relinquitur, solidam ferens, in eodem centrum μ solidæ sphæræ percurrat μλνξ circulum concentricum, ita ut ipsum videatur contrarie ferri et secum abducat solidam sphæram; ac fore ut in eodem etiam tempore in puncto ε situm erraticum astrum in solida sphæra describat circulum επρζ, qui fit epicyclus concentrici μλνξ et vertitur ipse eodem versus, quo et universum, utque astrum etiam per accidens describat ελυξ excentricum æquum concentrico, circumscribens illum in partem motui universi contrariam, et videatur a puncto θ

πλανώμενος vel πλανὴς (ἀστήρ), modo πλανώμενον vel πλανητὸν (ἄστρον). Vide οἱ πλανῆτες, *Astron.* c. VI, XII, XVIII, XIX, XX, XXI, etc.; τὰ πλανώμενα, c. XVII, XXIII, XXV, etc.; τὰ πλανητά, c. XXX et XXXI; οἱ πλανώμενοι, c. XXX, XL, XLI et XLII; οἱ ἑπτά, c. XXVI initio.

[12] In codice τῇ στερεᾷ σφαῖρα (sic).

[13] In codice legitur εντζ; sed η et π ita scribi solent, ut, si utrique litteræ lineamentum unum detraxeris, fiant ν et τ.

[14] In codice, post ἐγ est signum vocis κεντρον, linea horizontali superposita. Vide Tabulam B, n° 3 *b*.

[15] In codice deest καί.

[16] Vide Notam X.

[17] In codice, post ἐκ, est signum vocis κέντρον, cum *accentu* quem dicunt *gravi*. Vide Tabulam B, n° 2 *k*.

[18] Scriptum est περιγράφων αὐτὸν περί : duplex error in aperto est.

παντί, δόξει δὲ τοῖς ἀπὸ τοῦ θ ὁρῶσι[1] καὶ τὸν αβγδ ζωδιακὸν διανύειν, εἰς τὰ ἑπόμενα προϊὸν[2] ὑπεναντίως τῇ τοῦ παντὸς Φορᾷ· φανήσεται δὲ καὶ πλάτος κινεῖσθαι τὸ κατὰ λόγον τῆς λοξώσεως τοῦ ἐπιπέδου πρὸς τὸν διὰ μέσων[3] τῶν ζωδίων, οἷς ἐπιπέδοις[4] πρὸς ὀρθὰς οἱ ἄξονες τῶν σφαιρῶν αὐτοῦ· κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τόπον ἀεὶ[5] μέγιστον ἀπόστημα ποιήσεται καὶ τὰ[6] ἐλάχιστα δόξει κινεῖσθαι, οἷον κατὰ τὸ α σημεῖον τοῦ ζωδιακοῦ, ἐπειδὰν τῆς στερεᾶς σφαίρας τὸ κέντρον ἐπὶ τῆς αθ εὐθείας κατὰ τὸ μ, αὐτὸ δὲ τὸ πλανώμενον κατὰ τὸ ε· κατὰ δὲ τοὐναντίον ἀεὶ τὸ ἐλάχιστον ἀποστήσεται καὶ τὰ μέγιστα δόξει κινεῖσθαι, οἷον |
Fol. 21 b. κατὰ τὸ γ σημεῖον τοῦ ζωδιακοῦ, ἐπειδάν, ἐπὶ τὰ ἐναντία τῆς κοίλης σφαίρας μεταπεσούσης, καὶ τῆς στερεᾶς τὸ μὲν κέντρον[7] ἐπὶ τῆς θγ εὐθείας γένηται κατὰ τὸ ν, αὐτὸ δὲ τὸ πλανώμενον κατὰ τὸ γ, τουτέστι κατὰ τὸ υ. Τὰ μέντοι μέσα ἀποστήματα καὶ τὰ μέσα κινήματα ποιήσεται διχῇ[8], κατὰ τὰς διχοτομίας γινόμενον τοῦ εζπη[9] ἐπικύκλου καὶ τοῦ[10] μλνξ ἐγκέντρου[11], οἷον τὰς ζ, η[12], αἵτινες, διὰ τὴν ἐπὶ τὰ ἐναντία μετάπτωσιν τῶν σφαιρῶν ἢ ὑπόλειψιν[13], αἱ αὐ-

[1] In codice ὀρῶσιν.
[2] In codice προϊών.
[3] In codice τῶν διαμέσων. Cum τὸν subauditur κύκλον.
[4] In codice ᾧ ἐπίπεδοι, quod sensu caret.
[5] In codice αἰεί.
[6] Pro καὶ τά, scriptum est κατά.
[7] Signum vocis κέντρον. Vide Tabulam B, n° 1 c.
[8] In codice διχῇ.
[9] In codice ξ̄. πη̄.

spectantibus ipsum quoque αϐγδ zodiacum conficere, ad sequentia procedens in contrariam motui universi partem. Videbitur autem etiam in latitudinem moveri eadem proportione, qua circuli planitia obliqua est circulo per signa medio : quibus quidem planitiis ad perpendiculum sunt axes ambarum ipsius sphærarum. Sed et in eodem semper loco habebit maximam a Terra distantiam videbiturque tardissime moveri, videlicet in zodiaci puncto α, postquam solidæ sphæræ centrum in recta linea $\alpha\theta$ erit in puncto μ, et astrum ipsum in puncto ε; atque in opposito puncto semper minime a Terra distabit et celerrime moveri videbitur, in zodiaci puncto γ, postquam, solida sphæra in locum oppositum translata, solidæ etiam sphæræ centrum in $\theta\gamma$ recta linea erit in puncto ν, et ipsum erraticum astrum in puncto γ, id est in puncto ν. Medias vero distantias mediosque motus habebit duobus in locis, quum erit in punctis bipartientibus epicyclum $\varepsilon\xi\pi\eta$ et concentricum $\mu\lambda\nu\xi$, videlicet in punctis ζ, η, quæ, propter contrariam sphærarum translationem, vel pone relictionem, eadem fiunt atque λ, ξ,

[10] In codice τὸ.

[11] In codice, post ἐκ, est signum vocis κέντρον, syllaba ου superposita. Sed legendum ἐγκέντρου. Vide Notam BB, et Tabulam B, n° 2 *h*.

[12] Pro τάς, in codice scriptum est τὸ ε, et pro ζ, η, scriptum est ξν̄. Facile mutantur ς in ε, ζ in ξ, et η in ν.

[13] In codice ὑπόληψιν.

dicitur. Quum accurate secundum diametron sunt, ita ut in eadem, ut dicimus, recta linea consistant, centra Solis, Terræ, ipsiusque Lunæ, tum per mediam umbram Luna transiens deficit tota. Quum proxime quidem, nec tamen vere in eadem sunt recta linea, aliquando non tota deficit. Verum plerumque, quum non in *συνδέσμοις* sint Solis et Lunæ corpora pleniluniorum tempore, Terræ umbra sic etiam in una erit recta linea cum Sole; at Luna magis aquilonia aut australis facta, quam umbra est, in illam ne tantillum quidem incurrens, nequaquam deficiet.

Et hæc quidem Adrastus. Dercyllides autem nullo peculiari et ad id composito ordine de his conscripsit. Quæ tamen et ipse demonstrat in libro *De fuso et spondylis quorum mentio in Republica apud Platonem*, talia sunt.

[CAPUT XL.]

QUIS QUID INVENERIT IN MATHEMATICA SCIENTIA.

Eudemus in libris *de Astronomia* narrat Œnopidem invenisse primum zodiaci cincturam et magni anni vi-

[9] Signum Lunæ, cum littera *s*. Vide Tabulam B, n° 12 *b bis*.

[10] Signum Solis.

[11] Signum Lunæ, cum littera *η*. Vide Tabulam B, n° 12 *a*.

[12] In codice *οὐδόλως*. Cetera usque ad operis finem omnia Chalcidius omisit.

[13] In codice *Δερβυλλίδης*. Sed vide Notam oo.

[14] In codice *οὐδὲ μιᾶ*.

[15] In codice *οἰκεία*.

[16] In codice *προσηκούση*.

[17] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 3. In fine excerptorum

λου ἐνιαυτοῦ περίστασιν. Θαλῆς δὲ ἡλίου[1] ἔκλειψιν[2] καὶ τὴν κατὰ τὰς τροπὰς αὐτοῦ περίοδον[3], ὡς οὐκ ἴση ἀεὶ συμβαίνει[4]. Ἀναξίμανδρος δέ, ὅτι ἐστὶν ἡ γῆ[5] μετέωρος καὶ κινεῖται περὶ τὸ τοῦ κόσμου μέσον· Ἀναξιμένης δέ, ὅτι ἡ σελήνη[6] ἐκ[7] τοῦ ἡλίου[8] ἔχει τὸ φῶς καὶ τίνα ἐκλείπει τρόπον· οἱ δὲ λοιποὶ ἐπὶ[9] ἐξευρημένοις[10] τούτοις ἐπεξεῦρον[11] ἕτερα· ὅτι οἱ ἀπλανεῖς[12] κινοῦνται[13] περὶ τὸν διὰ [τῶν] πόλων[14] ἄξονα μένοντα, οἱ δὲ πλανώμενοι περὶ τὸν τοῦ ζωδιακοῦ, πρὸς ὀρθὰς ὄντα αὐτῷ, ἄξονα[15], ἀπέχουσι δὲ[16] ἀλλήλων ὅ τε τῶν[17] ἀπλανῶν[18] καὶ τῶν πλανωμένων ἀξόνων[19] πεντεκαιδεκαγώνου[20] πλευράν[21], ὅ ἐστι[22] μοῖραι κδ[23].

ex Anatolio, quæ in Fabricii *Bibliotheca græca* leguntur, t. II, p. 277 (278) vet. ed., totum hoc caput cum eodem titulo est, quod Anatolius aut e Dercyllide, aut e Theone ceperat. Lectionis varietatem indicabimus. In titulo Anatolius legit *μαθηματικοῖς*.

[1] Signum Solis.

[2] Anatolius, *ἔλλειψιν*.

[3] Anatolius recte, *περίοδον*; codex Theonis, *πάροδον*.

[4] In Theonis codice *συμβαίνειν*.

[5] Codex Theonis, *γῇ*.

[6] Signum Lunæ, cum littera *η*. Vide Tabulam B, n° 12 *a*.

[7] Anatolius apud Fabricium, *ετ*, mendo typographico.

[8] In codice, signum Solis.

[9] Apud Anatolium non est *ἐπί*.

[10] Codex Theonis, *ἐξηυριμενοις*; Anatolius, *ἐξευρημένοις*.

[11] Anatolius, *ἐπέταξαν*.

[12] Codex Theonis, *ἀπλανεῖς*, ut semper.

[13] Sic Anatolius; codex Theonis male, *κινεῖται*.

[14] Codex Theonis, *διὰ πόλου*; Anatolius, *διὰ τῶν πόλων*:

cissitudinem; Thalen autem, Solis defectum et illius per solstitia circuitum non semper æquo tempore fieri; Anaximandrum, Terram esse in aere suspensam et moveri circa mundi medium; Anaximenem, Lunam a Sole lumen habere et quomodo deficiat. Ceteri his inventis inventa alia addiderunt : astra inerrantia moveri circum axem, qui polos pertransit, immobilem, atque erratica circum zodiaci axem, qui zodiaco ad perpendiculum est, et invicem discedere axem inerrantium erraticorumque astrorum axem quindecim laterum polygoni uno latere, id est gradibus 24.

quod etiam in Theonis codice recte scriptum legetur paulo infra, in capite XLII, ubi eadem omnino verba iterantur.

[15] Theonis codex, *αὐτοῦ ἄξονα*; Anatolius, *ἄξονα αὐτῷ* : in capite XLII, ubi eadem verba iterantur, recte in codice legetur *αὐτῷ ἄξονα*.

[16] Apud Anatolium, *ἀπέχουσιν* sine *δέ*.

[17] Sic optime codex Theonis; Anatolius pessime, *ὅτι τὸν τῶν*.

[18] In codice *ἀπλανῶν*, ut semper.

[19] Sic optime codex Theonis; Anatolius pessime, *ἄξονα*.

[20] Vox ea lexicis addatur.

[21] Sic recte Anatolius; codex Theonis male, *πλευράς*. Sed in sequenti capite recte codex idem scriptum habet *πλευράν*.

[22] Sic recte codex Theonis; Anatolius male, *οἱ εἰσι*.

[23] Pro *μοῖραι κδ*, Anatolius habet *μοῖραι εἰκοσιτέσσαρες*, quod idem est. Codex Theonis habet *μοηδ*, ubi *μο* est vox *μοῖραι* compendiose scripta, et pro *κδ*, scriptum est *ηδ*. Frequentissimus in Theonis codice est error de *η* et *κ* litteris, præcipue quum eis numeri aut descriptionum geometricarum puncta indicantur. Nec ultra Anatolius.

Τίνες αἱ τῆς ἀστρονομίας ὑποθέσεις.

Ἐν δὲ τοῖς ἐφεξῆς φησιν [ὅτι][1] ὃν τρόπον ἐπὶ γεωμετρίᾳ[2] καὶ μουσικῇ, μὴ κατασπησάμενον τὰς ὑποθέσεις,
Fol. 26 b. ἀδύνατον τῶν μετὰ τὰς ἀρχὰς | λόγων ἐξάπτεσθαι, κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ἐπὶ τῆς ἀστρολογίας προομολογεῖσθαι χρὴ τὰς ὑποθέσεις, ἐφ' αἷς[3] προέισιν ὁ λόγος ὁ περὶ τῆς τῶν πλανωμένων κινήσεως. Πρὸ πάντων δέ, φησί, σχέδον τῶν περὶ τὰ μαθηματικὰ τὴν πραγματείαν ἐχόντων, ἡ λῆψις τῶν ἀρχῶν, ὡς ὁμολογουμένως[4], ἐστίν· Πρῶτον μέν, ὡς ἐστιν ἡ τοῦ κόσμου σύστασις τεταγμένως ἐπὶ μιᾶς ἀρχῆς διεπομένη, ὑφεστηκέ τε τὰ ὄντα καὶ φαινόμενα ταῦτα· διὸ μὴ δεῖν φάναι τὸν κόσμον τῆς ἡμετέρας ὄψεως ἐκ τοῦ ἀπείρου, ἀλλὰ κατὰ περιγραφὴν εἶναι. Δεύτερον δέ, ὡς οὐ σβέσει[5] καὶ ἀνάψει τῶν θείων σωμάτων αἵ τε ἀνατολαὶ καὶ δύσεις· ἀλλὰ γάρ, εἰ μὴ ἀΐδιος τούτων ἡ διαμονή, οὐκ ἂν ἡ ἐν τῷ παντὶ τάξις[6] φυλαχθείη. Τρίτον, ὡς οὐ πλείους οὐδὲ ἐλάττονες τῶν ζ οἱ πλανώμενοι· καὶ τοῦτο δῆλον ἐκ μακρᾶς τηρήσεως. Τέταρτον, ἐπεὶ οὔτε πάντα τὰ ὄντα κινεῖσθαι εὔλογόν ἐστιν, οὔτε πάντα μένειν, ἀλλὰ τὰ μὲν κινεῖσθαι, τὰ δὲ μένειν, ὁμολογεῖσθαι δεῖ τίνα[7] ἐν τῷ παντὶ μένειν χρή,

[1] In codice deest ὅτι, unde tamen pendere χρὴ in aperto est.

[2] Scriptum est γεωμε, et τρ supra syllabam με. Vide Tabulam B, n° 25.

[3] In codice ἐφ' οἷς.

[4] An legendum ὁμολογουμένων? Servari tamen potest ὡς ὁμολογουμένως.

[CAPUT XLI.]

QUÆ SINT ASTRONOMIÆ HYPOTHESES.

In sequentibus autem dicit, quemadmodum in geometria et musica, nisi hypotheses constitueris, impossibile est ea tractare quæ post principia sunt, sic etiam in astronomia prius de hypothesibus conveniat oportere, a quibus procedat sermo de erraticorum astrorum motu. Ante omnia, inquit, fere, quæ ad mathematicarum rerum considerationem spectant, est principiorum sumtio, ut inter omnes convenit. Quorum primum est, mundi compositionem existere ordinatim unius ope principii administratam, et his omnibus inesse substantiam existentibus et apparentibus, ac ideo dicere non oportere mundum ex infinito esse, qua noster patet aspectus, sed eum suos habere limites. Secundum est autem principium, non exstinctione et incensione fieri divinorum corporum ortus et occasus; quippe quæ si non æterna permanerent, nullus ordo in universo servaretur. Tertium, nec plura, nec pauciora, quam 7 esse astra errantia: quod quidem longa observatione constat. Quartum, quoniam nec quæ sunt omnia moveri rationi consentaneum est, nec omnia quiescere, immo hæc moveri, illa quiescere, de hoc con-

[5] In codice σθέση.

[6] In codice legitur τάξεις; sed supra syllabam εις sunt puncta librarii dubitationem indicantia. Vide Tab. B, n° 37 *f*.

[7] In codice legitur τινα; sed paulo post recte, τίνα.

καὶ τίνα κινεῖσθαι. Φησὶ δ' ὡς γῆν μὲν χρὴ οἴεσθαι μένειν, ἑστίαν τοῦ θεῶν οἴκου κατὰ τὸν Πλάτωνα[1]· τὰ γὰρ πλανώμενα σὺν τῷ παντὶ περιέχοντι οὐρανῷ κινεῖσθαι· τοὺς δὲ τὰ κινητὰ στήσαντας, τὰ δὲ ἀκίνητα φύσει καὶ ἕδρᾳ κινήσαντας, ὡς παρὰ τὰς τῆς μαντικῆς ὑποθέσεις, ἀποδιοπομπεῖται.

Ἐν δὲ τούτοις φησὶ καὶ κατὰ μῆκος τοὺς πλανωμένους κινεῖσθαι καὶ βάθος καὶ πλάτος τεταγμένως[2] καὶ ὁμαλῶς καὶ ἐγκυκλίως, ἡγησάμενος[3], κἂν σφαλοίμεθα τῆς περὶ αὐτοὺς ἀληθείας· διὸ τάς τε ἀνατολὰς καὶ παρανατολάς[4], τὴς κατὰ μῆκος κινήσεως[5]· καὶ τὰς ὑπὸ[6] τῶν πρεσβυτέρων ἀποδιδομένας ἐκλύτους καὶ ῥαθύμους αἰτίας τῆς ὑπολείψεως[7] λεγομένης[8] παραιτεῖται. Ὀρθὸν δὲ τὸ νομίζειν, φησί[9], πᾶν τὸ ἄλογον καὶ ἄτακτον φυγόντας τῆς τοιαύτης κινήσεως, ἐναντίαν τῇ ἁπλανεῖ[10] φορᾷ τὰ πλανώμενα κινεῖσθαι ῥέμα, περιαγομένης[11] τῆς ἐντὸς φορᾶς ὑπὸ τῆς ἐκτός. Οὐκ ἀξιοῖ δὲ τοῦ πλανωμένου αἰτίας οἴεσθαι τὰς
Fol. 27 a. ἑλικοειδεῖς γραμμάς, ὡς προηγουμένας, τάς τε ἱππικῇ παραπλησίας[12]· γίνεσθαι μὲν γὰρ ταύτας κατὰ συμβεβηκός[13]· πρώτην δὲ προηγουμένην αἰτίαν εἶναι καὶ τοῦ πλάνου καὶ τῆς ἕλικος τὴν κατὰ λοξοῦ τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου κίνησιν·

[1] Vide *Phædrum*, p. 247 A.
[2] In codice τεταγμένος.
[3] In codice ἡγησαμένου.
[4] Vox ea lexicis addatur.
[5] Vox εἶναι aut addenda, aut subaudienda est. Vide Not. PP.
[6] In codice ἀπό.
[7] In codice ὑπολήψεως. Vide c. XVIII.
[8] In codice λεγομένας.
[9] In codice φησίν.

veniat oportere, quænam in universo quiescere sit necesse, et quænam moveri. Dicit autem censendum esse Terram quiescere, domus deorum focum secundum Platonem: erratica enim astra cum universo ipsa involvente cœlo moveri; eos vero qui stare voluerunt ea quæ moventur, et qui natura situque immobilia moverunt, utpote divinationis principia subvertentes, exsecratur.

Atque in his etiam dicit astra errantia moveri in longitudinem, altitudinem et latitudinem ordinatim, æquabiliter et per circulos, sic esse ducens, etiamsi a veritate circa illa aberrare possumus. Quapropter astrorum primas apparentias et simultaneos ortus e motu in longitudinem pendere credit; atque ab antiquioribus traditas faciliori et incuriosa opera causas ejus, quæ sic dicitur, pone relictionis rejicit. Rectum est autem, inquit, id omne fugientes, quod in tali motu a ratione et ordine alienum est, censere motu inerranti motui contrario astra erratica ferri tardius, ita ut motum interiorem exterior secum convertat. Nec existimat motus erratici causas habendas esse spiras, tanquam antecedentes, neque lineas equi sinuoso cursui similes; has enim *per accidens* fieri : primam autem antecedentem erratici motus et spiræ causam esse motum qui per obliquum zodiacum circulum peragitur. Adventi-

[10] In codice ἀπλανῃ.

[11] In codice περιαγαμένης.

[12] In codice ἱππικὴ περι πλησίας. Vide Notam QQ.

[13] Vide Notam X.

καὶ γὰρ ἐπεισοδιώδης καὶ ὑσλέρα ἡ κατὰ τὴν ἔλιπα κίνησις[1], ἐκ τοῦ διπλοῦ τῆς περὶ αὐτοὺς κινήσεως ἀποτελουμένη. Προτέραν δὲ χρὴ ταύτης[2] τὴν κατὰ τοῦ λοξοῦ προηγουμένην[3] κίνησιν· ἑπομένη γὰρ ἡ ἕλιξ, καὶ οὐ πρώτη.

Πάλιν παραιτεῖται καὶ τῆς κατὰ τὸ βάθος κινήσεως αἰτίας εἶναι τὰς ἐκκεντρότητας· περὶ δὲ κέντρον ἔν τι[4] τὸ[5] αὐτῆς καὶ κόσμου ἡγεῖται τοῖς κατ' οὐρανὸν φερομένοις πᾶσι τὴν κίνησιν εἶναι, κατὰ συμβεβηκὸς ὑπὸ τῶν πλανωμένων, οὐ κατὰ προηγουμένην[6], ὡς ἐπάνω ἐπεδείξαμεν, τῶν ἐπικύκλων καὶ τῶν ἐκκέντρων κύκλων διὰ τοῦ τῶν ἐγκέντρων[7] πλάτους γραφομένων. Δυὸ γὰρ ἐπιφανείας ἔχει ἑκάστη[8] σφαῖρα, τὴν μὲν ἐντὸς κοίλην, τὴν δὲ ἐκτὸς κυρτήν, ὧν ἐν τῷ μεταξὺ κατ' ἐπικύκλους καὶ ἐγκέντρους[9] κινεῖται τὰ ἄσλρα, καθ' ἣν κίνησιν καὶ τοὺς ἐκκέντρους κατὰ συμβεβηκὸς γράφει. Φησὶ δὲ καί, κατὰ[10] μὲν τὰς ἡμετέρας φαντασίας, ἀνωμάλους εἶναι τῶν πλανωμένων κινήσεις, κατὰ δὲ τὸ ὑποκείμενον, ὁμαλάς[11], καὶ τἀληθές· πᾶσι δὲ τὴν κίνησιν προαιρετικὴν καὶ ἀβίαστον εἶναι, δι' ὀλίγων φορῶν καὶ ἐν τεταγμέναις σφαίραις. Αἰτιᾶται δὲ τῶν φιλοσόφων ὅσοι ταῖς σφαίραις, οἷον ἀψύχοις, ἐνείσαντες τοὺς ἀσλέρας καὶ τοῖς τούτων κύκλοις, πολυσφαιρίας[12] εἰσηγοῦνται,

[1] In codice κίνησιν.
[2] In codice ταύτην.
[3] In codice προηγουμένης.
[4] In codice ἐν τῇ.
[5] In codice τῆς.
[6] Vox φορὰν aut addenda, aut subaudienda est.
[7] In codice ἐκκέντραν. Sed vide Notam RR.
[8] In codice ἑκάστης.

cius enim et posterior est in spiram motus, duplici illorum motu effectus. Quo prior habendus est antecedens per obliquum circulum motus; spira enim sequens, nec vero prima est.

Rursus pro causis motus in altitudinem habere recusat excentricorum circulorum a mundi centro distantias; sed circum unum centrum et motus et mundi simul censet ea omnia ferri quæ in cœlo moventur, ita ut per accidens, non vero antecedenti motu, ut supra ostendimus, astra erratica epicyclos et excentricos circulos in concentricorum planitia describant. Nam sphærarum cuique superficies duæ sunt, una intus concava, altera extrinsecus convexa, quarum in intervallo secundum epicyclos et concentricos moventur astra eo motu, quo etiam excentricos per accidens describunt. Dicit præterea, secundum succurrentes quidem nobis species, inæquabiles esse astrorum errantium motus, sed reapse et revera æquabiles; omnibus autem voluntarium nec coactum fieri motum, per paucos circuitus et in ordinatis sphæris. Philosophorum eos incusat, quicumque, postquam astra, tanquam inanímata, cum sphæris et earum circulis in unum copulaverunt, sphærarum

[9] In codice *ἐκκέντρους*. Sed vide Notæ RA finem.

[10] Post *καί*, in codice, pro *κατά*, legitur *του*, et supra *υ* est *τ* cum accentu acuto : quod sonat *τοῦτο*. Vide Tabulam B, n° 28. Sed legatur oportet *κατά*.

[11] In codice *ὁμαλῶς*.

[12] Vox ea lexicis addatur. Cf. vocem *μηχανοσφαιροποιίαις*, c. XXXI, fol. 20 *a*. In codice legitur *πολυσφαιρέας*.

ὥσπερ Ἀριστοτέλης ἀξιοῖ, καὶ τῶν μαθηματικῶν Μέναιχμος[1] καὶ Κάλλιππος[2], οἳ τὰς μὲν φερούσας, τὰς δὲ ἀνελιττούσας εἰσηγήσαντο. Ἐπὶ[3] δὲ τούτοις ὁμολογουμένοις, περὶ μένουσαν[4] τὴν γῆν τὸν οὐρανὸν σὺν τοῖς ἄστροις ἠγεῖται κινεῖσθαι ἐν ὁμαλαῖς καὶ ἐγκυκλίοις κινήσεσιν, ἐλαχίσταις[5] τε καὶ συμφώνοις ἐγκέντροις τε καὶ ἀδιάστοις
Fol. 27 b. φοραῖς, καὶ ταύτας σωζομένας[6] καὶ | παρὰ Πλάτωνι ἀποδείκνυσι τὰς ὑποθέσεις.

[Περὶ τοῦ εἰς πόσον λελόξωται ὁ ζωδιακός[7]].

Κινοῦνται δὲ οἱ μὲν ἀπλανεῖς[8] περὶ τὸν διὰ τῶν πόλων[9] ἄξονα μένοντα, οἱ δὲ πλανώμενοι περὶ τὸν τοῦ ζωδιακοῦ, πρὸς ὀρθὰς ὄντα αὐτῷ, ἄξονα· ἀπέχουσι δ' ἀλλήλων ὁ περὶ τῶν ἀπλανῶν[10] καὶ τῶν πλανωμένων ἀξόνων πεντεκαιδεκαγώνου πλευράν. Δίχα μὲν τέμνει τὸν κόσμον ὁ ζωδιακός, μέγιστος ὤν· τῆς δὲ τοῦ παντὸς περιφερείας εἰς τξ μοίρας διαιρουμένης, ὁ ζωδιακὸς ἑκατέρωθεν ρπ μοίρας ἀπολαμβάνει· ὁ δὲ ἄξων τοῦ ζωδιακοῦ, πρὸς ὀρθὰς ὤν, δίχα διαιρεῖ τὰς ρπ[11] μοίρας· λελόξωται δὲ ὁ ζωδιακὸς ἀπὸ τοῦ χειμερινοῦ παραλλήλου ἐπὶ τὸν θερινόν· εἰσὶ δὲ ἀπὸ μὲν τοῦ θερινοῦ ἐπὶ τὸν ἀρκτικὸν[12] μοῖραι λ, ὡς πα-

[1] In codice Μένεχμος.
[2] In codice Κάλιππος.
[3] In codice ἐπεί.
[4] In codice περιμένουσαν.
[5] In codice ἐλαχίστοις.
[6] In codice σωμένας.
[7] Titulum hunc addidimus, quia in sequentibus de astro-

multiplices compositiones afferunt, quemadmodum Aristoteli visum est, et inter mathematicos Menæchmo Callippoque, qui sphæras deferentes et contrarie vertentes attulerunt. De quibus postquam convenit, circum immobilem Terram cœlum cum astris moveri censet æquabilibus per circulos motibus, paucissimis ac concinentibus concentricisque et liberis cursibus : quas etiam apud Platonem salvas esse demonstrat hypotheses.

[CAPUT XLII.

DE ZODIACI OBLIQUITATIS AMPLITUDINE.]

Moventur autem astra inerrantia circum axem, qui polos pertransit, immobilem, atque erratica circum zodiaci axem, qui zodiaco ad perpendiculum est, et invicem discedunt inerrantium atque erraticorum axes quindecim laterum polygoni uno latere. Bipartit mundum zodiacus, utpote maximus, atque universi circuitu in 360 gradus diviso, zodiacus utrinque 180 gradus separat. Obliquitate autem sua zodiacus ab hiberno parallelo ad æstivum pertingit : atqui ab æstivo ad arcticum sunt gradus 30, ut tradit Hipparchus,

nomicis hypothesibus jam non agitur. In codice, post *ὑποθέσεις*, sequitur *κινοῦνται*, puncto tantum interposito.

[8] In codice *ἀπλανεῖς*.

[9] In codice *τῶν πόλον*.

[10] In codice *ἀπλανῶν*.

[11] In codice $\overline{\pi\rho}$.

[12] In codice *ἀνταρτικόν*. Sed vide Notam ss.

ραδίδωσιν Ἵππαρχος, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀρκτικοῦ[1] μέχρι τοῦ πόλου τῆς ἀπλανοῦς[2] σφαίρας μοῖραι τριάκοντα ἓξ[3]· συνάμφω δέ, ἀπὸ μὲν τοῦ θερινοῦ μέχρι τοῦ πόλου τῆς τῶν ἀπλανῶν[4] σφαίρας, μοῖραι ξς. Ἵνα δὲ πληρωθῶσιν ἐπὶ τὸν πόλον τοῦ τῶν πλανωμένων ἄξονος ζ μοῖραι[5], προσθετέον[6] μοίρας κδ, καθ' ὃ[7] εἴη ἂν ὁ πόλος τοῦ πλανωμένων ἄξονος πρὸς ὀρθὰς ὄντος τῷ ζωδιακῷ. Λοιπαὶ δὴ ἀπὸ τοῦ πόλου τῶν πλανωμένων ἄξονος μοῖραι ἐπὶ τὰ χειμερινὰ[8] μέρη τοῦ ἀρκτικοῦ[9] ιϐ· αἱ πᾶσαι γὰρ ἦσαν λς· ὧν ἀφελῶμεν κδ· λοιπαὶ ιϐ. Αἷς προσθετέον ἀπὸ τοῦ ἀρκτικοῦ[10] μέχρι τοῦ θερινοῦ πάλιν μοίρας[11] λ, καὶ τὰς ἀπὸ τοῦ θερινοῦ ἐπὶ τὸν ἰσημερινὸν μοίρας[12] κδ, καὶ ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ ἐπὶ τὸν χειμερινόν, οὗ πάλιν ἐφάπτεται ὁ ζωδιακός, μοίρας[13] κδ. Γίνονται[14] [μὴν][15] κδ μοῖραι τῶν τξ τοῦ παντὸς μοιρῶν πεντεκαιδέκατον μέρος· πεντεκαιδεκάκις[16] γὰρ κδ γίνονται τξ. Διὰ τοῦτό φαμεν τοῦ ἐγγραφομένου εἰς σφαῖραν πεντε-

[1] In codice ἀνταρκτικοῦ.

[2] In codice ἀπλανους.

[3] In codice τριακονταέξ.

[4] In codice ἀπλανῶν.

[5] In codice μ et paulo superius οι. Vide Tab. B, n° 29.

[6] Librarius scripsit προτίθεται, mutans σ in τι et τέον in ται.

[7] In codice καθό.

[8] In codice legitur θερινά, prava scholiastæ alicujus correctione : vox enim χειμερινά, hic posita, congruere non poterat cum vocibus ἀνταρκτικὸν et ἀνταρκτικοῦ, quas paulo ante in codice vidimus, nec cum voce ἀνταρκτικοῦ, quam statim iterum inveniemus. Sed has voces, non illam, mutare oportebat. Vide Notam ss et Descriptionem xx.

[9] In codice ἀνταρκτικοῦ.

et ab arctico usque ad polum inerrantis sphæræ gradus sex et triginta; quorum summa, ab æstivo circulo ad inerrantium astrorum sphæræ polum, est graduum 66. Ut autem compleantur, usque ad polum axis erraticorum astrorum sphæræ gradus 90, addere oportet gradus 24, ubi esse debet polus erraticorum axis, qui zodiaco ad perpendiculum est. Supersunt vero ab erraticorum axis polo ad hibernam partem arctici circuli gradus 12; nam gradus erant omnino 36, e quibus postquam abstulimus 24, supersunt 12. Quibus addere oportet ab arctico ad æstivum rursus gradus 30, tum ab æstivo ad æquinoctialem gradus 24, et ab æquinoctiali ad hibernum, quem rursus tangit zodiacus, gradus 24. [Atqui] sunt gradus 24 graduum 360, quos habet universitatis circuitus, decima quinta pars; nam quindecies 24 fiunt 360. Propterea dicimus inscripti

[10] In codice ἀνταρκτικοῦ.

[11] In codice μοῖραι (sic).

[12] In codice compendiose μ et paulo superius οι. Vide Tabulam B, n° 9.

[13] In codice compendiose, ut supra. Vide Tabulam B, n° 9.

[14] In codice γίνοιντο : quod hic, maxime sine particula ἄν, ferri non potest.

[15] In codice, pro μήν, ante sicut et iterum post κδ, legitur vox μοῖραι compendiose scripta. Vide Tabulam B, n° 9. Priori loco legendum putamus μήν, quod in antiquiori exemplari compendiose scriptum esse poterat.

[16] In codice πεντεκαιδεκαι; sed punctis supra κ et ι positis in ultima syllaba librarius dubitationem suam indicavit. Vide Tabulam B, n° 37 *g*.

καιδεκαγώνου πλευρὰν ἀπέχειν ἀλλήλων τοὺς δύο ἄξονας, τόν τε τῶν ἀπλανῶν[1] καὶ τὸν τῶν πλανωμένων.

Περὶ τῆς ἑλικοειδοῦς κινήσεως[2].

Ἕλικα δὲ γράφει τὰ πλανώμενα κατὰ συμβεβηκός, διὰ
Fol. 28 a. τὸ δύο κινεῖσθαι κινήσεις ἐναντίας ἀλλήλαις. Τῷ γὰρ αὐτὰ κατὰ τὴν ἰδίαν κίνησιν ἀπὸ τοῦ Ϛηρινοῦ ἐπὶ χειμερινὸν[3] φέρεσθαι καὶ ἀνάπαλιν, ἠρέμα μὲν αὐτὰ περιΐόντα[4], τάχισλα δὲ ἐπὶ τὰ ἐναντία περιαγόμενα καθ' ἑκάσλην ἡμέραν ὑπὸ τῆς ἀπλανοῦς[5] σφαίρας, οὐκ ἐπ' εὐθείας ἀπὸ παραλλήλου ἐπὶ παράλληλον πορεύεται, ἀλλὰ περιαγόμενα ἐπὶ[6] τὴν ἀπλανῆ[7] σφαῖραν. Ἵνα δὴ διὰ τοῦ ζωδιακοῦ ἀπὸ τοῦ α ἐπὶ τὸ ϛ χωρήσῃ[8] τῆς φορᾶς αὐτῶν[9], οὐκ ἐπ' εὐθείας τοῦ ζωδιακοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν κύκλῳ περὶ τὴν ἀπλανῆ, γινομένην[10] ἕλικα γράφουσιν, ἐν τῇ ἀπὸ παραλλήλου ἐπὶ παράλληλον διόδῳ[11], ὁμοίαν τῇ τῶν ἀμπέλων ἕλικι· καθάπερ εἴ τις ἱμάντα περιελίτλει[12] κυλίνδρῳ[13] ἀπὸ τῆς ἑτέρας ἀποτομῆς μέχρι τῆς ἑτέρας, ὥσπερ ταῖς λακωνικαῖς σκυτάλαις οἱ ἔφοροι περιελίτλοντες ἱμάντας, τὰς ἐπισλολὰς ἔγραφον. Γράφει δὲ καὶ ἄλλην[14] ἕλικα τὰ πλανώμενα, οἵαν[15] οὐ μό-

[1] In codice ἀπλανῶν.

[2] In codice κινη, et σς supra νη. Vide Tab. B, n° 24.

[3] In codice ἐπιχειμερινόν.

[4] In codice περιόντα.

[5] In codice ἀπλανοῦς.

[6] An potius legendum περὶ aut ὑπό?

[7] In codice ἀπλανῆ.

[8] In codice χωρήση. Intellige τὰ πλανώμενα, quanquam mox plurali numero est verbum γράφουσιν.

in sphæram quindecim laterum polygoni uno latere discedere invicem axes duo, inerrantium hunc, erraticorum illum astrorum.

[CAPUT XLIII.]

DE MOTU IN SPIRAM.

Spiram autem describunt astra erratica per accidens, eo quod duobus inter se contrariis motibus feruntur. Quum enim ipsa secundum proprium sibi motum ab æstivo circulo ad hibernum ferantur et vice versa, tarde circumeuntia, sed celerrime in contrariam partem circumacta quotidie inerrantis sphæræ impetu, non recta a parallelo in parallelum transeunt, sed per sphæræ inerrantis superficiem circumacta. Videlicet, ut per zodiacum a puncto α sui cursus ad punctum 6 perveniant, non tantum recta per zodiacum, verum etiam per circulos circum inerrantem sphæram, sic effectam describunt spiram, in suo a parallelo in parallelum transitu, similem vitium claviculis : quale aliquis lorum circumvolvere queat cylindro ab una ipsius sectura ad alteram, sicut in laconicis scytalis, quibus lora circumvolvebant, ephori scribebant epistolas. Describunt autem alteram etiam spiram astra erratica, non

[9] In codice *αὐτοῦ*.

[10] In codice *ἁπλανῆ γινομένη*.

[11] In codice *διόδω*.

[12] In codice *περιειλίπλει*.

[13] In codice *κυλίνδρω*.

[14] In codice *ἄλλον*. Sed paulo infra recte *ἀλλὰ καὶ τήν*. Post vocem *πλανώμενα*, pro voce *οἷαν*, ut nobis quidem

νον ὡς περὶ κύλινδρον [ἀπὸ τῆς ἑτέρας][1] ἀποτομῆς ἐπὶ τὴν ἑτέραν ἀποτομήν, ἀλλὰ καὶ τὴν ὡς [ἐν] ἐπιπέδῳ[2]. Ἐπειδὴ γὰρ δι' αἰῶνος ἀπὸ τοῦ ἑτέρου παραλλήλου ἐπὶ τὸν ἕτερον χωροῦσι, καὶ ἀπ' ἐκείνου πάλιν ἐπὶ τὸν αὐτόν, καὶ τοῦτο ἀδιαλείπτως καὶ ἀπαύστως γίνεται ὑπ' αὐτῶν, κἂν ἐπινοήσωμεν ἐπ' ἄπειρον ἐκτεινομένας εὐθείας εἶναι τὰς παραλλήλους, καὶ δι' αὐτῶν κατὰ τὰ αὐτὰ πορευόμενα τῇ ἀπλανεῖ[3], ποτὲ μὲν τὴν χειμερινὴν ὁδόν, ποτὲ δὲ τὴν θερινήν, μέχρις ἀπείρου εὑρεθείη ἂν ἡμῖν ἕλικα γράφοντα. Κατὰ δὲ τὸ ἄπαυστον καὶ αἰώνιον τῆς περὶ τὴν σφαῖραν διὰ τῶν[4] παραλλήλων πορείας, ὁμοία ἡ ὁδὸς αὐτοῖς γίνεται τῇ διὰ τῶν ἐπ' ἄπειρον ἐκτεινομένων εὐθειῶν ὁδῷ, καθάπερ δηλοῖ τὰ ὑποκείμενα διαγράμματα. Ὥστε δύο κατὰ συμβεβηκὸς γράφουσιν ἕλικας, τὴν μὲν ὡς περὶ κύλινδρον, τὴν δὲ ὡς δι' ἐπιπέδου.

Vide descriptiones XVI et XVII.

[Ἐπίλογος.][5]

Ταυτὶ μὲν τὰ ἀναγκαιότατα καὶ ἐξ ἀστρολογίας κυριώτατα[6] πρὸς τὴν τῶν πλα|τωνικῶν ἀνάγνωσιν. Ἐπεὶ δὲ ἔφαμεν εἶναι μουσικὴν καὶ ἁρμονίαν, τὴν μὲν ἐν ὀργάνοις, τὴν δὲ ἐν ἀριθμοῖς, τὴν δὲ ἐν κόσμῳ, καὶ περὶ τῆς ἐν κόσμῳ πάναγκαῖα πάντα ἐξῆς ἐπηγγειλάμεθα μετὰ τὴν περὶ ἀστρο-

Fol. 28 b.

videtur, in codice est signum, quale videre est in Tabula B, n° 30.

[1] Uncis inclusa hic in codice desunt. Sed vide paulo supra.

[2] In codice deest ἐν et scriptum est ἐπιπέδω.

[3] In codice τὰ ἀπλανῆ.

[4] In codice διὰ τῆς τῶν.

eam modo quæ fit tanquam circum cylindrum [ab una] seçtura ad alteram, sed etiam eam quæ fit tanquam [in] planitia. Quandoquidem enim ex infinito tempore ab uno parallelo circulo ad alterum transeunt et ab hoc rursus ad eumdem, et illud perpetuo ac sine intermissione faciunt, si vel mente concipiamus rectas lineas in infinitum porrectas esse parallelos circulos, ac secundum eas, eodem versus quo volvitur inerrans sphæra, progredi astra errantia, nunc hiberno cursu, nunc æstivo, in infinitum spiram describentia ea invenire possimus. Atque, propter continuum æternumque tenorem obliqui circum sphæram per parallelos circulos cursus, simile fit illis iter obliquo illi per rectas in infinitum extensas lineas itineri, ut ostendunt subtus positæ descriptiones. Duas ergo per accidens describunt spiras, unam tanquam circum cylindrum, alteram tanquam in planitia.

Vide descriptiones XVI et XVII.

[EPILOGUS.]

Hæcce quidem sunt maxime necessaria atque ex astronomia præcipue conferentia ad platonicorum librorum lectionem. Quoniam autem diximus musicen et harmoniam esse partim in organis, partim in numeris, et partim in mundo, ac de illa quæ in mundo est necessaria omnia nos tradituros nuntiavimus con-

[5] Titulum hunc addidimus. In codice, post *ἐπιπέδου*, sequitur *ταυτί*, puncto tantum interposito.

[6] In codice *κυριότατα*.

λογίας[1] παράδοσιν[2] · ταύτην γὰρ ἔφη καὶ Πλάτων[3] ἐν τοῖς μαθήμασι πέμπτην εἶναι μετὰ ἀριθμητικήν, γεωμετρίαν, στερεομετρίαν[4], ἀστρονομίαν · ἃ καὶ περὶ τούτων ἐν κεφαλαίοις παραδείκνυσιν ὁ Θράσυλλος[5], σὺν οἷς καὶ αὐτοὶ προεξειργασάμεθα[6], δηλωτέον.

Ultimis textus græci verbis apertissime declaratur absolutam esse Theonis *Astronomiam*, quam sequi debebat opus, e Thrasyllo maxime, a Theone conscriptum, Περὶ τῆς ἐν κόσμῳ μουσικῆς, pars ultima operis quintuplicis Περὶ τῶν κατὰ τὸ μαθηματικὸν χρησίμων εἰς τὴν τοῦ Πλάτωνος ἀνάγνωσιν. In codice tamen, tanquam ultimum caput Theonis *Astronomiæ*, subjunctum legitur e Sereno fragmentum hoc:

Σερήνου τοῦ φιλοσόφου ἐκ τῶν Δημμάτων.

Ἐὰν κύκλου ἐπὶ τῆς ἐπιφανείας[7] ληφθῇ[8] τι σημεῖον, ὃ[9] μή ἐστι κέντρον[10] τοῦ κύκλου, καὶ αὐτῷ συσταθῶσιν[11] εὐθύγραμμοι[12] γωνίαι ἐπὶ τὰ αὐτὰ μέρη ἐπὶ ἴσων περιφερειῶν

[1] In codice ἀστρολογίαν.

[2] Vide Theonis Sm. *Arithm.* c. II, p. 21 ; *Mus.* c. I, p. 73-74, et c. XXXVI, p. 145 et sq. Bullialdi.

[3] *Rep.* VII, p. 522-531.

[4] In codice στερεωμετρίαν.

[5] In codice Θρασύλλος. Sed legendum Θράσυλλος, aut Θρασύλος. Vide Boissonadium ad Aristæneti *Epistolas*, p. 441.

[6] In codice προεξηργασάμεθα.

tinuo post ea quæ ad astronomiam spectant, atque illam etiam Plato inter mathematica quintam esse dixit post arithmeticen, geometriam, stereometriam et astronomiam, nunc ea quæ hac de re summatim exponit Thrasyllus, simul cum iis quæ et nos antehac elaboravimus, ostendendum.

SERENI PHILOSOPHI E SUMTIONIBUS.

Si in circuli superficie sumatur punctum, quod non sit centrum circuli, et in hoc puncto concurrant vertices rectis lineis constantium angulorum, qui arcubus iisdem æquorum inter se circulorum innitantur, pro-

[7] Pro voce *ἐπιφανείας*, in codice est signum, quod vide in Tabula B, n° 4, et cujus pars præcipua circulus est.

[8] In codice *ληφθῆ*.

[9] In codice *ὁ*.

[10] In codice signum vocis *κέντρον*. Vide Tabulam B, n° 1 *d*.

[11] In fine vocis deest *ρ*.

[12] In codice *εὐθύγραμμαι*.

Vide descript. XVIII.

βεβηκυῖαι, ἡ[1] ἐγγύτερον τοῦ κέντρου[2] ἀεὶ ἐλάσσων τῆς ἀπωτέρω[3] τοῦ κέντρου. Ἐὰν οὖν ταύτην τὴν πρότασιν ἐφαρμόσωμεν ἐπὶ τῆς ἡλιακῆς ἐκκεντρότητος[4], καὶ ὑποθώμεθα κέντρον τοῦ ζωδιακοῦ τὸ α, ζωδιακὸν δὲ τὸν Γδκ, ἡλιακὸν δὲ ἔκκεντρον[5] τὸν ελζθ περὶ κέντρον τὸ θ, καὶ ὑπολάβωμεν[6] ἴσας περιφερείας τοῦ ἐκκέντρου[7] τὰς ψω, γω[8] · ἔσται ἡ ὑπὸ ψαω γωνία ἐλάσσων τῆς ὑπὸ ωαγ[9], ὥστε καὶ ἡ υφ[10] περιφέρεια τῆς χφ περιφερείας · καὶ ἔσται δὴ τὰ αὐτά[11], καὶ ἐὰν ἴσας[12] ἀλλήλαις[13] ϑῶμεν τὰς εξ, ξο, καὶ ἔσται ἡ Γμ τῆς μν · ἔτι δὲ καὶ ἴσων οὐσῶν τῶν στ, τθ, καὶ ἔσται ἡ πρ τῆς ρη · καὶ καθόλου περὶ μὲν τὴν εξο[14] περιφέρειαν κινούμενος ὁ ἥλιος, φαινόμενος δὲ ἐπὶ τῆς Γμν περιφερείας, ἀπὸ τῶν ἐλαχίστων ἐπὶ τὰ μέγιστα κινηθήσεται · ἀπὸ δὲ τοῦ ζ ἐπὶ τὸ λ ἐρχόμενος, δόξει ἀπὸ τοῦ δ ἐπὶ το κ, καὶ ἔσται ἀπὸ τῶν μεγίστων ἐπὶ τὰ ἐλάχιστα κινούμενος.

[1] In codice ἤ.

[2] Signum vocis *κέντρον*, sine genitivi indicatione. Vide Tabulam B, n° 1 *m*.

[3] In codice *ἀπώτερον*.

[4] In codice *ἐγκεντρότητος*.

[5] In codice *ἔγκον*, male pro *ἐγκεντρον*, quod et ipsum male est hic pro *ἔκκεντρον*.

[6] In codice *ἀπολάϐομεν*.

[7] Post *ἐκ*, in codice est signum vocis *κέντρον*, sine ulla casus indicatione. Vide Tabulam B, n° 2 *f*.

pior centro angulus semper erit minor illo qui magis a centro distabit. Si hanc ergo propositionem circuli solaris centri a mundi centro distantiæ adhibuerimus, posuerimusque zodiaci centrum α, zodiacum Γδκ, Solis excentricum circulum ελζθ, cujus centrum sit 6, et æstimemus æquos esse excentrici circuli arcus ψω et γω. Angulus ψαω minor erit angulo ωαγ, et ideo etiam arcus νφ arcu χφ. Ac similiter fiet, si æquos inter se posuerimus arcus εξ et ξο : minor erit arcus Γμ arcu μν. Sic etiam, si æqui sunt arcus στ et τθ, minor erit arcus πρ arcu ρη. Atque generaliter circa εξο arcum se movens Sol, apparens autem in Γμν arcu, a minima celeritate ad maximam movebitur. Sed a puncto ζ ad punctum λ procedens, videbitur a puncto δ ad punctum κ procedere, et a maxima celeritate ad minimam movebitur.

Vide descript. XVIII

[8] In codice ψωνα.
[9] In codice ωγα.
[10] In codice νφ.
[11] In codice, post αὐτά, legitur iterum δή.
[12] In codice bis legitur ἴσας.
[13] In codice ἀλλήλοις.
[14] In codice εξξο.

NOTÆ

IN

THEONIS SMYRNÆI ASTRONOMIAM.

NOTÆ

IN

THEONIS SMYRNÆI ASTRONOMIAM.

Iterum monitus sit lector, Dissertationis huic Theonis operi a nobis præfixæ partis alterius caput tertium ea omnia continere, quæ de auctoribus a Theone allatis dicere utile visum fuit, caput autem quartum interpretationis perpetuæ esse loco, et quum præterea notæ omnes de editionis hujus codicisque lectionis varietate necessariæ imis paginis adscriptæ sint, idcirco paucas tantum notas hic adjiciendas superesse.

Nota A.

Ad c. II, fol. 1 *b*, p. 142.

..... ὁ Κάνωβος λεγόμενος ἀσ[τ]ήρ). — Si tantum ad voces τοῖς βορειοτέροις τῆς Κνίδου μέρεσιν spectaveris, intelligere possis Canobum non videri *in boreali* insulæ *parte* : quod quidem verum est; sed voces, quæ sequuntur, τοῖς νοτιωτέροις ταύτης, et mox, καὶ ἐπιπλέον ἀεὶ τοῖς μᾶλλον, probant auctorem dicere voluisse stellam hanc supra Cnidum boream versus non videri, sed infra insulam austrum versus apparere. Videbatur ex insula ipsa, unde e specula mediocris altitudinis eam spectaverat Eudoxus[1], qui illam in ipso *nunquam apparenti* Græciæ *circulo* collocaverat[2]. Nominabatur tamen ea in

[1] Teste Posidonio apud Strabonem, II, v, t. I, p. 190 Tauchnitii.

[2] Teste Hipparcho, *ad Phænomena*, I, XXVI.

Callippi *Parapegmatis*[1]. De ea silet Aratus, qui in Macedonia scribebat.

NOTA B.

Ad c. III, fol. 2 *b*, p. 150.

. . . . . [Δέκα δὲ σταδίων ἐστὶν ἡ]). — Hæ voces, quamvis in codice omissæ, et quamvis etiam aliam mensuram Eratostheni tribuat Cleomedes[2], tuto in locum suum restituuntur. Nam, præter Theonis Alexandrini et Simplicii auctoritatem[3], ipsius Theonis Smyrnæi verba paulo infra videbimus, quæ, etsi nonnihil depravata, nullum dubitationi locum relinquunt. Nemo est enim, quin videat, pro δεκαποδιαίας et δεκαποδίου καθέτου, legendum esse δεκασταδιαίας καθέτου; pro δισκαταδιαίαν κάθετον, legendum esse δεκασταδιαίαν κάθετον; et pro τῶν ἰσταδίων κάθετον, legendum esse τῶν ι σταδίων κάθετον.

NOTA C.

Ad c. III, fol. 2 *b*, p. 150.

. . . . . κάτεισιν ὑπὲρ μέτρον τούτων). — In sequentibus, ostendit auctor, si in digito sint 12 grani milii diametri, et in pede digiti 16, in pede esse grani milii diametros 192. « Quum autem, præter 12 milii grani diametros, dimidia fere « talis diametri pars in digiti mensura contineatur, » in pede esse statuit 200 grani milii diametros, aut paulo minus. Nam $12\frac{1}{2} \times 16 = 200$. Auctoris ergo sententia in aperto est. De vocibus singulis in codice depravatis nonnihil superest dubii : si quis meliora invenire potest, ἐκεῖνος, οὐκ ἔχθρος ὤν, ἀλλὰ φίλος, κρατεῖ, ut ait Plato[4]. Nos interea, pro καὶ κεγχριαίαις δια-

[1] Teste Ptolemæo, *De stellarum inerrantium apparentiis*, p. 72 Petavii *Uranol.*, anno 1630, in-fol.

[2] Vide *Diss.* part. II, c. III, § 10.

[3] Vide *ibid.*

[4] *Tim.* p. 54 B.

μέτροις, legimus ιϛ κεγχριαίαις διαμέτροις; pro κατισίν, legimus κάτεισιν, etsi vox ea paulo insolentius videatur accepta; pro ὑπερμετρούντων, voce non græca, legimus ὑπὲρ μέτρον τούτων.

Nota D.

Ad c. III, fol. 3 *a*, p. 150.

.....[ὀκτακισχιλιοσθὸν ἐστὶ τῆς ποδιαίας διαμέτρου]). —Hæc verba propter ὁμοιοτέλευτον omissa fuisse, nec aliud auctorem dicere potuisse in aperto est; id enim sequenti propositione comprobatur. Non ergo de sententia ambigi potest, sed de verbis tantum. Similia elegimus iis quibus auctor utitur. Vox ὀκτακισχιλιοσθὸν quidem non invenitur in lexicis; sed ea jam supra auctor est usus, et mox iterum utetur, sicut nec magis in lexicis obvia voce ἑξακισμυριοτετρακισχιλιοσθόν.

Nota E.

Ad c. III, fol. 3 *a*, p. 152.

.....φκδ σταδίων ἐστὶ στερεῶν ἐγγιστα). — Auctor noster[1] statuit sphæræ molem æquam esse $7\frac{1}{2}$ earum partium, quarum sphæræ diametri cubus habet 14, vel, quod idem est, sphæræ molem æquam esse 11 earum partium, quarum diametri cubus habet 21. Sit enim S sphæræ moles; C magni in sphæra circuli superficies; D ejusdem diametros : atqui $S = \frac{2}{3} D \times C$; quoniam autem $C = \frac{\pi D^2}{4}$, nosterque et Archimedes faciunt $\pi = \frac{22}{7}$, ergo $S = \frac{1}{6}\pi D^3 = \frac{11}{21} D^3$. Sit nunc $D = 10$ stadia; $D^3 = 1000$ stadia. Ergo $S = 523$ stadia et $\frac{17}{21}$, id est paulo minus quam 524 stadia. Procul dubio ergo, pro voce non græca ὀροσταδίων, legere debuimus φκδ σταδίων. Imperitus enim librarius syllabas quæsivit, ubi numerus erat.

[1] Vide quæ dicit auctor in medio fere et in fine hujus tertii capitis, et confer Notam H.

NOTA F.

Ad c. III, fol. 3 *a*, p. 152.

. . . . . [*τρίτων μὲν ἀριθμῶν μυριάδας σξθ* . . .]) —Si cum his quæ uncis inclusimus conferas ea quæ in codice sunt et imæ textus paginæ adscripsimus, videbis paucas tantum voces a nobis mutatas fuisse, sed omnes fere numeros in codice aut defuisse aut male fuisse scriptos. Hunc ipsissimum, quem dedimus, numerum auctori placuisse Nota H demonstrabit. Sit nunc satis enarrare quomodo hic numerus græcis vocibus declaratus fuerit. Ex ipsa codicis lectione, quam hac quidem in re secuti sumus, liquet, præter numeros infra decem millia, tres fuisse *myriadum* ordines, quorum *singuli* litteris expressi fuerant; primum pertinuisse ad myriadas infra *μυριάκις μύρια*; alterum ad myriadas myriadum infra *μυριάκις μυρίων μύρια*; tertium ad myriadum myriadum myriadas infra *μυριάκις μυρίων μυρίων μύρια*; et sic fuisse signorum, quibus nunc in numerando utimur, series quatuor, unam infra decem millia, ceteras tres supra hunc numerum, quarum unaquæque signis quatuor constare potuerit. Et sane ipso hoc ordine procedit per voces expressa Græcorum numeratio. Id unum notatione dignum est, quod simplices myriades auctori dicuntur *πρώτων ἀριθμῶν μυριάδες*, myriades vero myriadum *δευτέρων ἀριθμῶν*, et myriadum myriadum myriades *τρίτων ἀριθμῶν*. Toti numero accedentem stadii particulam aliquam sub voce *τεσσαρακοσιόδιον* latere nemo non videt. Probabile est ab ipso auctore numeros litteris tantum fuisse expressos in hoc loco, quemádmodum sunt in capitis fine, et a librario aliquo male intelligenti in græcas voces fuisse conversos. His positis, græca hujus numeri enuntiatio, qualem refinximus, facile convertitur in æquipollentem hanc recentioribus usitatorum signorum seriem : 26994104331782 1 $\frac{1}{2}$. Archimedes contra [1], sed peculiare om-

[1] *De numero arenæ.*

nino propositum spectans, numerorum ordines constituit signorum octo singulos, illisque ordinibus *πρώτων*, *δευτέρων*, *τρίτων κ.τ.λ. ἀριθμῶν* nomina attribuit. Si Archimedis invento utendum fuisset, numerus ille, qui in hoc Theonis Smyrnæi loco non esse non potuit, hunc in modum fuisset enuntiandus : *δευτέρων μὲν ἀριθμῶν μυριάδας σξθ καὶ μονάδας ,θυι, πρώτων δὲ ἀριθμῶν μυριάδας ,δτλα καὶ ἔτι σλαδία ,ζωκα καὶ τρίτον σλαδίου*. Quoniam vero *τρίτων ἀριθμῶν* in codice mentio est, non Archimedis, sed vulgaris Græcorum ratio sequenda est.

Nota G.

Ad c. III, fol. 3 *a*, p. 152.

. . . . . *τετραπλάσιον εἶναι τοῦ ἐμβαδοῦ τετάρτου μέρους τῆς σφαίρας*). — Pro voce *σφαίρας*, in codice legitur *περιφερείας* : quod aperte falsum est. Vocem enim *περιφερείας*, quæ paulo supra lecta fuerat, imprudens iterum huc intulit librarius. Voce *σφαίρας* in locum suum restituta, sententia vera et plena est, dummodo *circulum* dici intelligas unum *maximorum in sphæra circulorum*. C est ambitus circuli A, cujus est R radius, D diametros, et S superficies. $S = \frac{1}{2}$ CR $= \frac{1}{4}$ CD. Sit S′ superficies sphæræ cujus *maximus circulus* est circulus A. $S = \frac{1}{4} S'$, ut Archimedes[1] probavit. Ergo CD $= 4S = 4 (\frac{1}{4} S')$, quemadmodum auctor noster loquitur, vel (quod idem est) CD $= S'$.

Nunc ad sequentia pergamus. Quoniam C : D : : 22 : 7, ergo, si D $= 7$, tunc C $= 22$, et $\frac{1}{4}$ C $= 5\frac{1}{2}$. Ergo $D^2 = 49$, $S = \frac{1}{4}$ CD $= 38\frac{1}{2}$; vel, si numeros duplicaveris, $D^2 = 98$, et $S = 77$. Atqui $98 : 77 :: 14 : 11$. Ergo $D^2 : S :: 14 : 11$. Sit vero M moles cylindri sphæræ circumscripti, et M′ sphæræ ipsius moles. $M = (1 + \frac{1}{2}) M'$, ut probavit Archimedes[2]. Atqui $M = SD = \frac{1}{4}$ CD^2, et $C = \frac{22}{7} D$. Ergo $M = \frac{11}{14} D^3$. Ergo $D^3 : M :: 14 : 11$. Si $D^3 = 14$, ergo $M = 11$, et quoniam $M = (1 + \frac{1}{2}) M'$, ergo $M' = 7\frac{1}{2}$.

[1] *De sphæra et cylindro*, lib. I, prop. 30, theor. 25, p. 65 Rivaltii.

[2] *Ibid.* lib. I, *Manif.* 9, p. 69 Rivaltii.

Et hæc quidem sunt omnia quæ de sphæræ cujusvis dimensione Noster exposuit. De his quæ ad Terræ et maximorum montium molis dimensionem spectant, vide Notam H.

Nota H.

Ad c. III, fol. 3 *b*, p. 156.

.....[*οὗ τὸ ἐπίπεδον*..])—Ad hunc locum, in quo, præter numeros, pauca tantum eorum quæ in codice leguntur fuerunt mutanda, sed nonnulla in fine desunt, si codicis lectionem, qualis exhibetur in tabula A, n° 2, cum textu nostro contuleris, intelliges littera M semel posita *πρώτων ἀριθμῶν μυριάδας*, eadem littera bis aut ter posita *δευτέρων* et *τρίτων ἀριθμῶν μυριάδας* significatas fuisse, de quibus in Nota F dictum est, et supra has litteras minoribus litteris notatos fuisse cujusque ordinis myriadum numeros. Intelliges præterea, quum numeri, a nobis ex iis quæ auctor ipse antea dixerat mathematice expressi, in codice partim recte scripti inveniantur, partim mendosi sint, aut etiam desint, fortuitam esse non posse concordiam, errores vero et omissiones librariorum culpa aut temporis injuria accidisse. Superest ut de numeris illis nullam esse posse dubitationem ostendamus. Supra jam dixerat auctor secundum Archimedem [1] inter circuli ambitum et diametrum eam esse proportionem, quæ est inter 22 et 7, et secundum Eratosthenem maximi Terræ circuli ambitum esse 252000 stadiorum [2], diametrumque stadiorum 80182 *proxime*. Hæc eadem nunc iterum declarat : et certe $(80181 + \frac{8}{11}) \times \frac{22}{7} = 252000$. Dixerat etiam, secundum Archimedem, quarum partium diametri cubus habet 14, earum $7\frac{1}{2}$ esse sphæræ molem [3].

[1] *De dimensione circuli*, prop. 3, theor. 3, p. 139 Rivaltii.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 10.

[3] Vide Notam G.

Nunc addit quadratum diametri stadiorum esse 6427153124; et certe $80182^2 = 6427153124$. Recte etiam addit ejusdem diametri cubum esse stadiorum 515341991788568, cujus numeri decima quarta pars est 36810142270612. In re mathematice certa, nemo est quem morentur mendose scripti in codice numeri. Ad æstimandam Terræ molem, supererat ut diametri cubi pars illa decima quarta per $7\frac{1}{2}$ multiplicaretur. Atqui $36810142270612 \times 7\frac{1}{2} = 269941043317821\frac{1}{2}$. Hunc numerum, quem in codice male scriptum jam supra restituera-mus[1], hic iterum, poscente auctoris sententia, indidimus. Quoniam autem plura in codice deesse videntur, probabile est auctorem, in iis quæ nunc desunt, ostendisse, quum in diametro unum pedem longa sint 64000 grani milii diametri, in sphæra, cujus hæc est diametros, esse 512000000000 grani milii moles, et toties *fere* Terræ, qualem credidit Eratosthenes, mole contineri pro sphærica habitam maximi montis decem stadia alti molem. Id quidem non est accurate verum; sed auctor noluit accurate loqui, et hac omni de re usurpavit numeros *ferme tantum* veros. Etenim dixerat Terræ diametro, quæ stadiorum sit *fere* 80182, decem stadia, quæ esse ponitur maximi montis altitudo, octies millies *ferme* contineri, et sphæræ, cujus diametros sit decem stadiorum, molem esse solidorum stadiorum 524 *fere*. Idcirco *ferme tantum* vera est hæc proportio :

$$1 : 512000000000 :: 524 : 269941043317821\frac{1}{2}.$$

NOTA I.

Ad c. IV, fol. 4 *a*, p. 158.

. . . . . τὰ τῶν [*γνωμόνων ἄκρα ἐπὶ χωρῶν τε καὶ τόπων πάντων*] *τῆς οἰκουμένης*). — Loci hujus in codice evidenter hiulci ecce latinam Chalcidii versionem[2], e qua textum refinximus : « Quia vero (Terra), cum amplitudine universæ rei

[1] Vide Notam F.

[2] Fol. 24 *b* Ascensii, p. 145-146 Meursii.

« comparata, notæ obtineat modum, declaratur acie verutorum, « qui *γνώμονες* appellantur a mechanicis, ad faciendam solariis « umbram, qua declarantur horæ. Quippe mechanici horologia « instituentes, per omnes provincias omnesque etiam plagas « habitabiles, sumunt sibi promiscue atque indifferenter horum « ipsorum gnomonum mucrones pro puncto et medietate sol- « stitialis pilæ; nec errant. Ergo, si est una et vera medietas « solstitialis pilæ, omnes autem notæ atque omnia puncta ex « omni regione terrarum adsequuntur veram istam Solis me- « dietatem, perspicuum est quod omnis Terra puncti vicem « habeat adversum Solis globum comparata. » Intelligere autem oportet *Solis globum* vel *solstitialem pilam* Chalcidio dici sphæram in qua Sol movetur, et *Solis medietatem* ejusdem sphæræ centrum. De gnomonis descriptione, nonnihil Chalcidium addidisse credimus, Romanorum lectorum causa, auctoris sententias nunc contrahere, nunc prolixius vertere solitum. Nota etiam similia inveniri apud Cleomedem [1] : in quibus eumdem forsan auctorem Posidonium secuti sunt Adrastus et Cleomedes.

Nota J.

Ad c. XII, fol. 6 *a*, p. 172.

. . . . . *κατὰ* [*τοῦ*] *παντός*, id est *contra universum*, motus dicitur ei motui contrarius, quo cœlum totum quotidie videtur circum Terram volvi occidentem versus. Motus ergo ille *κατὰ τοῦ παντὸς* est motus *in longitudinem*, quo, ut paulo supra loquitur Theon Smyrnæus, astra inerrantia *ἀντιφέρονται* [*τῷ*] *παντί*, id est feruntur non ad zodiaci signa illa quæ occidentem versus antecedunt, sed ad ea quæ, orienti propiora, in diurno totius cœli circum Terram motu pone veniunt. In hoc opere sæpius recurrunt voces *ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ παντὶ* de motu occidentem versus, et *ὑπεναντίως τῷ παντὶ* de motu orientem

[1] I, XI, p. 74-75 Bakii.

versus. Nunquam vero deest articulus, quem idcirco in hoc uno loco bis e codice absentem restituimus.

NOTA K.

Ad c. XII, fol. 6 *a*, p. 172.

. . . . . *καὶ ταπεινούμενοι*). — In hoc loco *ὑψοῦσθαι* dicuntur astra quæ ad cœli verticem dictum *zenith* extolli videntur, *ταπεινοῦσθαι* quæ videntur ad horizontem descendere : quo enim astra errantia in borealem zodiaci latitudinem longius procedunt, eo nobis Terræ regiones inter tropicum borealem et polum habitantibus videntur ad cœli verticem magis accedere, dum meridianum transeunt. Hic ergo, sicut et apud Cleomedem [1], *ὕψωμα* est *limes borealis*, *ταπείνωμα limes australis*. Similem etiam in modum hæc verba usurpavit Georgius Pachymeres [2]. Sed idem [3] præterea *ὑψοῦσθαι* dixit astra, quum ad *apogeum* extolluntur, *ταπεινοῦσθαι*, quum ad *perigeum* descendunt. Hunc autem motum Georgius Pachymeres [4] vocat *κατὰ ὕψος καὶ βάθος*, Theon Smyrnæus *ὕψος καὶ βάθος*, sive *ἐν ὑψει*, *ἐν βάθει* [5], vel brevius *βάθος* [6]. Denique errantium astrorum *ὑψώματα* et *ταπεινώματα* astrologiæ superstitiosæ auctoribus dicuntur zodiaci loca in quibus maximam et minimam vim in res humanas singula exercere creduntur. De hac tertia vocum illarum significatione nullum est in Theone Smyrnæo vestigium. Sed vide, præter antiquos astrologos, Georgii Pachymeris *Astronomiæ* fragmentum VII, et quæ de hoc fragmento in *Appendice* monuimus.

[1] I, IV, p. 25 Bakii.

[2] *Astron. fragm.* VII. Vide in *Appendice* I.

[3] *Ibid.*

[4] *Ibid.* et fragm. III.

[5] *Astron.* c. XXXI, fol. 19 *b*, et c. XXXII, fol. 21 *b*.

[6] *Ibid.* c. XXXI, fol. 20 *a*.

NOTA L.

Ad c. XIII, fol. 7 *a*, p. 178.

. . . . . *κ* [*τὸ*] *πολὺ μοίρας*). — Vocem *τό*, e codice absentem, supplere oportuit. Πολὺ pro *πολλάκις* aliquando usurpari dixit quidem H. Stephanus[1]; nullum vero attulit exemplum, nisi ex Epicteti *Manuali*, XXXIII, 2 et 10, ubi male olim legebatur *πολύ*, sed *τὸ πολὺ* in optimis quibusque editionibus legitur. Τὸ *πολὺ* autem sæpius quidem significat *maximam partem*. In illis vero duobus Epicteti locis, sicut etiam in hoc Theonis loco, *τὸ πολὺ* significat *plerumque*, et est pro *ὡς τὸ πολύ*[2]. Mox in eodem Theonis loco eadem de re legitur *τὸ πλεῖστον*, id est *ad summum*[3]. Id ergo voluit Theon Smyrnæus, Mercurium a Sole discedere usque ad 20 *plerumque* gradus, sed *nunquam amplius* : quod verum non est[4]. Chalcidius[5] vertere omisit *τὸ πολύ*, *plerumque*, sed recte vertit *τὸ πλεῖστον*, *non amplius*.

NOTA M.

Ad c. XIII, fol. 7 *a*, p. 178.

. . . . . *περὶ ν μοίρας*). — Pro *ν*, in codice est *ιϛ'*, quod sensu caret. Chalcidius[6] vertit : « Veneris vero prope L mo« mentis ad orientem occidentemque discedens. » Apud Theonem ipsum, in capite XXXIII, eadem de re invenitur numerus idem *ν μοιρῶν*, id est 50 graduum, quem hic nihil hæsitantes reponimus. Codicis autem lectio *ιϛ'*, addito dubitationis signo

[1] *Thes. ling. gr.* vet. ed.

[2] Vide Platonis *Remp.* I, p. 330 C; VIII, p. 554 B; *Soph.* p. 227 B; et Xenophontis *Comment. de Socrate*, I, 1, § 10.

[3] Vide Platonis *Remp.* VII, p. 528 A; *Leg.* III, p. 679 A, et eodem sensu *τὰ πλεῖστα* apud Aristotelem, *De hist. anim.* VI, VI, et Platonem in *Critia*, p. 118 C.

[4] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 9 et 19.

[5] Fol. 25 *b* Ascensii, p. 153 Meursii.

[6] Fol. 25 *b* Ascensii, p. 153-154 Meursii.

punctis superpositis constante, orta esse videtur e correctione non indocti alicujus viri, qui Venerem a Sole vix ultra gradus 47 abscedere e Ptolemæo didicerat. Quam facile *μς'* e *μζ'* fieri potuerit, rei palæographicæ peritos non est cur moneamus. De hoc loco, vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 9.

NOTA N.

Ad c. XIV, fol. 7 *b*, p. 180.

. . . . . *πρώτως ὁράθη* . . . . . *πρώτως φάνη* . . . . . *πρώτως ἀφανίσθη* . . . . . *πρώτως διὰ τὰς αὐγάς* . . . . .) — Quater in hoc capite legimus *πρώτως*, quam vocem in secundo loco habet codex; in primo autem et quarto habet *πρῶτος*; in tertio loco, ut videtur, *πρώτως*, compendiosa scriptura. Vox illa primo quidem loco et tertio a Chalcidio[1] omittitur: secundo vertitur *primitus;* quartum locum sic versum legimus in Chalcidio: « Sol. . . . primam eam corusco splendore condit. » Sed legendum *primum eam.* In capite etiam XV, de Mercurio prima vice in cœlum ascendente, codex habet *πρῶτος*, sed legendum *πρώτως*, et Chalcidius[2] vertit *primitus.* Nec tamen nescimus atticis auctoribus adjectivum *πρῶτος*, cum dativo personæ aut rei conjunctum, idem sæpe valuisse atque *πρώτως*, *prima vice.* Sed *πρώτως* philosophis frequentata vox est, et Noster non est atticus auctor.

NOTA O.

Ad c. XV, fol. 8 *a*, p. 188, v. 22 Alexandri poetæ.

Pro *ἀπηερίης*, codicum lectione, legendum esse *ὑπ' ἠέρι ἧς*, doctorum virorum Galei, Fabricii, Schneideri, Nækii et Meineckii neminem vidisse valde miramur : sic enim, una tantum littera mutata, poetæ sententia liquido apparet, Pythagoricorum multorum, Empedoclisque et Œnopidis doctrinæ

[1] Fol. 25 *b* Ascensii, p. 154-155 Meursii.

[2] Fol. 26 *a* Ascensii, p. 156 Meursii.

consentanea, qui censebant præcipuum quidem ignis locum esse supra aerem, sed et infra aerem esse alium ignem Terræ proprium et in illius visceribus latentem[1].

NOTA P.

Ad c. XV, fol. 8 *a*, p. 190, v. 26 Alexandri poetæ.

Lectionem Θεομήτορος, quæ in codice utroque est, servatam volumus, invito Meineckio, qui legi vult Θεομήσλορος. Sed utraque vox eodem sensu potest usurpari, et μήτωρ, sicut μήσλωρ, deduci potest a μήδομαι sive μάω, unde etiam oritur μῆτις[2]. Eodem sensu etiam legimus in Manethonis *apotelesmatico poemate*[3] Θεομήτορα κόσμον, *mundum divine sapientem*, κακομήτορες[4], *mala meditantes*, et γονίμων παίδων ἰσομήτορας ἀνδρας[5], *viros nascentibus pueris sapientia pares*. Hac de re vide Dorvillii notam in Charitonem, VII, II, p. 564, ed. Reiskii. Lipsiæ, 1783, in-8°.

NOTA Q.

Ad c. XV, fol. 8 *b*, p. 192.

. . . . . μουσικῆς ἐσλὶν ἀδηλα). — In superius lectis versibus musices imperitum sese ostendisse Alexandrum poetam merito dixit auctor, et post eum probabimus. Sonorum musicorum seriem antiqui in *tetrachorda* dividebant, quorum chordæ extremæ invicem semper essent in *diatessaron* consonantia, id est plenis duobus tonis et semitonio distantes. Quando gravius sonantis tetrachordi acutissime sonans chorda erat simul gra-

[1] Vide Simplicium, *De cœlo*, II, fol. 124 *b* Ald., p. 505 *a* Brandisii; Plutarchum, *De primo frigido*, c. XIX; Senecam, *Nat. quæst.* IV, II, etc., et quæ de Vestæ utriusque fabula disputavimus in libro *Études sur le Timée de Platon*, t. II, p. 113-119.

[2] Vide Danielis a Lennep, *Etym. ling. gr.* ed. Scheidii, v. μῆδος et μῆτις.

[3] IV, v. 7, p. 64 Axtii et Rigleri.

[4] IV, v. 307, p. 78.

[5] IV, v. 220, p. 74.

vissime sonans tetrachordi acutius sonantis, tunc tetrachorda dicebantur *conjuncta* (*συνημμένα*), et fiebat heptachordon, cujus extremæ duo chordæ plenis quinque tonis distarent, qui consonantiam non efficiunt. Heptachordon illud a Mercurio inventum fabulabantur antiquorum nonnulli, quos Alexander Ephesius sequi voluit. Alii dicebant a Mercurio inventum tetrachordon quoddam sex tonos complectens, et cujus quatuor chordæ invicem *diatessaron*, *diapente* et *diapason* consonarent[1]. Alii etiam dicebant Mercurii lyram tres tantum habuisse chordas[2]. At certe, si Manueli Bryennio credimus[3], heptachordon ante octachordum inventum fuit, et tunc septem heptachordi sonos efficere credebantur astra septem errantia. Si præterea sphæræ inerranti tribuebatur sonus chordæ alicujus in acutum tono distantis (*εἰς τὸ ὀξὺ προσλαμβανομένης*), fiebat octachordon quoddam inusitati generis, et haud scio an tale fuerit illud quod Mercurio inventum et cœlesti harmoniæ simile dicebat Eratosthenes[4]. Vulgare vero octachordon constituebant tetrachorda duo *disjuncta* (*διεζευγμένα*), id est tono distantia. Octachordon ergo sex tonos complectebatur, et chordæ illius extremæ erant in consonantia *diapason*. Heptachordi soni, sive chordæ, erant, a graviori parte incipientibus : 1° *ὑπάτη*, 2° *παρυπάτη*, 3° *λίχανος*, 4° *μέση*, 5° *τρίτη συνημμένων*, 6° *παρανήτη συνημμένων*, 7° *νήτη συνημμένων*. Octachordi vero : 1° *ὑπάτη*, 2° *παρυπάτη*, 3° *λίχανος*, 4° *μέση*, 5° *παραμέση*, 6° *τρίτη διεζευγμένων*, 7° *παρανήτη διεζευγμένων*, 8° *νήτη διεζευγμένων*.

Nunc Alexandrum poetam adeamus. Ab inerrantium stellarum sphæra ad Saturnum esse vult semitonium, a Saturno

[1] Vide Plutarchum, *De musica*, c. XXII.

[2] Vide Diodorum S., I, XVI. Cf. III, LIX.

[3] *Harm.* sect. 1. Cf. Dionem Cassium, *Hist. rom.* XXXVII, XVIII et XIX.

[4] Vide hujus Theonis capitis finem, et Chalcidium, fol. 26 *a* Ascensii, p. 156-157 Meursii.

ad Jovem semitonium, a Jove ad Martem semitonium, a Marte ad Solem tonum, ab inerrantibus ad Solem tonos duo et semitonium, id est *diatessaron*, tum a Sole ad Venerem tria semitonia, a Venere ad Mercurium semitonium, a Mercurio ad Lunam semitonium, a Luna ad Terram tonum, a Sole ad Terram tres tonos et semitonium, id est *diapente*, ab inerrantibus stellis ad Terram sex tonos, id est *diapason* : et nullus quidem est computationis error. Sed quoniam astrorum motibus edi credidit sonos, Terra immobilis silere debuit, nisi forte, Ecphanti pythagorici [1] et Heraclidæ Pontici [2] opinionem secutus est Alexander de Terræ circum axem revolutione. Quidquid id est, illud quod Alexander esse dicit *heptachordon*, ipse revera *enneachordon* facit, astris errantibus septem, hinc inerrantium sphæram, illinc Terram addens. Tum, acceptis, qualia ponit, musicis corporum illorum intervallis, si Terra est *hypate*, Sol esse debuit *paramese*, non vero *mese*, quoniam a *mese* ad *hypaten* non est *diapente*, sed *diatessaron;* et inerrantium stellarum sphæra esse debuit *nete diezeugmenon*, non vero *nete synemmenon*, quoniam ab *hypate* ad *neten synemmenon* non est *diapason* consonantia. Denique, correctis etiam falsis illis chordarum singulis sphæris tributarum nominibus, ipsa sonorum intervalla musicæ rationi non satisfaciunt. Non modo enim soni illi non sunt omnes *simul consonando apti* (*σύμφωνοι, συμφωνούμενοι*), sed neque aptam cantui sonorum seriem exhibent (non sunt *ἐμμελεῖς, μελῳδούμενοι, μελῳδηταί* [3]). Apud Græcos enim tria erant, quæ dicebantur, *genera*, quorum singulorum variæ formæ levibus intervallorum mutationibus distinguebantur, *enharmonicum*, *chromaticum*, *diatonicum*. Poeta

[1] Vide Pseudo-Plutarchum, *De plac. philos.* III, XIII, etc.

[2] Vide Pseudo-Plutarchum, l. c.; Simplicium, *De cœlo*, II, fol. 109, 126 et 132 Ald. (p. 495 *a*, 506 *a* et 508 *a* Brandisii), et Proclum, *in Timæum*, p. 281 E ed. gr. Basil. (p. 681 Schneideri).

[3] Vide Ptolemæi *Harmon.* II, XV; Theonis Sm. *De Music.* c. V-VI, p. 77-82 Bullialdi; Plutarchum, *De εἰ delphico*, c. X; Gaudentium, p. 11 Meibomii, etc.

non utitur enharmonico, in quo tria tetrachordi cujusque intervalla erant : 1° toni quarta pars, 2° toni quarta pars, 3° tonus duplex. Nec vero diatonico, in quo tetrachordi cujusque intervalla erant : 1° semitonium, 2° tonus, 3° tonus ; namque ad id genus non pertinet triplex semitonium, quod ille esse vult inter Solem et Venerem, et nunquam in eo genere duo ex ordine intervalla semitonia sunt. Neque etiam chromatico, in quo tetrachordi cujusque intervalla sunt : 1° semitonium, 2° semitonium, 3° triplex semitonium ; namque in hoc genere toni intervallum est quidem summa duorum intervallorum inter primam et tertiam cujusque tetrachordi chordas, sed non inter duas ex ordine chordas invenitur justum toni intervallum, nisi illud quod est inter *disjuncta* duo tetrachorda, et tamen a Terra ad Lunam et a Sole ad Martem vult Alexander tonos esse singulos. Immo vero neque *mixtum* esse potest genus ; namque in nullo vel mixto genere tria ex ordine esse possunt semitonia, qualia Alexander esse vult a Marte ad Jovem, a Jove ad Saturnum, et a Saturno ad inerrantes stellas.

Illæ sunt reprehensiones quibus in Alexandrum poetam hac de re usi sunt Adrastus et post eum Theon Smyrnæus : eas omnes veras esse in aperto est.

De variis antiquorum opinionibus quæ ad sphærarum cœlestium concentum pertinent, vide sis auctores quos enumeravimus in libro *Études sur le Timée de Platon*, t. II, in ima p. 38. Adde Hyginum, *Poet. astron.* IV, 14.

NOTA R.

Ad. c. XVI, fol. 9 *b*, p. 200.

. . . . . [*μίαν*] *ἁρμονίαν συμφωνεῖν*). — Hunc Parcarum fusum esse cœlum, descriptos astris errantibus septem circulos complectens, multi jam docti viri ostenderunt[1], et quædam

[1] Vide quæ hac de re post Schleiermacherum disputavit vir clarissimus Victor Cousin, in Platonis versionis gallicæ t. X, p. 378 et sqq.

tamen obscura aut parum inter se cohærentia reliquerunt. Valde ergo dolendum est non exstare nunc Theonis vel Adrasti de hoc Platonis *Reipublicæ* loco commentarium [1]. In iis vero quæ apud Theonem legimus [2], merito declaratur lumen *rectum* columnæ simile, per totum cœlum *et Terram* pertransiens, de quo Plato loquitur, esse non posse Viam Lacteam, de qua Schleiermacherus ibi cogitavit, et quam potius agnoscas in vinculis illis, quibus cœlo connectuntur extremæ partes columnæ, quæ cœli et ipsa vinculum esse dicitur, velut transversæ transtrorum trabes utrinque discedere triremium latera prohibent. Sed auctor credidit columnam ipsam esse *axem qui polum pertransit*, et *aliam esse fusi virgam* [3], quam ecliptici et errantium astrorum motus axem esse affirmavit [4]. Verum hæc fusi virga, sicut e Platonis [5] verbis liquet, est ipsissimus axis æquinoctialis circuli et inerrantium astrorum sphæræ, quotidiano motu cœlum totum circum Terram revolventis. Plato enim dicit Necessitatis fuso et illius virga effici cœlestium corporum omnes, neque ergo errantium tantum, circuitus (*δι' οὗ πάσας ἐπισ/ρέφεσθαι τὰς περιφοράς*); et fusum, qui est cœlum ipsum, volvi uno eodemque motu (*κυκλεῖσθαι δὲ δὴ σ/ρεφόμενον τὸν ἄτρακτον ὅλον μὲν τὴν αὐτὴν φοράν*), scilicet secundum axem, qui est ipsius fusi virga; atque intus contrariam in partem tardioribus variisque motibus volvi circulos septem, errantium scilicet astrorum (*ἐν δὲ τῷ ὅλῳ περιφερομένῳ τοὺς ἐντὸς ἑπ/ὰ κύκλους τὴν ἐναντίαν τῷ ὅλῳ ἠρέμα περιάγεσθαι*).

Potius ergo equidem intellexerim columnam illam esse commenticium quemdam e lumine cylindrum, qui mundi axem intra se complectatur, et adamantinam fusi virgam esse illius

[1] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 15.

[2] In capitis XVI initio.

[3] *Astron.* c. XVI.

[4] *Ibid.* c. XXIII.

[5] *Reipublicæ* lib. X, p. 616 B-617 B.

columnæ et mundanæ simul sphæræ axem per polos mundi transeuntem. Spondylus primus, vario colore, ceteros complectens, est tota inerrantium stellarum sphæra, in totam latitudinem a polo uno ad alterum pertingens et diversis stellarum coloribus distincta. Septem interiores spondyli sunt singularum septem errantium astrorum sphærarum partes intus cavæ et circulis æquinoctiali parallelis comprehensæ, intra quas singula astra errantia oblique moventur. Spondylorum labia sunt zonarum illarum exteriores superficies, quæ *superne*, id est extrinsecus e polo boreali, per pellucidam inerrantium stellarum sphæram visæ et ipsis singulorum astrorum coloribus distinctæ, *dorsum continuum*, id est tanquam continuam circularem superficiem concentricis zonis compositam ostendunt, intra quas continetur obscura aeris et Terræ sphæra, quam pertransit adamantinus ille cœli axis splendenti columna vestitus. Zonæ autem illæ, ex æquinoctialis circuli polo spectatæ, eo latiores apparent, quo circulus astro erranti cuique descriptus magis ab æquinoctiali discedit.

Ut cetera intelligantur, mente tenere oportet Platoni primum ordine spondylum, vario colore, esse inerrantium stellarum sphæram; secundum ordine, colore flavum et quinto, qui Mercurii est, similem, esse Saturni; tertium ordine, candenti albedine primum, esse Jovis; quartum ordine, colore subrubeum, Martis; quintum ordine, colore flavum, Mercurii; sextum ordine, albedine secundum, Veneris; septimum ordine, fulgentissimum, Solis; octavum, a septimo lumen habentem, Lunæ. Si ergo Platoni credendum, latissimus spondylus est inerrantium stellarum; latitudine secundus Veneris; tertius Martis; quartus Lunæ; quintus Solis; sextus Mercurii; septimus Jovis; octavus Saturni. Recordari autem oportet zonarum latitudines illas non ecliptico circulo, sed æquinoctiali, qui per eas it medius, ad perpendiculum esse metiendas, et secundum Platonem Terram esse in communi sphærarum om-

nium centro. Saturnus ergo, cujus veri circa Solem circuitus *limes borealis*[1], non multum ab ecliptico distans, Platonis tempore erat paulo ultra autumni æquinoctiale punctum, minime omnium ab æquinoctiali circulo discedebat. Jupiter, cujus limes borealis erat paulo ante Virginis finem, et cujus e Terra apparens in latitudinem motus non ultra gradus tres pertingit, ab æquinoctiali discedebat minus quam Mars, qui usque ad gradus septem ab ecliptico nonnunquam discedere videtur[2], et cujus limes borealis tunc erat in Leonis initio; ac minus etiam quam Luna, cujus limes borealis paucis annis zodiacum totum percurrit, et cujus maximæ in latitudinem digressiones sunt fere 5° 9′. Venus, cujus limes borealis e Sole visus tunc erat circa vigesimum sextum Leonis gradum, sed, pro anni tempestate, in variis zodiaci signis nobis e Terra spectantibus apparet, et quæ inde spectantibus ad novem usque gradus aliquando ab ecliptico circulo digredi videtur[3], errantium astrorum omnium maxime ab æquinoctiali circulo ultra tropicos videtur excedere. De his ergo vera dixit Plato; sed de ceteris non item. Mars enim, qui paulo quidem magis aliquando, quam unquam Luna, ab ecliptico discedere videtur, cujus vero limes borealis 33° fere ab æstivo solstitio Platonis tempore distabat, paulo minus, quam quum maxime Luna, ab æquinoctiali circulo abscedere videbatur. Sed præsertim Mercurius, qui sæpe multum tropicos excedit, minus quam Sol ab æquinoctiali discedere falso Platoni creditus est. Multo etiam major foret Platonis error, si cum Theone[4], vel Adrasto, credere oporteret fusi virgam esse motus erratici, id est ecliptici circuli, axem. Tum enim datæ a Platone zonarum latitudines ex utraque, non

[1] Errantis stellæ *limes borealis* et *limes australis* dicuntur loci in quibus stella ab ecliptico boream et austrum versus maxime distat.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 8.

[3] Vide *Diss.* part. II, c. IV, § 8.

[4] *Astron.* c. XXIII. Cf. *Diss.* part. II, c. III, § 15.

æquinoctialis, sed ecliptici circuli parte sumendæ forent, a quo Solem discedere magis quam Mercurium ridicule nimis falsum est, quam ut a Platone credi potuerit.

Deinde Plato, apud Theonem, dicit fusum totum volvi eo motu, qui primæ, stellas inerrantes ferentis, sphæræ est, id est cœli totius circum Terram ab ortu ad occasum quotidiana revolutione sphæras omnes rapiente; sed simul intus, contrariam in partem, id est ab occidente in orientem, ferri circulos septem corpora, quæ errantia dicuntur, ferentes; ac Lunæ quidem circulum, qui inter octo est octavus, citissime omnium; post eum citissime et æque inter se ferri septimum, sextum et quintum, id est Mercurii, Veneris et Solis circulos, quorum astrorum priora duo, e Terra spectata, cursum Solis annuum comitari videntur; deinde tertia celeritate ferri quartum, qui Martis est, circulum, *retrogredientem magis quam ceteros omnes* (*ἐπανακυκλούμενον μάλιστα τῶν ἄλλων*); tum quarta celeritate ferri tertium circulum, qui est Jovis, et quinta minimaque secundum, qui Saturni est. Primam autem sphæram, quæ stellarum inerrantium est, etiam ab occidente in orientem volvi non credidit Plato, et multo posterioribus demum astronomis, post inventam *æquinoctiorum præcessionem*, placuit: de qua re Theon Smyrnæus ipse omnino siluit. Ceterum, quæ de errantium corporum *apparentibus* celeritatibus dixit Plato, vera sunt omnia, si cum Theone legimus octo circulorum ordine quartum, id est Martis, circulum, qui tertia inter errantium septem circulos celeritate est, *retrogredi magis quam ceteros omnes*; Martis enim maximus omnium est *retrogressus arcus*[1], et quamvis errantium stellarum retrogressus Ptolemæo[2] *προηγήσεις*, id est motus ad signa occidua et in motu cœli quotidiano præcedentia, dicantur, Adrastoque et Theoni Smyrnæo[3] *προηγή-*

[1] Vide Ptolemæi *Comp. math.* XII, II-VI.

[2] *Comp. math.* XII.

[3] *Astron.* c. XIX et XXI.

σεις et ἀναποδισμοί, certe etiam ἐπαναχύκλησις dici potuit retrogressus, id est circuli, qui ab occidente in orientem ferri solet, revolutio paulisper fiens in contrariam partem. Ablatis vero vocibus μάλιστα τῶν ἄλλων, quæ absunt a Platonis codicibus et editionibus, et servata vocis ἐπαναχυκλούμενον hac interpretatione, Mars solus retrogredi diceretur : quod fieri non potest. Videndum ergo an aliquis alius esse possit in hoc Platonis loco, sine vocibus μάλιστα τῶν ἄλλων, sensus vocis ἐπαναχυκλούμενον : et dici quidem potest hac voce declarari motum Martis, sicut et errantium stellarum omnium, quotidiano totius cœli circum Terram motui contrarium esse; sed rem de omnibus astris errantibus jam supra dictam de uno Marte iterum dicere parum e re fuisse videtur. Dubitandum ergo superest utrum voces μάλιστα τῶν ἄλλων, Theonis et Adrasti auctoritate Platoni ipsi tribuendæ sint, an sint a Platonicorum aliquo, Platonis sententiam pleniorem verioremque efficere studenti, additæ. Quidquid id est, illa apud Theonem lectio, vulgata Platonis lectione multo potior, minime spernenda est.

Nota S.

Ad c. xvi, fol. 9 *b*, p. 202.

Vocem σείριος, nomen Sirio proprium, commune etiam fuisse omnium in cœlo fulgentium corporum epitheton declaraverunt etiam Tzetzes [1], Hesychius et Suidas [2], quorum ultimi duo hanc vocem ex Ibyci versu afferunt [3]. Solem etiam vocat Plutarchus [4] σείριον. Tzetzes vero vocem eamdem de Sole dici æstimat in Hesiodi loco, ubi vere de Sirio agitur [5]. Ceterum Si-

[1] In Hesiodi *Op. et Dies*, v. 417, p. 138. Basileæ, 1542, in-18.

[2] S. v. σειρίος.

[3] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 1.

[4] De Iside et Osiride, c. LII.

[5] Id nos contra Tzetzem et Kœhlerum (*Ueber den Auf-und Untergang der Ge-*

renas Platoni dici astra ipsa minime verisimile est. Alteri potius interpretationi, cum pythagorica doctrina consentienti, credendum, Sirenas illas esse musicos astrorum sonos. Quod autem Sirenum nomen errantium astrorum epicyclis in alio capite auctor dedisse videtur [1], id a Platonis mente alienissimum est [2].

NOTA T.

Ad. c. XXI, fol. 10 *a*, p. 206.

Κατ' *ἐπιπρόσθησιν* astra errantia videri secundum zodiacum ferri dicuntur, eo sensu, quod visui ad zodiaci stellas tendenti obstaculo sunt et eas occultant. Etenim eorum unumquodque esse videtur in eo inerrantium stellarum sphæræ loco, ad quem pertinet ab oculo ducta per uniuscujusque centrum recta linea. Male ergo Chalcidius [3] de *objectu aerii corporis impediente aspectum* cogitavit.

NOTA U.

Ad c. XXII, fol. 10 *b*, p. 208.

Si vocem *κινεῖται*, quæ in codice non est, abesse passus fueris, verbum evidenter in propositione deerit, et nullum aliud quam *κινεῖται* huic loco convenire potest. Voces *ὑπὸ τοῦ πρώτου κινεῖται* Chalcidius [4] omisit, haud scio an quia non intellexit. Adrasti peripatetici sententia est mundum optimum esse, quia a *primo movente* ipso movetur, quod Aristoteles vocat *τὸ πρῶτον* vel *πρώτως κινοῦν* [5], *τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον* [6], *τὸ*

stirne bei den Alten, p. 10, in nota), in alio opere (*Hist. des sciences phys. chez les anciens*, t. II, *Astron. anc.*) probabimus.

[1] *Astron.* c. XXXI.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 5.

[3] Fol. 26 *b* Ascensii, p. 158 Meursii.

[4] Fol. 26 *b* Ascensii, p. 158 Meursii.

[5] *Phys.* VII, II, p. 243 *a*, l. 3; VIII, V, p. 256 *a*, l. 16, et p. 258 *b*, l. 4 et 7, ed. Berol. Cf. VII, I, p. 242 *a*, l. 20.

[6] *Phys.* VIII, VI, p. 259 *b*, l. 23; VIII, IX, in fine, p. 266 *a*, l. 9; VIII, X, p. 267 *b*, l. 18; *Metaph.* Λ, VIII, p. 1073 *a*, l. 27.

πρῶτον ἀκίνητον [1], *τὴν πρώτην οὐσίαν καὶ ἀκίνητον* [2], *τὸ ἀκίνητον* [3], *τὸ πρῶτον τῶν ὄντων* [4], et simpliciter etiam *τὸ πρῶτον* [5]. Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 11.

Nota V.

Ad c. XXII, fol. 10 *b*, p. 208.

Voces *καὶ τάνταῦθα* pro vocibus in codice scriptis *καὶ τὰ κατ' αὐτὰ* reponendas esse dubium non est. Aristotelem [6] enim secutus Adrastus peripateticus censet ex astrorum motibus pendere plerasque, quæ in aere et in Terræ superficie fiunt, mutationes. Mox iterum, et tum quidem recte, in codice legitur: *καὶ γὰρ γένεσις καὶ φθορὰ περὶ πάντα τάνταῦθα*, et paulo infra: *τῶν δὲ ἐνταῦθα κατὰ συμβεβηκὸς ἐκείνοις ἑπομένων.*

Nota X.

Ad c. XXII, fol. 10 *b*, p. 210.

Κατὰ συμβεβηκὸς idem est atque *per accidens*, vel potius, ut fert vocis græcæ origo, *per aliquem rerum concursum*. Et id quidem dicitur maxime de iis quæ lege nulla fieri videntur. Dicitur tamen etiam de iis quæ certis legibus temporibusque fiunt, nec vero per primariam aliquam simplicemque causam efficiuntur, sed per aliquem causarum concursum. Sic sane sæpius in hoc opere errantium astrorum motus multiplices et consequentes, e simplicibus et primariis orti motibus, *per accidens* fieri

[1] *Phys.* VIII, V, sub finem, p. 258 *b*, l. 6; VIII, VI, p. 259 *a*, l. 21.

[2] *Metaph.* Λ, VIII, p. 1073, l. 30.

[3] *Phys.* VIII, VI, p. 260 *a*, l. 6; VIII, X, p. 267 *b*, l. 16.

[4] *Metaph.* Λ, VIII, p. 1073 *a*, l. 24.

[5] *Phys.* VIII, V, p. 256 *a*, l. 16: *Ἀνάγκη τι εἶναι κινοῦν, ὃ οὐχ ὑπ' ἄλλου, πρῶτον.* — *Metaph.* Λ, VII, p. 1072 *b*, l. 1: *καὶ ἔστιν ἀρίστον ἀεὶ ἢ ἀνάλογον τὸ πρῶτον.*

[6] *Meteorol.* I, II.

dicuntur. Atqui, secundum Aristotelem [1], res unaquæque *per se ipsam*, *καθ' αὐτό*, est quidquid ex ipsius natura semper et necessario consequitur, et contra *per accidens*, *κατὰ συμβεβηκός*, illa est quidquid ipsa est quidem, sed nec per suam ipsius naturam, nec semper, nec plerumque : videlicet sphæra per *sese ipsam* (*καθ' αὑτήν*) rotunda est; sed *per accidens* (*κατὰ συμβεβηκὸς*) tantum alba, aut nigra, aut alius coloris. Eorum autem quæ *per accidens* sunt nulla est scientia secundum Aristotelem [2]. Atqui nunc dicit Adrastus peripateticus, et id ipsum etiam Aristoteles, etsi minus aperte, in *Meteorologicorum* initio [3] declaraverat, e cœlestibus motibus *per accidens* fieri quæcumque in aere et in Terræ superficie fiunt. Unde concludere oporteret nullam esse posse meteorologicam scientiam. Qui vero, observandi et experiendi peritus, mutabilem illam rerum varietatem perspexerit, is intelliget, quidquid evenit in corporum mole, id multiplicibus quidem et obscuris plerumque, sed veris causis fieri, quæ certis legibus et eumdem semper in modum operantur. Aut ergo justo latius patet Aristotelica definitio eorum quæ *per accidens* sunt, aut eorum quæ hac definitione comprehenduntur scientiam nullam esse posse verum non est. Verum enim vero duo scientiæ genera distinguere oportet : quorum alterum per *deductionem* explicat quidquid res sunt *per sese ipsæ;* alterum *per inductionem* scrutatur leges et causas quibus in rerum universitate fiunt ea quæ videntur *per accidens* in rebus singulis fieri.

Aristotelice ergo Theon Smyrnæus, Adrastus et Dercyllides [4] dicunt errantium astrorum unumquodque, *per sese* in circulos æquabiliter motum, *per accidens* videri sinuosas lineas inæqua-

[1] *Phys.* II, v et vi; *Metaph.* Γ, iii, p. 1007; Δ, xxx, p. 1025; E, ii, p. 1026-1027; K, viii, p. 1064-1065; *Meteorol.* I, ii, p. 329 ed. Berol.

[2] Ll. cc.

[3] I, ii.

[4] Vide Theonis *Astron.* c. xxx circa finem, c. xxxi, c. xxxii initio, c. xli duobus in locis, et c. xliii duobus in locis.

biliter describere. Id enim eo tantum accidere putant, quod motus unusquisque non e descripti circuli centro spectatur.

Præterea vero aliis in locis [1] Adrastus et Theon Smyrnæus, et cum eis Hilarion Antiochenus [2], dicentes e rerum naturæ consentaneis motibus centri epicycli in concentrici zodiaco circuli ambitu et astri ipsius in ambitu epicycli *per accidens* etiam fieri verum astri motum in excentrici ambitu, aristotelica locutione nonnihil abutuntur. Motus enim necessariis duobus motibus necessarium et semper eumdem in modum effectus non potest *per accidens* fieri, siquidem, ut Aristoteli [3] placet, eorum quæ *per accidens* fiunt causæ non possunt ejusdem esse generis, atque eorum quæ necessario fiunt.

NOTA Y.

Ad c. XXVI, fol. 12 *a*, p. 218.

. . . . . *μέσα δὲ κατὰ τὴν Παρθένον καὶ τοὺς Ἰχθύας*). — De solaris motus inæqualitate, qualem Adrastus et Theon Smyrnæus fecerint, etsi multa sunt in codice menda, dubitare non licet. Quum enim quatuor numeris ea declaretur, quorum quisque sæpius recurrit, nullus est qui non semel recte scriptus inveniatur. Præterea in Chalcidii versione veri inveniuntur numeri. Denique, correctis mendis, iidem sunt numeri, quos jam Hipparchus et Geminus statuerant. Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 13.

NOTA Z.

Ad c. XXVI, fol. 12 *b*, p. 222.

. . . . . *μορίων ϖη η'*). — In hoc loco de duobus circuli ambitus partium generibus agitur : quarum quæ *μοῖραι* dicuntur

[1] Vide Theonis *Astron.* c. XXVI multis locis, c. XXXI, c. XXXII tribus locis, et c. XXXIII.

[2] Apud Proclum, *Hypotyp. astron.* p. 91-93 Halmæ

[3] *Metaph.* K, VIII, p. 1065 *a*, l. 5-21 ed. Berol.

eæ sunt circuli ambitus partes in 360 partes divisi, et *gradus* dici solent; quæ vero in hoc capite *μορίαι* dictæ sunt, eæ sunt partes quarum 365 $\frac{1}{4}$, quot sunt in anno dies, circuli ambitu continentur. Harum autem partium, quæ non sunt *gradus*, quater in hoc loco mentio fieri debuit. Semel in codice recte dictæ leguntur *μορίαι*, his verbis : *ὅσωνπερ ἦν αὐτὴ μοριῶν*. Bis male in codice legitur *μοιρῶν*, pro *μοριῶν*. Semel vox ea omissa est.

NOTA AA.

Ad c. XXVI, fol. 13 *b*, p. 228.

. . . . . *ὡς ἐν ὥρᾳ πδ*). — In hoc loco non ipse demonstrat auctor qualis sit distantiæ solaris excentrici centri a centro Terræ et zodiaci cum excentrici ipsius radio proportio; sed satis habet declarare hujus rei peritis[1] compertum esse eam esse eamdem quæ est 1 cum 24, postquam ipse excentrici *positionem* esse *datam*, id est certo definiri posse, ostendit. Vult autem a se demonstratum esse etiam *datam* esse excentrici *magnitudinem* : quod minime probavit, et ex iis quæ enuntiavit ne concludi quidem potest. Dummodo enim, data linea per excentrici Terræque centra transeuntis, quæ *apsidum linea* dicitur, positione, servetur excentrici radii cum centrorum distantia proportio, phenomenis iis satisfit omnibus, quibus auctor usus est. Excentricus ergo positione tantum datus est et radii proportione cum centrorum distantia; non vero inveniri potest excentrici magnitudo ipsa, nisi per observationes quasdam, de quibus auctor in hoc loco ne verbum quidem habet. Ceterum de circulis datis et non datis conferantur auctoris c. IX et Dissertationis nostræ pars II, c. IV, § 5.

In ipsa ad excentrici centri positionem et centrorum distantiæ cum excentrici radio proportionem spectanti demonstratione nonnulla sunt indiligenter dicta. Quæ enim scribi juben-

[1] Vide Ptolemæi *Comp. math.* III, IV, t. I, p. 187 Halmæ.

tur lineæ $\mu\zeta$, $\mu\varepsilon$ [1], earum nullus deinde indicatur usus, et nullus esse potest, nisi ut ipso oculo teste ostendatur angulum $\zeta\mu\varepsilon$ esse recto angulo $\rho\mu o$ majorem : quod satis jam constabat arcus $\zeta\varepsilon$ et ρo inspicientibus. Deinde æquos esse angulos $o\mu\nu$ et $\theta\mu\tau$, rem per sese evidentem, ex antea dictis concludi auctor voce $\acute{\alpha}\rho\alpha$ falso declarat. Tum addit : « Erit ergo proportio li- « neæ $\mu\tau$ ad $\mu\theta$, vel, quod idem est, lineæ $\mu\tau$ ad lineam $\theta\tau$, « data. » Voces *vel quod idem est* obscuræ sunt. Non enim $\mu\tau : \mu\theta :: \mu\tau : \theta\tau$. Sed in triangulo rectangulo, quale est $\mu\tau\theta$, cujus notus est angulus $\tau\mu\theta$, data proportione quæ est inter $\mu\tau$, anguli recti latus, et $\mu\theta$, latus rectum angulum subtendens, facile invenitur quæ sit proportio inter $\mu\tau$ et $\theta\tau$, anguli recti latera : triangulum ergo *datum* est *specie*, non *magnitudine*. *Datum* est enim *specie* triangulum, cui *simile* aliud facere possis; non vero *magnitudine datum* est, cui *æquum* aliud facere non possis. Satius autem fuisset dicere datum esse specie triangulum $\mu\tau\theta$, cujus anguli tres dati sunt : namque $\mu\tau\theta$ rectus; $\theta\mu\tau$ æquus est, ut dixit auctor, dato angulo $o\mu\nu$; et $\tau\theta\mu$, — quod dicere neglexit auctor, — æquus est angulo $\upsilon\mu\theta$, qui ipse, ut auctor dixit, æquus est dato angulo $\rho\mu\nu$.

De codicis mendis evidenter corrigendis, et de addendis vocibus nonnullis, quæ evidenter etiam a librario omissæ sunt, satis sunt quæ ad ipsum textus locum in ima pagina monuimus.

Nota BB.

Ad c. xxvi, fol. 14 *b*, p. 238.

. . . . . $\mu o\nu\xi$ $\acute{\varepsilon}\gamma\kappa\varepsilon\nu\tau\rho o\nu$). — Quanquam in lexicis nullis et in græcorum auctorum, quotquot huc usque vulgati sunt, nullo invenitur sic accepta vox $\acute{\varepsilon}\gamma\kappa\varepsilon\nu\tau\rho o\varsigma$, quæ hic et alibi in codice scripta est $\acute{\varepsilon}\nu\kappa\varepsilon\nu\tau\rho o\varsigma$, sæpius vero recte $\acute{\varepsilon}\gamma\kappa\varepsilon\nu\tau\rho o\varsigma$, non tamen de vocis ipsius scriptura, aut de illius sensu dubitare

[1] Vide Descriptionem III.

licet. Nam, ut præpositio ἐν præpositioni ἐκ contrarium habet sensum, ita ἔγκεντροι circuli ἐκκέντροις circulis ab auctore nostro opponuntur [1], quorum hi centrum idem habent quod est Terræ et rerum universitatis, illi autem aliud paulum ab eo distans [2]. Vox ea ἔγκεντρος in hoc capite et sequentibus sæpissime recurrit, et sæpe quidem male vox ἔκκεντρος pro ἔγκεντρος in hoc codice scripta est, et vice versa; sed ubi hoc, ubi illud legendum, facile intelligitur. Circuli enim quorum centrum auctor ipse ponit in centro Terræ et universi ἔκκεντροι dici non possunt, sed ὁμόκεντροι, sive, quod idem est, ἔγκεντροι : et in hoc certe loco de circulo μονῷ agitur, cujus centrum esse θ mundi centrum ipse dixit auctor, et quem in alia Descriptione [3] vocat nunc ἔγκεντρον, nunc ὁμόκεντρον. Unus et idem ergo est vocis utriusque sensus. Voce ἔγκεντρος eadem de re similiter usus est Georgius Pachymeres peripateticus, Adrasti peripatetici, ut equidem opinor, auctoritate ductus [4].

Nota CC.

Ad c. xxvii, fol. 17 *b*, p. 260.

. . . . . κατὰ τὴν αὐτὴν ὥραν). — Sic legendum est, non κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ὥραν, quod in codice est, sed quod sensu caret. Tria enim in hoc capite indicantur Solis *restitutionum tempora* (ἀποκαταστατικοὶ χρόνοι), quæ eodem integrorum dierum numero constant, sed diei particulis inter se differunt. Idcirco dicit auctor post quot annos additæ illæ dierum singulæ particulæ diem totum efficiant, ita ut, post eum annorum numerum, die addito, Sol eadem diei hora (κατὰ τὴν αὐτὴν ὥραν) ad idem longitudinis, aut latitudinis, aut altitudinis, id est a Terra

[1] Videlicet in c. xxxii initio, fol. 20 *b*, p. 282, et ibid. fol. 21 *a*, p. 286.

[2] Vide Notas dd et aa.

[3] Vide in hoc eodem capite fol. 16 *b* et Descriptionem VI. Cf. c. xxxvi, fol. 24 *a* et Descriptionem XII.

[4] Vide, in *Appendice* I, Georgii Pachymeris *Astronomiæ* fragmenti V finem.

distantiæ, punctum redeat. Annum ergo *tropicum*, quo Sol ad eamdem longitudinem redit, esse credit dierum 365 $\frac{1}{4}$, et quatuor annos dierum 365, die addito, efficere quatuor tropicos annos. Sed hunc annum non esse tropicum ostendimus [1]. Annum vero *anomalisticum*, quo Sol ad eamdem altitudinem, id est ad minimam vel maximam a Terra distantiam redit, esse putat dierum 365 $\frac{1}{2}$, et duo annos 365 dierum, die addito, duos annos anomalisticos efficere. Illum ergo, qui revera, sed multo tardius fit, Solis *apsidum* motum ab occidente in orientem perfici credit tropicis annis 1461. Nam $365\frac{1}{4} - 365\frac{1}{4} = \frac{1}{4}$, et $\frac{1}{4} \times 1461 = 365\frac{1}{4}$. Annum denique, quem *draconticum* dicere possis [2], et quo Sol ad eumdem *nodum* vel ad eamdem latitudinem redire putabatur, ita ut æquæ redirent ejusdem gnomonis umbræ meridianæ, esse credit dierum 365 $\frac{1}{8}$, et octo annos 365 dierum, addito die, efficere annos octo *draconticos*. Commenticium ergo *Solis nodorum* in zodiaco motum [3] ab oriente in occidentem perfici credit tropicis annis 2922. Nam $365\frac{1}{4} - 365\frac{1}{8} = \frac{1}{8}$, et $\frac{1}{8} \times 2922 = 365\frac{1}{4}$. Annum *sideralem* eumdem atque *tropicum* visum fuisse Adrasto et Theoni Smyrnæo, *æquinoctiorum præcessionem* non admittentibus, jam diximus [4].

Nota DD.

Ad c. xxviii, fol. 18 *a*, p. 262.

. . . . . τοῦ ἐπικύκλου τὸν ἔγκεντρον). — In codice legitur ἔκκεντρον. Sed hanc vocem pro illa in codice sæpius scriptam inveniri diximus [5], et secundum Adrasti et Theonis Smyrnæi opinionem, non modo Solis, sed etiam Lunæ et stellarum er-

[1] Vide nostræ *Diss.* part. II, c. iv, § 14.

[2] Mensis enim *draconticus* dicitur ille, quo Luna ad eumdem nodum redit.

[3] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. iv, § 14.

[4] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. iv, § 7.

[5] Vide Notam BB.

rantium quinque, epicyclorum centra in circuli *concentrici* ambitu ferri[1], quemadmodum in capitis XXX initio declaratur circuli *μονῆς ἐγκέντρου*, in cujus ambitu est sive Solis aut Lunæ, sive errantis stellæ epicyclus, centrum θ esse mundi centrum. Idem de stellis errantibus apertius etiam declaratur in capitibus XXXII et XXXIV.

NOTA EE.

Ad c. XXVIII, fol. 18 *a*, p. 264.

. . . . . *ἐγκλίσεις τε καὶ θέσεις*). — Dubitari potest utrum hæ tres voces, *λοξώσεις*, *ἐγκλίσεις*, *θέσεις*, tanquam eamdem rem variis nominibus indicantes sumendæ sint, an uniuscujusque vocis sua sit peculiaris significatio. Ptolemæus quidem, de stellis quinque errantibus communiter loquens, *ἐγκλίσεις* nominat angulos quosvis sive inter zodiaci et excentrici, sive inter zodiaci et epicycli planitias; sed de Mercurii et Veneris epicyclis loquens, eorum *ἐγκλίσεις* nominat angulos inter zodiaci planitiam et lineam per epicyclorum perigea et apogea transeuntem, *λοξώσεις* vero angulos inter zodiaci planitiam et lineam transeuntem per epicyclorum puncta a perigeis et apogeis quarta circuli parte distantia[2]. Idem[3] circulorum inclinationis *θέσιν* vocat excentrici in zodiaco et epicycli in excentrico *limitum*, *borealium* et *australium* positiones. Hæc omnia sane Hipparchum non omnino fugerant, qui ea nominibus iisdem forsitan jam insigniverat, quanquam ea in systema redigere non potuerat[4]. Verum Theon Smyrnæus statuit epicyclos omnes esse semper in concentrici circuli erga zodiacum obli-

[1] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 15 et 18.

[2] Vide Ptolemæi *Comp. math.* XIII, I, t. II, p. 371 Halmæ. Halma vero, qui recte hoc loco *λοξώσεις* gallice verterat voce *obliquités*, mox (XIII, III, p. 376-377) eamdem vocem *λοξώσεις* gallice vertit voce *inclinaisons*, qua verti oportuit vocem *ἐγκλίσεις*.

[3] *Comp. math.* XIII, III, p. 375.

[4] Vide Ptolemæi *Comp. math.* IX, I, t. II, p. 118-119.

qui planitia [1]. Fieri quidem potest ut Theon *inclinationes* et *obliquitates* illas in hoc capite vocibus iisdem, quibus Hipparchus, distinxerit, deinde vero, tanquam non satis compertas, sicut et alia sibi non ignorata [2], in hypothesibus suis neglexerit. Sed multo probabilius videtur Theoni λοξώσεις et ἐγκλίσεις fuisse ἐν διὰ δύοιν, et vocem θέσεις generaliorem, tam ad inclinationes ipsas, quam ad limitum borealium australiumque positiones, et uno verbo ad circulorum *situs* spectavisse.

Nota FF.

Ad c. xxix, fol. 18 *a*, p. 264.

. . . . . ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ κύκλου). — Legendum αὐτοῦ, quanquam in codice est ἀὐτοῦ. Solis enim circulus *proprius* dicitur ille cujus circuitum Sol ipse percurrit, id est epicyclus, motus inæqualitatem efficiens. Sic etiam in capite xxvi ἡλιακὸς κύκλος dicitur epicyclus ἐξης. Sol autem non retrograditur, quia ipse epicycli, concentrico minoris, ambitum eodem tempore, quo concentrici ambitum epicycli centrum, percurrit; nec Luna retrograditur, quia epicycli in concentrico motus, quo pone signa zodiaci ab oriente ad occidentem quotidie euntia relinquitur epicyclus orienti propior illis fiens [3], citior apparet ipsius Lunæ motu circum epicyclum. Quinque vero errantes stellæ citius epicycli ambitum percurrunt, quam ille concentricum, atque e Terra spectantibus majorem aliquando angulum eodem tempore occidentem versus motu suo in epicyclo percurrere videntur, quam orientem versus ipsius epicycli centri motu in concentrico. Pessime ergo Theonis Smyrnæi caput hoc intel-

[1] *Astron.* c. xxxii. Cf. *Diss.* nostræ part. II, c. iv, § 15.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. iv, § 13 et 16.

[3] Id enim significatur vocibus τοῦ τῶν ζωδίων ὑπολείπεσθαι κύκλου (vide textum et notam in ima pagina. Cf. c. xviii). Ὑπολείπεσθαί τινος est *pone aliquem* citius euntem *relinqui*.

lexit Chalcidius[1]: quum enim ad hunc locum in latine vertenda Theonis *Astronomia* pervenit, dicit idcirco retrogredi videri stellarum errantium nonnullas, quod ceteris multo tardius eant orientem versus, et, cum citioribus iis comparatæ, occidentem versus ire videantur; sed Lunam, Solem, Mercurium et Venerem, utpote citius euntia, nunquam retrogredi videri. Quæ omnia quam falsa sint atque a Theonis mente aliena, nemo non videt. Namque Mercurii et Veneris, sicut et ceterarum stellarum trium, sunt retrogressus, et quinque errantes stellæ, non hæc erga citiorem aliam, sed omnes erga stellas inerrantes et æquinoctiorum puncta, retrogrediuntur. Stellæ enim illæ quinque solent quidem zodiaci sidera pertransire ab occidente ad orientem, sed aliquando, certis temporibus, ab oriente ad occidentem ea pertransire videntur nobis revera cernentibus, nec vero *imaginantibus* tantum, ut falso Chalcidius autumat. Earum ergo *geocentricæ longitudinis* graduum numerus, qui cetero cursu augetur, revera minuitur iis, qui e Terra spectantibus nobis apparent, retrocessibus.

Nota GG.

Ad c. xxx, fol. 19 *a*, p. 272.

. . . . . τὸ καὶ τὰ εὑρημένα). — Sic legendum, quanquam in codice legitur τὸ κατὰ τὰ εἰρημένα. Duplex enim est astronomicæ scientiæ propositum, hinc, retrorsum computando, antique observata examini subjicere, illinc in futurum observanda prædicere : quod utrumque, vel sine accurata legum cœlestes motus moderantium cognitione, obtineri potest, dummodo certa phænomena certis temporum intervallis eodem ordine redire animadverteris. Id autem Chaldæis et Ægyptiis aliquatenus contigisse credimus.

[1] Fol. 28 *b* Ascensii, p. 171-172 Meursii.

NOTA HH.

Ad c. XXX, fol. 19 *a*, p. 272.

.....Ἐπινομίῳ).—Qui Ἐπινόμιον hic dicitur, Platonis, vel potius Philippi Opuntii, dialogus Ἐπινομὶς dici solet. Sed, quoniam in Theonis Smyrnæi operis a Bullialdo edita parte [1] eadem etiam vocis ejus forma invenitur, nihil mutandum judicavimus.

NOTA II.

Ad c. XXXI, fol. 19 *b*, p. 274.

.....τοὺς μὲν ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ παντί).—Male in codice legitur τοὺς μὲν ἐπὶτὰ ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ παντί. Si enim astra septem errantia circulis ferrentur, qui omnes irent eo quo tendit motus universi, id est ab oriente in occidentem, quæ ergo esse possent astra illa ab errantibus septem diversa et circulis delata ab occidente in orientem, quum præsertim Adrastus et Theon Smyrnæus æquinoctiorum præcessionem rejiciant? Immo vero in aperto est, quum motus ab occidente in orientem errantibus septem astris sit proprius, ad ea spectare non propositionis particulam aliquam tantum, sed totam propositionem. Ea est ergo auctoris sententia, si volueris hæc septem astra circulis moveri, oportere ut circulorum plerique, nempe concentrici septem et forsan etiam stellarum quinque errantium epicycli, ab occidente in orientem volvantur, alii vero, nempe Solis et Lunæ et forsan etiam quinque stellarum epicycli, volvantur ab oriente in occidentem. Quinque enim stellarum errantium quamque epicycli sui ambitum ab occidente in orientem percurrere oportere censent non tantum Ptolemæus [2], Proclus [3] et

[1] *Mus.* c. XXXI, p. 131 Bullialdi.

[2] *Comp. math.* IX, v, t. II, p. 156-157, et IX, VI, t. II, p. 160 Halmæ; *Hypothes. astron.* p. 49, 51, 52, 54 et 56 Halmæ, etc.

[3] *Hypotyp. astron. hypothes.* p. 121 Halmæ. Cf. Proclum, *in Timæum*, p. 221

mathematici omnes[1], verum etiam cum eis Theon Smyrnæus, in capite xxx idem aperte declarans : dicit enim epicyclum, in cujus ambitu fixum est erraticum astrum, circa suum ipsius centrum volvi, quod ad Solem et Lunam spectat, *ἐπὶ τὰ αὐτὰ τῷ πάντι*, id est ab oriente in occidentem, sed quod ad errantes quinque stellas spectat, *καὶ τοῦτον ὑπεναντίως τῷ πάντι*, id est ipsius epicycli, sicut et concentrici, revolutionem fieri ab occidente in orientem. Idem vero Theon Smyrnæus, in ejusdem capitis fine, dicit quinque errantium stellarum motum per excentricum etiam sine epicyclo effici posse : quod duplici de causa falsum est ; tum quia excentrico retrogressuum ratio reddi non potest ; tum quia motus circum excentricum idem efficit atque motus epicycli circum concentricum et stellæ circum epicyclum, sed in partem ipsius epicycli motui contrariam, quemadmodum id Ptolemæus[2] demonstravit. Theon Smyrnæus ergo in capitis fine oblitus est qualem circa epicyclum motum, *apparentiarum causa*, statuendum in ejusdem capitis initio judicaverit. Nec magis id recordatur in capite XXXII : ibi enim, non de Sole et Luna tantum, sed de septem errantibus astris, dicit plenas minores sphæras, quarum maximi axi ad perpendiculum circuli sunt epicycli, rotari occasum versus, et cavas majores sphæras, quarum maximi axi ad perpendiculum circuli sunt concentrici, solas rotari orientem versus. Scilicet, ut equidem opinor, in capitis xxx initio indicatam ab Hipparcho et mathematicis *apparentiarum causa* viam ingressus est ; mox vero, Posidonium et *physicos*, id est stoicos, philosophos secutus, maluit errantium quinque stellarum motus a Solis et Lunæ motibus obliquitatum solummodo quan-

a ed. gr. Basil. (p. 533 Schneideri), ubi, mutato unius virgulæ loco, legendum : ..... *Σελήνη μὲν καὶ ἥλιος ὁμοίως ἐπὶ τῶν ἐπικύκλων κινοῦνται τῇ ἀπλανεῖ, τοῖς ἑαυτῶν ἐπικύκλοις ἀντιφερόμενοι κατὰ τὴν αὐτῶν κίνησιν.*

[1] Teste Chalcidio, fol. 29 *a* Ascensii, p. 175 Meursii.

[2] *Comp. math.* IX, v, t. II, p. 156-157 Halmæ.

titate et celeritatum varietate differre. Id eo confirmatur, quod Chalcidius, *Commentario in Timæum* [1] Theonis *Astronomiæ* mutilam versionem inserens, quum ad caput XXXV de retrogressibus pervenit, eos primum secundum eam hypothesim exponit, qua motus in epicyclo fit occasum versus, et hanc quidem esse dicit *philosophorum*, quos etiam *physicos* nominat, « qui non ad « ea quæ videntur, sed ad naturalem stellarum motum animad- « vertunt. Nullam quippe, inquit, stellam diverso contrariove « motu [in epicyclo] contra universæ rei motum circumactio- « nemque [id est orientem versus] adserunt, sed omnes uni- « formiter ferri secundum naturam suam [id est occasum « versus]. » Tum ad alteram, quæ est *mathematicorum*, hypothesim transiens, ait : « Faciam ergo ut etiam juxta mathema- « ticos ἐξῆ epicyclus contra totius mundi motum feratur [id est « orientem versus circum centrum suum volvatur]. » Scilicet stoicorum primum sententiam secutus, deinde Ptolemæi ceterorumque mathematicorum opinionem phænomenis magis consentaneam omittere noluit. Theonem ipsum in capite XXXV voluisse errantes stellas in epicyclo ferri occidentem versus, apertissime probatur capitis istius lectione et Descriptionis XI aspectu, in qua punctum ε a nobis in apogeo merito positum esse lineæ θμεα nomine liquet.

NOTA JJ.

Ad c. XXXI, fol. 20 *a*, p. 278.

. . . . . σειρήνης καθ' ἕκαστον ἑτέρας). — Siren illa, per quam erratica stella in profundum cœli moveretur, id est nunc magis, nunc minus a Terra discederet, nihil aliud esse potest quam sphærula sive epicyclus stellam ferens, et circulo illi sive sphæræ, per quam fit stellæ media motus celeritas, sic insidens, ut cœlestibus circulis Sirenas insidere Plato [2] voluit. Qui

[1] Fol. 29 *a* Ascensii, p. 173-175 Meursii.

[2] *Rep.* X, p. 617 B. Vide et Theonis Sm. *Astron.* c. XVI.

ergo, Iamblicho [1] et Proclo [2] reprehensi, epicyclorum notionem Platoni tribuebant, eorum, ut videtur, nonnulli censebant dictas Platoni Sirenas circulis insidentes esse epicyclos. Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 5.

NOTA KK.

Ad c. XXXII, fol. 20 *b*, p. 284.

. . . . . πρὸς ὀρθὰς τῷ [τοῦ ἰσημερινοῦ . . . .])—Quomodo uncis inclusæ voces a librario propter ὁμοιοτέλευτον, ut fit, omissæ sint, in nota imæ paginæ adscripta diximus. Caput hoc Chalcidius latine vertere omisit. Sed de librarii errore et de eorum, quæ addenda fuerunt, sententia nihil est dubii. Quis enim credat Adrastum aut Theonem voluisse sphæræ inerrantis axem errantium stellarum alicujus circulo esse ad perpendiculum? Quis non videat axem hunc æquinoctiali circulo ad perpendiculum dicendum esse? Quis non videat etiam cavæ sphæræ, medium errantis astri cujusque motum efficientis, axem dicendum esse ad perpendiculum planitiæ obliqui circuli quem astrum describere videtur, quandoquidem Adrastus et Theon obliquitatem totam concentrico circulo tribuunt, ac nullam ejus partem epicyclo [3]? Idcirco sphæræ plenæ axis, qui epicyclo ad perpendiculum est, positionem indicare negligunt, scilicet quia hanc eamdem esse credunt atque cavæ sphæræ axis, qui excentrico ad perpendiculum est, positionem.

NOTA LL.

Ad c. XXXII, fol. 21 *b*, p. 290.

. . . . . οἷον τὰ φ, ω).—Jam in capitibus XXVI [4] et XXX [5] dixerat auctor Solis medias a Terra distantias et medias appa-

[1] Apud Proclum (*In Tim.* p. 258 E ed. gr. Basil., p. 625 Schneideri).

[2] *In Tim.* p. 221 F ed gr. Basil., p. 534 Schneideri.

[3] Vide supra Theonis *Astron.* c. XXVIII et XXIX, et *Diss.* part. II, c. IV, § 15.

[4] Fol. 13 *a*.

[5] Fol. 18 *b*.

rentes magnitudines cerni in zodiaci punctis quarta circuli parte ab apogeo distantibus. In hoc loco dicit errantis astri cujusvis medios apparentes motus et medias a Terra distantias fieri in concentrici excentricique secturis, et apparere in zodiaci punctis quæ ab apogeo quarta circuli parte distant. At ex ipsa Descriptione x (quam vide) liquet φ et ω puncta e θ Terræ centro apparere quidem in zodiaci punctis ϵ et δ quarta circuli parte ab apogeo distantibus, sed non eadem esse atque λ et ξ puncta, in quibus sese concentricus et excentricus invicem secant, et puncta λ et ξ in ϵ et δ punctis e puncto θ non apparere. Verum enim vero mediæ a Terra distantiæ fiunt in λ et ξ secturis, quemadmodum auctor merito hic et in capite XXXVI declaravit, *mediique motus* tantum, id est mediæ motus e Terra apparentis celeritates, fiunt in φ et ω et apparent in ϵ et δ. Nec multum quidem distantiæ $\theta\varphi$ et $\theta\omega$ a distantiis $\theta\lambda$ et $\theta\xi$ differunt, quia circuli $\epsilon\lambda\upsilon\xi$ centrum η non multum a θ Terræ et zodiaci centro distat. Sed, si majorem feceris lineæ $\eta\theta$ cum circulorum radiis proportionem, sicut in Descriptione XIX (quam vide), liquebit puncta φ et ω e θ Terræ centro apparere in punctis υ et π, multum distantibus a punctis ϵ et δ, videbisque lineas $\theta\varphi$ et $\theta\omega$ multo minores fieri lineis $\theta\lambda$ et $\theta\xi$; nec non tamen *medii motus* in φ et ω fiunt, quemadmodum Ptolemæus [1] ostendit. Etenim, in Descriptione XIX, angulus $\epsilon\eta\varphi - \epsilon\eta\iota = \iota\eta\varphi$: atqui $\iota\eta\varphi = \eta\varphi\theta$, et $\epsilon\eta\iota = \epsilon\theta\varphi = 90°$; ergo $\epsilon\eta\varphi - \epsilon\theta\varphi = \eta\varphi\theta$. Sit autem ρ punctum quodvis in arcu $\varphi\upsilon$: si lineam $\eta\sigma$ lineæ $\theta\rho$ parallelam duxeris, angulus $\epsilon\eta\rho - \epsilon\eta\sigma = \sigma\eta\rho$: atqui $\epsilon\eta\sigma = \epsilon\theta\rho$, et $\sigma\eta\rho = \eta\rho\theta$; ergo $\epsilon\eta\rho - \epsilon\theta\rho = \eta\rho\theta$. Similiter sit punctum quodvis o in arcu $\epsilon\varphi$: si lineam $\eta\mu$ lineæ θo parallelam duxeris, angulus $\epsilon\eta o - \epsilon\eta\mu = \mu\eta o$: atqui $\epsilon\eta\mu = \epsilon\theta o$, et $\mu\eta o = \eta o\theta$; ergo $\epsilon\eta o - \epsilon\theta o = \eta o\theta$. Item est et de punctis omnibus alterius semicirculi $\upsilon\omega\epsilon$. Ergo angulus quivis, cujus vertex sit in puncto aliquo excentrici circuitus et cujus

[1] *Comp. math.* III, 1, t. I, p. 174-177 Halmæ.

latera transeant per η et θ centra excentrici et concentrici, est angulus quo differt locus astri e Terra θ apparens a loco qui e motu circum Terram θ æquabili concluderetur. Atqui variabilem hunc angulum in punctis φ et ω maximum esse Ptolemæus optime demonstrat. Ergo hæc differentia, quæ in apogeo ε et in perigeo υ nulla est, addenda crescit ab υ in ω et decrescit ab ω in ε, post ε fit detrahenda crescitque ab ε in φ et decrescit a φ in υ. Medii vero motus, qui in φ et ω fiunt apparentque in $\mathfrak{S}$ et δ, non congruunt cum mediis distantiis, quæ fiunt in λ et ξ apparentque in ν et π : cujus rei ea est causa, quod motus æstimatio per *visionis angulos* non pendet a distantia tantum, sed etiam ab angulo lineæ ab oculo ad astrum ductæ et lineæ illius circulum tangentis quam astrum in unoquoque momento sequitur. Falso ergo Adrastus et Theon Smyrnæus medias distantias cum mediis apparentibus celeritatibus in iisdem zodiaci punctis quarta circuli parte ab apogeo distantibus apparere credidérunt. Similem errorem immerito in Ptolemæi *Compositionem mathematicam* [1] inepta versione intrusit Halma, sæpius de auctore suo male meritus. Etenim voces *μέσην πάροδον*, quæ *medium motum*, id est *mediam apparentem celeritatem*, indicant, gallice vertit *distances moyennes*; sed vertere oportebat *moyenne vitesse angulaire*.

NOTA MM.

Ad c. XXXIII, fol. 22 *b*, p. 298.

. . . . . *καρδίαν ἀκίνητον*). — Sic procul dubio legendum, pro codicis lectione *ἀκίνητον*. Mox enim ipse dicit auctor, quemadmodum in corpore humano cor caloris et vitæ centrum est, umbilicus vero magnitudinis, ita in mundo Solem esse animæ calorisque fontem, Terram autem, *frigidam et immobilem*, centrum esse magnitudinis. Similiter Chalcidius [2], sive ex Adrasto

[1] L. c. p. 176, l. 8-9.

[2] Fol. 32 *a* Ascensii, p. 192 Meursii.

et Theone Smyrnæo, sive potius e Posidonio, unde etiam Adrastus et Theon hauserant, hæc mutuatus, ait : « Non ergo a me- « dietate corporis, quæ Terra est, sed a regione vitalium, id est « a Sole, animæ vigorem infusam esse mundano corpori potius « intelligendum pronuntiant : siquidem Terra immobilis, Sol « vero semper in motu. Itemque uteri medietas immobilis, cor- « dis semper in motu... » De hac stoicorum et Posidonii doctrina, qui tamen Solem Mercurii et Veneris circuitibus non coronari, sed circuitu suo circuitus illos involvere credebant, vide quæ diximus in *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 19.

NOTA NN.

Ad c. XXXIX, fol. 25 *a*, p. 316.

.....προλαμβάνον δὲ τὸ γδ).—Sic legendum et intelligendum τὸ φῶς. Namque γδ est corpus *lucem intercipiens*, id est *capiens antequam ultra perveniat.* Atqui προλαμβάνειν est *antecapere.* Τὸ προλαμβάνον ita acceptum vidisse non equidem recordor; sed facile intelligitur. Προσλαμβάνον, quod in codice est, nullum præberet sensum.

NOTA OO.

Ad c. XXXIX, fol. 26 *a*, p. 322.

.....Ὁ δὲ Δερκυλλίδης). — Sic legendum; nec vero Δερβυλλίδης, ut in codice legitur. Δερκυλλίδης enim Platonicus sic nominatur Albino, Proclo et Simplicio. Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 14. De Dercyllida, sive Dercylida, Lacedæmoniorum duce, vide Xenophontem, *Hellen.* lib. III, c. I, II, IV; lib. IV, c. III; Diodorum S., lib. XIV, c. XXXVIII et XXXIX; Ephorum, apud Athenæum, lib. XI, c. XIV, sect. 101, p. 500 *b* Casaub.; et Eustathium, ad *Odyss.* XV v. 85, p. 1775, l. 33 et sqq. ed. Rom. Fuit et Dercyllidas

quidam missus a Lacedæmoniis ad Pyrrhum legatus, de quo vide Plutarchi *Apophthegmata laconica*, lit. δ, p. 219 F. Vox autem Δέρκυλλος, sive Δερκύλος (Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 13), a δέρκομαι derivata et unde derivatur Δερκυλλίδης, græca est, et fuit Δέρκυλλος, sive Δερκύλος, historicus, de quo vide veterum testimonia multa apud G. J. Vossium, *De historicis græcis*, lib. III, p. 428 editionis Westermanni (Lipsiæ, 1838, in-8°). Fuit etiam Δέρκυλλος dux, Atticam Antipatri nomine tenens eo tempore quo Nicanor, Cassandri legatus, Piræum occupavit. Vide Plutarchum, *Phoc.* c. XXXII, et Cornelium Nepotem, *Phoc.* c. II. Δέρκυλλος etiam est fictum litteras scribentis et accipientis nomen in Æliani *Rusticis epistolis*. Denique Δερκυλλίς est feminæ nomen in ficta Antonii Diogenis narratione apud Photium (*Myriob.* cod. 166).

NOTA PP.

Ad c. XLI, fol. 26 *b*, p. 328.

. . . . . τῆς κατὰ μῆκος κινήσεως). — Vocem εἶναι, quæ in codice non est, subaudiri posse credidimus. Auctoris sententia est, stellarum errantium *ortus heliacos*, et *ortus* cum inerrantium stellarum hac vel illa *simultaneos*, qui παρανατολαὶ dicuntur[1], ex earum longitudinis gradu præcipue pendere : quod verum est. Nonnihil tamen earum motu in latitudinem ortus illi afficiuntur : qua de re vide Ptolemæum[2]. Iis enim tantum, qui sub æquinoctialem Terræ circulum habitant, stellæ omnes, quæcumque in eodem *horario* sunt circulo, quotidie simul oriuntur; extra hunc vero circulum habitantibus nobis, non item.

[1] Vox ea, hic Theoni Smyrnæo usurpata, in lexicis deest. Sed notissimum est verbum παρανατέλλειν.

[2] *Comp. math.* XIII, 1, t. II, p. 367, et XIII, VII, p. 416-422 Halmæ.

Nota QQ.

Ad c. XLI, fol. 27 *a*, p. 328.

. . . . . *ἱππικῆ παραπλησίας*). — Sinuosas lineas sic vocat auctor, quas *ἱπποπέδας* dixit Proclus[1], quales fere describit equus ad utrumque rectæ viæ marginem discurrens, et qualem exhibet Descriptio geometrica XVII. Eudoxo etiam exprobrarunt antiqui, quod tali *ἱπποπέδῃ* linea vellet errantes stellas eclipticum circulum sæpius pertransire[2].

Nota RR.

Ad c. XLI, fol. 27 *a*, p. 330.

. . . . . *διὰ τοῦ τῶν ἐγκέντρων πλάτους γραφομένων*). — Legendum *ἐγκέντρων*[3]; et, nisi forte *βάθους* legendum est, intelligere oportet *πλάτος* hic non eam esse, quæ astronomis sic dicitur, *latitudinem*, id est ab ecliptico circulo ad perpendiculum distantiam, sed in concentrici circuli per apogeum transeuntis et sphæram cavam per apsidum lineam secantis planitia idem esse, quod in ipsa sphæra cava dictum est *βάθος*[4], æquum lineæ *πε* in Descriptione X (quam vide). In cavi ergo concentrici circuli *ερστ* parte illa quæ inter ambitus *ερστ* et *πχυψ* comprehenditur descriptos esse intelligit auctor, et *εζπη* epicyclum, et *ελυξ* excentricum. Inter eosdem etiam ambitus describitur *μλνξ* concentricus circulus epicycli centrum ferens. Merito ergo mox addit auctor inter utramque cavæ sphæræ superficiem, per epicyclos et concentricos circulos, *κατ' ἐπικύκλους καὶ ἐγκέντρους* (sic enim legendum), astra ferri. Vide caput XXXII.

[1] *In Euclidem*, II, p. 31.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. III, § 6.

[3] Vide Notam BB.

[4] C. XXXII, fol. 20 *b*.

NOTA SS.

Ad c. XLII, fol. 27 *b*, p. 33*a*.

Quam merito et necessario in hujus capitis textu multa correxerimus, ostendet nostra hæc interpretatio, ad quam vide Descriptionem XX.

Sit circulus *αβγδ coluras solstitiorum*. Sint diametri, $\beta\delta$ æquinoctialis circuli; $\zeta\theta$ ecliptici; $\zeta\iota$ tropici æstivi; $\varkappa\theta$ tropici brumalis; $\mu\nu$ circuli in Rhodo perpetuo apparentis, quem *arcticum* antiqui vocabant; ξo circuli in Rhodo perpetuo occulti, quem *antarcticum* antiqui vocabant; $\lambda\varepsilon$ circuli quem nos *arcticum* vocamus, et qui, æquinoctiali parallelus, transit per ecliptici borealem polum ε; $\eta\pi$ circuli quem nos *antarcticum* vocamus, et qui, æquinoctiali parallelus, transit per ecliptici australem polum η. Sint axes, $\alpha\gamma$ æquinoctialis circuli; $\varepsilon\eta$ ecliptici. Sint semicirculus $\zeta\alpha\theta = 180°$, et semicirculus $\zeta\gamma\theta = 180°$. Satis erit, ut ait auctor, alterutrius partes dimetiri, quandoquidem ambo similem in modum divisi sunt. Borealem semicirculum $\zeta\alpha\theta$ auctor prætulit, et id totius capitis lectione evidenter appareret, quamvis in nonnullis locis librarii erroribus in alterum semicirculum, codicem Parisiensem legentes, transferamur.

Secundum Hipparchum, inter æstivum tropicum et *arcticum* semper apparentem circulos arcus $\zeta\mu$ (nequaquam vero inter æstivum et *antarcticum* circulos, ut in codice legitur, arcus $\zeta\xi$) $= 30°$. Inter *arcticum* semper apparentem circulum et inerrantis sphæræ polum arcus $\mu\alpha = 36°$. (Idem etiam dici potest de arcu $\xi\gamma$ inter *antarcticum* circulum et alterum polum, ut in codice legitur; sed de boreali hemisphærio agi probant codicis lectiones, quascumque servamus, ac duo etiam, quos in codice reprehendimus, gravissimi errores de arcu $\zeta\xi$.) Inter æstivum tropicum circulum et inerrantis sphæræ axem arcus $\zeta\alpha = \zeta\mu + \mu\alpha = 66°$. Inter æquinoctialis eclipticique circulorum polos arcus $\alpha\varepsilon = \zeta\varepsilon - \zeta\alpha = 90° - 36° = 24°$. Inter eclip-

tici polum ε et *arctici* semper apparentis circuli hibernam partem ν arcus $\varepsilon\nu = \alpha\nu - \alpha\varepsilon = 36° - 24° = 12°$. (Idem etiam dici potest de arcu $\eta\xi$ inter ecliptici polum η et æstivam *antarctici* partem, ut legitur in codice; sed de boreali hemisphærio agitur.) Inter *arcticum* semper apparentem circulum et æstivum tropicum arcus $\nu\iota$ (nequaquam vero inter *antarcticum* circulum et æstivum, ut in codice legitur, arcus $\zeta\xi$) $= 30°$. Ab æstivo tropico ad æquinoctialem circulum arcus $\iota\delta = 24°$. Ab æquinoctiali ad hibernum tropicum arcus $\delta\theta = 24°$. Hic subsistit auctor, omnes $\zeta\alpha\theta$ semicirculi partes emensus, quarum summam esse 180° in aperto est. Atqui $24° = \frac{360}{15}$. Ergo $\delta\theta$ linea subtendens arcum inter eclipticum et æquinoctialem circulos est inscripti circulo quindecim laterum polygoni latus : quod demonstrandum auctor sibi proposuerat. Et id quidem verum est, datis iis omnibus, quas dedit, mensuris. Sed de hac ipsa ecliptici obliquitatis mensura, vide quæ monuimus in *Dissertationis* nostræ parte II, c. IV, § 26.

APPENDIX PRIOR,

CONTINENS

E GEORGH PACHYMERIS ASTRONOMICO LIBRO INEDITO

DELECTA FRAGMENTA.

DE SEQUENTIBUS FRAGMENTIS

DISSERTATIO.

§ 1. Inter græcos Bibliothecæ regiæ Parisiensis manuscriptos libros exstant, numeris 2338, 2339 et 2340 inscripti, tres codices continentes Georgii Pachymeris, qui sæculo post Christum natum XIII vivebat, ineditum opus Περὶ τῶν τεσσάρων μαθημάτων, cujus librum secundum, *De musica*, typis jamjam vulgaturus est vir doctissimus Vincentius [1]. Quartum autem librum, cujus titulus Ὅροι σφαιρικῆς ἤτοι περὶ ἀστρονομίας, nos, edendæ Theonis Smyrnæi *Astronomiæ* subsidia et ornamenta quærentes, pervolvimus, et locos inde paucos, qui typis digni visi sunt, excerpsimus.

Hic autem liber, qui in codice 2338 a folio 235 ad folium 345 et ultimum pertingit, de omnibus fere *Astronomiæ* partibus elementarium in modum, prolixe et confuse tractat, nec tam ipsius auctoris est, quam potius e variis auctoribus inter se non semper consentientibus conflatus, quorum præcipui sunt Hipparchus *in Aratum*, Cleomedes, Ptolemæus et Theon Alexandrinus. Ptolemæi autem doctrinæ solent recenseri tantum; Hipparchi, Cleomedis et Theonis Alexandrini paginæ totæ, paucis mutatis aut transpositis, descriptæ leguntur, et nonnunquam quæ Cleomedis aut Theonis Alexandrini sunt [2],

[1] *Notices et Extraits des mss.* t. XVI, IIe part.

[2] Videlicet e Cleomede (II, 1, p. 99-102 Bakii) ad verbum descripta sunt, quæ, tanquam sua, Georgius Pachymeres edit de Lunæ magnitudine, in codicis 2338 fol. 290 *b* et fol. 291 *a*. E Theone Alexandrino (*In Ptolem. Comp. math.* I, p. 23 ed. gr. Basil.) item descripta sunt quæ habet idem de Terræ et montium magnitudine in codicis 2338 fol. 267 *a*-268 *b*. Longos Hipparchi locos e

non nominato auctore, inseruntur. Sed insunt etiam nonnulla, quæ apud neminem auctorum, quos nunc habemus, inveniuntur : inter quæ nos ea delegimus, quæ ad astronomiæ physicæ præsertim historiam et potissimum ad intelligendam Theonis Smyrnæi *Astronomiam* facere visa sunt. Ejusdem libri locum, in quo, a codicis 2338 folio 235 ad folium 263, de circulorum angulorumque sexagesimali divisione et supputatione agitur, tempore exclusi, legere supersedimus. An insit quidquam alicujus momenti, videant qui mathematicarum scientiarum, aut seorsim rei trigonometricæ, historiæ student.

De fragmentis iis, quæ nunc primum typis vulgamus, hæc fere veniunt præmonenda.

§ 2. In FRAGMENTO PRIMO id præcipue notandum est, quod motum in spiram, qui astris errantibus a Platone et Theone Smyrnæo tribuitur, ad astra etiam inerrantia pertinere hic et in fragmento quarto dicit Georgius Pachymeres, propter diurni eorum circa Terram motus conjunctionem cum obliquo illo motu, quo a punctis æquinoctiorum lentissime abscedunt, ita ut eorum *ortivæ* quæ dicuntur *amplitudines* ex eodem Terræ loco post sæcula mutatæ appareant. Id vero etiam notandum, quod πόλοι Pachymeri dicuntur, non polorum puncta, sed *semper apparens* et *semper occultus*, descripti circum illa puncta, *circuli*. Vocem πόλοι de descriptis circum mundi cardines circulis, sed semper apparenti et semper occulto in Græcia aut in Italia multo minoribus, jam ante sua tempora Græcis usurpatam fuisse testantur Varro[1] et Vitruvius[2].

§ 3. In FRAGMENTO SECUNDO, de *anni tropici* magnitudine Ptolemæum sequitur Pachymeres, nisi quod *partes* temporis

commentario in Arati *Phænomena* typis edito, paucis interpositis Pachymeris ipsius verbis, qui hæc omnia ex Hipparcho fatetur descripta, vide in ejusdem codicis fol. 296-322.

[1] Apud Gellium, III, 1.

[2] IX, 1 (IV), § 2, p. 241 Schneideri.

vocat dies, et illos, non in horas, sed in sexagesimales partes dividit. Vellet etiam de æquinoctiorum præcessionis, sive inerrantium stellarum ad orientem motus, celeritate Ptolemæum sequi. Sed falso credit annum dierum $365\frac{1}{4}$, quod tempus in Ægypto inter duo Sirii heliacos ortus effluit, *annum* esse *sideralem*, id est inter duas Solis cum una in ecliptico stella conjunctiones. Miratur ergo annum illum, quem sideralem esse credit, anno tropico majorem tricentesima tantum esse diei parte, dum centesima gradus parte quotannis ad orientem stellæ inerrantes moveri Ptolemæo dicuntur. Suspicatur ergo inerrantium stellarum motum hunc, qualem fecit Ptolemæus, esse justo ter fere celeriorem. Nec tamen aliquid hac de re affirmare audet.

§ 4. In TERTIO contra FRAGMENTO, de motus ejusdem celeritate, post Ptolemæi opinionem, aliam memorat, quam præferre videtur, et quæ ad veritatem multo propius accedit : hæc est illa, quæ ex Albatenii observationum cum Hipparchi observationibus collatione elicitur, motus illius æstimatio, secundum quam æquinoctia gradum unum non intra 100 annos, sed intra annos 66, et totum ergo circulum intra annorum millia non 36, sed 24 tantum, percurrant.

Revolutionem autem mundi totius quotidianam circum Terram ab oriente in occidentem fieri dicit nonæ sphæræ astris vacuæ, sphæras omnes secum rapientis, motu. Motum vero, quo stellæ inerrantes ab æquinoctiis abscedunt, fieri dicit octavæ sphæræ, stellas illas omnes ab occasu ad ortum ferentis, proprio motu : et in hoc sane cum Ptolemæo[1] consentit. At immerito Pachymeres addit octavam eamdem sphæram præterea moveri gradum unum occasum versus intra centum annos, sive secundum alios intra annos 66, et sic occasum versus etiam fieri propriam ejusdem sphæræ revolutionem. Secundum Pa-

[1] *Hypothes.* p. 43-44 Halmæ.

chymerem ergo, præter quotidianam conversionem, quæ octavæ sphæræ, sicut et ceteris omnibus, nonæ sphæræ impetu imprimitur, lentissimi duo sunt octavæ sphæræ proprii motus, alter orientem, alter occidentem versus. Quum enim dici possit, sive puncta æquinoctialia sphæræ illa ferentis revolutione a stellis occasum versus discedere, sive stellas sphæræ illas ferentis revolutione orientem versus discedere ab æquinoctialibus punctis, eas hypotheses, quas ipse in fragmento II discreverat, et quarum alterutram eligere oportebat, ambas nunc ineptissime conjungit. Nec de inerrantium stellarum commenticio illo alterno cursu [1] cogitasse putandus est.

De errantium astrorum in zodiaci longitudine revolutionum temporibus vulgatos plenosque annorum numeros refert, *temporum* nomine annos indicans. Adrasti peripatetici exemplo [2], astra non per circulos, sed per sphæras movet. *Altitudinis* autem nomine vocat *apogeum*, *dejectionisque* nomine *perigeum*. De axium erga ecliptici circuli axem inclinatione, et circulorum, quos astra errantia describunt, cum ecliptico nodis, id notandum venit, quod Pachymeres, in quo gradu sit quinque stellarum errantium cuique locus inter ascendentem nodum descendentemque medius (id est *limes borealis*, ad quem stella pervenit), indicans, dicere prætermittit unde gradus numerare incipiat; sed ex apogeo cujusque stellæ eos numerari oportuit, et sic inveniri excentrici circuli *limitis borealis* quod dicitur *anomaliæ argumentum*. Sed, eheu ! Pachymeris numeri sunt de Mercurio 270 gradibus, de ceterarum unaquaque 90 gradibus majores iis quos Ptolemæus [3] pro justis habuerat : statuerat enim limitem borealem esse Martis, Veneris et Mercurii in apogeo ; Jovis 20 gradibus ante, Saturni 50 gradibus post apogeum.

[1] Vide præcipue Delambre, *Hist. de l'astr. anc.* t. II, p. 626, et Bailly, *Hist. de l'astr. mod.* t. I, p. 227.

[2] Vide Theonis *Astron.* c. XXXII.

[3] *Comp. math.* XIII, VI, t. II, p. 414-415 Halmæ.

Scilicet Pachymeres stellarum quinque non, ut voluit, *limitis borealis*, sed, quod ad Mercurium spectat, *nodi ascendentis*, quod ad ceteros, *nodi descendentis anomaliæ argumentum* dedit, Ptolemæi, ut videtur, loco[1] deceptus, ubi maximarum Mercurii et Veneris epicycli *inclinationum* loca sumuntur, quæ illis quidem sunt in excentricorum nodis, sed Marti, Jovi et Saturno in limitibus borealibus[2]. Præterea hos omnes numeros a Ptolemæi tempore ad suum nonnihil mutari debuisse Pachymeres ignoravit. Denique, tanquam ejusdem generis, numerum ad Lunam spectantem 5 *graduum utrinque* affert. Sed Lunæ limes borealis, celeriter mobilis, nullum habet in zodiaco stabilem locum, et hi quinque gradus ex utraque ecliptici parte sunt maximi Lunæ latitudinis arcus, quales Ptolemæus crediderat.

In his ergo omnibus neque auctores quorum scripta expilavit, neque sese ipse intellexit Pachymeres. Mox, non satis quidem lucido Adrasti, vel Theonis Smyrnæi, loco[3], ut videtur, a se male intellecto deceptus, errantium stellarum stationes in ipsis epicyclorum diametris concentrici radio ad perpendiculum sitis fieri credidit, tanquam nullus interea foret epicycli ipsius in concentrici ambitu motus[4]. Satis superque hæc omnia probant astronomum vere dici non posse Pachymerem, sed de astronomica scientia scriptorem parum scite alienis opibus usum. In eodem fragmento zodiaci obliquitatem secundum Ptolemæum fuisse dicit 23°, 52′. Verius alibi[5] dixit secundum Ptolemæum[6] hanc obliquitatem fuisse 23°, 51′, 20″.

§ 5. In QUARTO FRAGMENTO, de astrorum errantium inerran-

[1] *Comp. math.* XIII, 1, t. II, p. 370 Halmæ.

[2] Vide Ptolemæi *Comp. math.* XIII, IV, t. II, p. 382 Halmæ. Cf. XIII, II, p. 372-373.

[3] *Astron.* c. XXXV.

[4] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 21.

[5] Biblioth. reg. Paris. cod. 2338, fol. 271 *b*.

[6] *Comp. math.* I, X, t. I, p. 49; I, XII, t. I, p. 57 Halmæ; *Hypothes.* p. 43 Halmæ.

tiumque etiam motu in longitudinem et in spiram, ac de *ortivarum* quas vocant *amplitudinum* mutatione, ea Pachymeres iterum plenius et clarius dicit, quæ jam in fragmento primo inveniuntur. Sed immerito credit stellarum inerrantium omnium communi ab æquinoctiis orientem versus recessione idcirco mutata non apparere ipsa earum inter sese intervalla, quod motus ille lentissime fiat : qui contra, si vel celerrimus foret, nequaquam tamen ea mutaret intervalla, quæ nonnihil quidem, sed aliis ac veris stellarum earum motibus recens demum observatis, mutantur. Tum Pachymeres Lunæ et quinque stellarum errantium motus apparentis ad orientales zodiaci partes mediam diurnam quantitatem non accurate, sed plenis tantum sexagesimalium gradus partium numeris indicat.

Quamvis non semel, Ptolemæo duce, dixerit[1] Solis centrum ex ecliptico circulo nequaquam discedere, Lunam vero stellasque errantes quinque in latitudinem moveri, in hoc contra loco dicit Lunam *magis quam Solem* ab ecliptico circulo discedere ad aquilonem et ad austrum ; ita ut videatur, cum Eudoxo, Plinio, Adrasto, Theone Smyrnæo, Chalcidio et Martiano Capella[2], nonnullum statuere Solis motum ex ecliptico in latitudinem.

Errantium autem astrorum motus inæqualitatem, stationesque et retrogressus per æquabiles in epicyclis et concentricis circulis motus Græcis tantum exponi dicit, sed ceteris populis pro variis revera cœlestium corporum affectionibus et motus mutationibus haberi : quod de Chaldæis saltem verum fuisse, cum Adrasto et Theone Smyrnæo[3], credimus. Notandum præterea, Adrasti peripatetici exemplo, peripateticum Pachymerem errantium stellarum epicyclos concentricis circulis, nec vero excentricis, ut fecit Ptolemæus, imposuisse, et concentricos dixisse ἐγκέντρους.

[1] Cod. 2338, fol. 236 *a-b*, fol. 272 *a*, fol. 293 *a*, etc.

[2] Vide *Diss.* nostræ part. II, c. IV, § 8.

[3] *Astron.* c. XXX.

§ 6. In FRAGMENTO QUINTO, ubi de geocentrica parallaxi parum scite tractatur, id præcipue notandum venit, quod eam, incognita usque nunc locutione, vocat τὸ πλέον καὶ ἔλαττον τῆς ὄψεως, locum vero stellæ cujusque e Terræ superficie apparentem vocat σημεῖον sive τόπον τῆς ὄψεως, et locum stellæ e Terræ centro visæ τόπον τοῦ θεμελίου τοῦ ἀστέρος. Animadvertendum præterea quantum erret Pachymeres, qui stellarum in summo cœli vertice *geocentricam parallaxim* idcirco nullam esse dicit, quod, erga circulum in quo stella est, Terra tota sit puncti instar: quæ causa, si vera esset, valeret etiam de stellis prope horizontem sitis.

§ 7. Mundi ἐκπυρώσεις secundum Heraclitum et stoicos multis auctoribus celebrantur, et dudum notum est huic doctrinæ accessisse astrologicum Chaldæorum [1] dogma de astrorum errantium septem in una linea conjunctionis effectu. Sed hoc ipsum dogma ad Heracliti etiam scholam pertinuisse testis in FRAGMENTO SEXTO est, non justus forsan, Pachymeres.

§ 8. De *domibus*, *altitudinibus* et *dejectionibus*, quas Soli, Lunæ et stellis quinque errantibus tribuebant astrologi, testis idoneus est, in FRAGMENTO SEPTIMO, Pachymeres, etsi astrologiæ inimicus, et cum astrologis Ptolemæo [2], Pselloque [3] et Firmico [4] hac de re consentit, præterquam in Marte et Mercurio aliam etiam fuisse astrologorum nonnullorum opinionem narrat. In hoc autem errat, quod, quum ὑψώματα et ταπεινώματα ipse in fragmento tertio appellaverit *apogea* et *perigea*, et in præsenti fragmento ὑψώματα etiam nominari dicat transitus per meridianum circulum et ταπεινώματα transitus per horizontem, statuere non dubitat similiter ad distantiam a centro Terræ et simul ad situm erga horizontem aliquo modo spectare astrolo-

[1] Vide Senecam, *Quæst. nat.* III, XXIX, § 1.

[2] *Quadripart.* I, XV et XVII.

[3] *De mathematicis scientiis*, p. 97. Basileæ, 1554, in-12.

[4] *Astron.* II, III, p. 17.

gicas illas *altitudines* et *dejectiones*. Verum *altitudines* illæ nec cum *apogeis*, nec cum *borealibus limitibus*, nec cum *ascendentibus* etiam *nodis* congruunt. Et sane *altitudinum* et *dejectionum* positionis causas mere superstitiosas minimeque astronomicas afferunt Ptolemæus et ceteri astrologi. Plinius[1] vero, ejusdem atque Pachymeres farinæ astronomus, astrorum errantium astrologicas altitudines ad distantias eorum a Terra spectare falso credidit, ut nos in alio opere[2] ostendemus.

[1] II, XIII (XVI), t. I, p. 244-246 Franzii.

[2] *Histoire des sciences physiques dans l'antiquité*, t. II, *Histoire de l'astronomie ancienne*.

Sit A codex 2338. Sit B codex 2339. Sit C codex 2340. Codicum A et C singula folia numeris insignita sunt, quæ in fragmentorum inde excerptorum initiis indicamus. In codice B, scripti non sunt foliorum numeri.

ΓΕΩΡΓΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΧΥΜΗΡΟΥΣ,

ΕΚ ΤΟΥ ΠΕΡΙ ΑΣΤΡΟΝΟΜΙΑΣ,

ΕΚΛΕΧΘΕΝΤΑ ΑΠΟΣΠΑΣΜΑΤΑ.

ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ Α.

Cod. A fol. 265 a. — Cod. C fol. 217 a et b.

Ὁρῶνται γὰρ οἱ ἐν τούτῳ [ἐν τῷ παντὶ] ἀστέρες, καὶ μᾶλλον οἱ ἀπλανεῖς (ὡς τῶν πλανήτων ἐλίξεις ποιούντων, ἐν ταῖς καθ' ἡμέραν τῆς τῶν ὅλων φορᾶς ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς καὶ εἰς τὰ προηγούμενα γινομέναις κινήσεσιν, ἐκ τῆς ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀνατολὰς καὶ εἰς τὰ ἑπόμενα θεωρουμένης πορείας), κατὰ παράλληλον κύκλον φερόμενοι, ἀσυναισθήτου παντελῶς οὔσης τῆς ἐκείνων[1] παραλλάξεως, καθ' ἣν ἐν ρ ἔτεσι μοῖραν μίαν ἀπολείπονται, ὡς ἐρρήθη, εἰς τὰ ἑπόμενα κινούμενοι κατὰ λοξότητα, ὡς βραχείας οὔσης. Ἐνῆγε[2] δὲ τοὺς παλαίους καὶ ἄλλως εἰς ἔννοιαν τοῦ τε σφαιρικὸν εἶναι τὸν οὐρανὸν καὶ σφαιρικῶς κινεῖσθαι ἡ τῶν ἀεὶ φαινομένων ἀστέρων περιστροφή, οἵτινες κεῖνται κατὰ τὸν ἀειφανῆ[3] καὶ ἀρκτικὸν λεγόμενον πόλον. Ἑώρων γὰρ αὐτοὺς ἐκ τῆς περιφορᾶς κύκλους γράφοντας, τοὺς μὲν ἐλάττονας, ὅσοι πρὸς τὰ ἔσω τῶν πόλων κεῖνται, τοὺς δὲ μείζονας, ὡς καὶ ἐφάπτεσθαι δοκεῖν τῆς τοῦ ὁρίζοντος ἐπιφανείας.

ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ Β.

Cod. A fol. 264 a. — Cod. C fol. 216 a et b.

Οἱ δὲ ἐν αὐτῷ [ἐν τῷ παντὶ] ἀστέρες, οἱ μὲν πλανώμενοί εἰσι, τὴν ἐναντίαν τῷ παντὶ ὁδεύοντες, καὶ ἀεικίνητοί εἰσιν· οἱ

[1] A, αὐτῶν.

[2] A, B et C, Ἐνῆγον. Ptolemæus (*Comp. math.* I, II, t. I, p. 7 Halmæ), idem dicens, ἦγεν.

E GEORGII PACHYMERIS

ASTRONOMICO LIBRO INEDITO

DELECTA FRAGMENTA.

FRAGMENTUM I.

DE ASTRORUM CIRCUM TERRAM QUOTIDIANO MOTU ET DE CIRCULO SEMPER APPARENTI.

Cernuntur enim quæ in illo [*in mundo*] sunt stellæ, et maxime inerrantes (errantes enim stellæ spiras faciunt, in iis quotidianis, qui universi impetu ab ortibus ad occasus et in præcedentia zodiaci signa fiunt, motibus, propter ipsarum ab occasibus ad ortus et in sequentia signa spectatum iter), secundum parallelos circulos delatæ, quum nequaquam sub sensum cadat, utpote minima, inerrantium stellarum loci mutatio, qua intra centum annos uno gradu pone relinquuntur, ut dictum est, in sequentia signa sese moventes secundum obliquitatem. Induxit autem antiquos aliter etiam, ad cogitandum sphæricum esse cœlum et sphærice moveri, semper apparentium astrorum revolutio, quæ sita sunt intra semper apparentem dictumque arcticum polum [*id est semper apparentem circulum*]. Videbant enim illa per revolutionem circulos describentia, hæc minores, quæcumque in interiori parte polorum [*id est semper apparentis et semper occulti circulorum*] sita sunt, illa vero majores, ita ut etiam tangere videantur horizontis superficiem.

FRAGMENTUM II.

DE INERRANTIUM STELLARUM MOTU IN SEQUENTIA SIGNA AC DE SIDERALIS TROPICIQUE ANNORUM MENSURA, E DIVERSIS PTOLEMÆI ET AUCTORIS IPSIUS OPINIONIBUS.

Stellarum autem quæ in eo [*in mundo*] sunt, aliæ sunt er-

[3] C, ἀφανῆ in textu, sed ἀειφανῆ in margine. A et B, ἀειφανῆ.

δέ, ἀκίνητοι μένοντες, τῷ παντὶ συμπεριφέρονται· εἰ καὶ οὗτοι ἀσυναίσθητόν[1] τινα κίνησιν καθ' ἑαυτοὺς ἔχουσιν, ὡς ὑποποδίζειν καθ' ἑκατον ἔτη μοῖραν μίαν, καθὼς οἱ περὶ ταῦτα ἐσχολακότες συντηρήσαντες ἀπεφήναντο. Καθὸ καὶ τὴν τοῦ ἡλίου εἰς τὸ αὐτὸ ἐνιαυσίαν ἀποκατάστασιν ἐν μοίραις λέγουσι γίνεσθαι τξε καὶ λέπτοις πρώτοις μὲν ιδ, δευτέροις δὲ μη· ἐμελλον γὰρ εἶναι τξε δ'· τὸ δὲ δ' τῆς μοίρας ιε λέπτων· ἀλλὰ διὰ ταύτην τὴν ὑποπόδισιν, ἣν τινες μὲν τοῦ παντὸς λέγουσιν, οἱ δὲ κατὰ Πτολεμαῖον τῶν ἀπλανῶν, ἐλλείπουσι πρὸς τὸ τέλειον τῆς κινήσεως δεύτερα λεπτὰ ιϛ. Καὶ ἀπορίαν ἔχει πῶς οὐ λς, ἀλλὰ ιϛ· ταῦτα γὰρ ἐπὶ τὰ ρ ἔτη πολλαπλασιαζόμενα τὸν ,γχ ποιεῖ· ἃ δὴ τὴν μίαν μοῖραν ἀποτελοῦσι. Μήποτε οὖν κρειττόνως Πτολεμαῖος ἐνενόησε καὶ τὴν τῶν ἀπλανῶν κίνησιν ταύτην ἔθετο, ὡς ἄλλης οὔσης τῆς ἐναριθμήσεως τῆς κινήσεως τοῦ παντὸς πρὸς τὴν τοῦ ἡλίου κίνησιν. Εἰ γὰρ ἐν ρ ἔτεσι μοῖραν μίαν τὸ πᾶν ὀπισθοποδεῖ, εἰκὸς ἐσλὶ καθ' ἕκασλον ἔτος ὀπισθοποδεῖν λεπτὰ δεύτερα λς, ταῦτα δὲ ἐπὶ τὰ ρ πολλαπλασιαζόμενα ,γχ ἀποτελεῖν· ταῦτα δ' ὡς[2] δεύτερα λεπτά, ἑξήκοντα πρῶτα ποιοῦσιν, ἃ δὴ μοῖρα μία ἐσλίν[3]. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπως ἔχει, κατὰ τὸ ἀκριβὲς λεγέτωσαν οἱ τὴν ἐπισλήμην ἀκριβεῖς.

ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ Γ.

Cod. A fol. 323 a-325 a. — Cod. C fol. 256 b-258 a.

Περὶ γὰρ τῶν ἐν οὐρανῷ κινουμένων σφαιρῶν καὶ θεάσαντες εἴπομεν, ὅτι τε ἔννεα αἱ σφαῖραι πᾶσαι, καὶ ἡ μὲν ἐννάτη καὶ ὑψελοτάτη καθ' ἓν νυχθήμερον ἀπ' ἀνατολῆς εἰς δύσιν κινουμένη

[1] C, *ἀναίσθητον* in textu, sed *ἀσυναίσθητον* in margine. A et B, *ἀσυναίσθητον*.

[2] C, *δὲ ὡς*.

rantes, contrariam mundo sequentes viam, ac semper moventur : aliæ vero, immobiles manentes, cum mundo circumferuntur. Quanquam et hæ sub sensum non cadentem motum quemdam sibi proprium habent, ita ut retrogrediantur centum annis gradum unum, prout earum rerum studiosi observationibus edocti pronuntiaverunt. Similiter etiam Solis ad idem punctum annuam restitutionem fieri dicunt in [*temporis*] partibus 365, particulis primis 14, et secundis 48. Deberent enim esse 365 $\frac{1}{4}$: atqui partis unius quarta pars 15 particularum est; sed propter hunc retrogressum, quem aliqui rerum universitatis, inerrantium vero esse dicunt ii qui Ptolemæum sequuntur, ad perfectionem motus desunt secundi ordinis particulæ 12. At expedire difficile est cur non 36, sed 12. Nam hæ 36 secundæ particulæ, per 100 annos multiplicatæ, 3600 numerum faciunt: quæ unam efficiunt partem. Haud scio an ergo Ptolemæus in majus crediderit, talem inerrantium motum statuens, quandoquidem alia est mundi motus supputatio cum Solis motu collati. Si enim intra centum annos unam partem mundus retrogreditur, consentaneum est unoquoque anno eum retrogredi secundi ordinis particulas 36, quæ, per centum multiplicatæ, 3600 efficiunt, et hæ, utpote secundi ordinis particulæ, primi ordinis 60 faciunt, quæ sunt una pars tota. Sed hæc quidem quomodo sese habeant, accurate dicant ii qui accuratam in scientia diligentiam sectantur.

FRAGMENTUM III.

DE INERRANTIUM STELLARUM MOTU, E DIVERSIS PTOLEMÆI ET ALBATENII OBSERVATIONIBUS, ATQUE DE ERRANTIUM ASTRORUM SPHÆRIS AC MOTIBUS IN LONGITUDINEM, LATITUDINEM ET ALTITUDINEM.

De sphæris enim in cœlo sese moventibus jam antea diximus, novem esse sphæras omnes, et nonam altissimamque diei noc-

[a] A, ἐσῖι.

ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου εἰς τὸ αὐτὸ σημεῖον πάλιν ἀποκαθίσταται. Αὐτή ἐστιν ἡ ἀνάστρος, ἥτις καὶ τὰς ἑτέρας σφαίρας μεθ' ἑαυτῆς κινεῖ. Ἥ τε μετ' αὐτὴν καὶ ὀγδόη σφαῖρα ἰδίαν ἔχει κίνησιν τὴν ἀπὸ δύσεως ἐπ' ἀνατολήν, μίαν δὲ μοῖραν κινεῖται τὴν αὐτὴν τῷ παντὶ κατὰ ἑκατὸν ἔτη, ἡ καὶ κατ' ἄλλους ξς, καθ' ἣν καὶ τὴν οἰκείαν[1] ἀποκαθίστησι κίνησιν· ὥστε, εἰ ἦν δυνατὸν διαμένειν τὸν κόσμον εἰς κδ χιλιάδας χρόνους, μίαν περιπλέναι ταύτην κινεῖσθαι περιφορὰν ἀπὸ ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν. Μετρεῖ δὲ Πτολεμαῖος καὶ τὸ μεταξὺ διάστημα τῶν δύο σφαιρῶν, καὶ εὑρίσκει τοῦτο μοιρῶν κγ καὶ λεπτῶν πρώτων νϛ. Ἡ ἑβδόμη σφαῖρα ἡ σφαῖρα τοῦ Κρόνου ἐστίν, ἥτις ἀποκαθίσταται ἐν χρόνοις λ. Ἡ μετ' αὐτὴν καὶ ἕκτη τοῦ Διός[2], ἐν ιϐ χρόνοις τὴν ἀποκατάστασιν ἔχουσα. Ἡ πέμπτη καὶ μετ' αὐτὴν τοῦ Ἄρεος[3], ἥτις ἐν δύσι χρόνοις ἐλάτταν ἀποκαθίσταται. Ἡ τετάρτη τοῦ ἡλίου[4], ἐν ἑνὶ χρόνῳ τὴν ἀποκατάστασιν ἔχουσα. Ἡ τρίτη τῆς Ἀφροδίτης[5], ἥτις καὶ αὐτὴ ἐν ἑνὶ χρόνῳ ἀποκαθίσταται. Ἡ δευτέρα τοῦ Ἑρμοῦ[6], ἥτις καὶ αὐτὴ ἐν χρόνῳ ἑνὶ ἀποκαθίσταται. Ὑστάτη πάντων καὶ πρώτη πρὸς ἡμᾶς ἡ τῆς σελήνης[7] σφαῖρα, ἥτις διὰ ἡμερῶν κη ἀποκαθίσταται. Αὗται οὖν αἱ ζ σφαῖραι ἀνὰ ἑνὰ ἀστέρα ἔχουσιν· οἱ δὲ ἄλλοι ἀστέρες ἐν τῇ ὀγδόῃ σφαίρᾳ εἰσὶ πεπηγότες.

Οὗτοι δὲ οἱ πλανῆτες διὰ τῶν σφαιρῶν τούτων διέρχονται, καὶ ὑψώματα ἔχουσι καὶ ταπεινώματα κατὰ τὴν προαιρετικὴν αὐτῶν κίνησιν. Τέως γε μὴν ἡ σὺν τῷ παντὶ περιφορὰ τούτων ἰδίους κύκλους ποιεῖ. Αἱ γὰρ σφαῖραι τούτων τριχῶς διαιροῦνται. Ἡ γὰρ ἐκκεντροί εἰσι πρὸς τὸ τῆς γῆς κέντρον καὶ οὐ τὸ αὐτὸ κέντρον ἔχουσι τῷ κόσμῳ, καὶ λέγεται ἡ σφαῖρα ἐκείνη σφαῖρα ὑψώματός τε καὶ ταπεινώματος, ἐπὶ μὲν τοῦ μέρους ὅπου ἐστὶ πλεῖον τὸ πλά-

[1] C, *ἰδίαν*.

[2] A, B et C hic habent, pro voce Διός, signum compendiosum, quod vide in Tabula B, n° 42 *a*, et cujus pars præcipua est ζ, prima littera vocis Ζεύς.

[3] Pro voce Ἄρεος, sive pro voce Θούρου, cognomine Martis dei perpetuo in Homeri *Iliade* et stellæ Martis nomine apud sequioris ætatis astrologos, in codicibus A, B et C est signum, littera Θ et ima parte litteræ ρ præcipue constans, quod vide in Tab. B, n° 42 *b*.

tisque unius spatio ab ortu ad occasum sese moventem ab eodem puncto ad idem punctum restitui. Hæc autem est sphæra astris vacua, quæ ceteras sphæras secum rapit. Quæ post hanc venit, octava sphæra proprium habet motum ab occidente in orientem; sed unam partem movetur eodem versus, quo et universum, intra centum annos, sive secundum alios intra annos 66, quo versus proprium etiam restituit motum. Itaque, si fieri posset ut mundus per 24 temporum [*id est annorum*] millia immobilis maneret, ea naturali motu unam hanc revolutionem ab oriente in occidentem perficeret. Metitur etiam Ptolemæus intervallum inter has duo sphæras [*vel potius angulum inter earum axes, id est ecliptici obliquitatem*], et invenit illud partium 23 et particularum primi ordinis 52. Septima sphæra est sphæra Saturni, quæ restituitur temporibus [*annis*] 30. Quæ post eam est, sexta est Jovis, 12 temporibus [*annis*] restitutionem habens. Quinta et post illam est Martis, quæ duobus temporibus [*annis*] et minus restitutionem habet. Quarta Solis est, uno tempore [*anno*] restitutionem habens. Tertia Veneris, quæ et ipsa uno tempore [*anno*] restituitur. Secunda Mercurii, quæ et ipsa tempore [*anno*] uno restituitur. Ultima omnium et prima nobis Lunæ sphæra, quæ diebus 28 restituitur. Hæ ergo sphæræ septem unam singulæ stellam habent : ceteræ stellæ octavæ sphæræ infixæ sunt.

Illæ autem errantes stellæ per has sphæras transeunt, altitudinesque habent et dejectiones in electivo suo ipsarum motu. Attamen cum mundo fiens revolutio ipsarum proprios circulos facit. Sphæræ enim ipsarum tripliciter dividuntur. Aut enim excentricæ sunt erga Terræ centrum, nec idem, atque mundus, centrum habent, et hæc sphæra dicitur *sphæru altitudinis et de-*

[4] A, B et C habent signum Solis, quod vide in Tab. B, n° 11.

[5] Vide signum in Tab. B, n° 43 *b*.

[6] Vide signum in Tab. B, n° 43 *a*.

[7] Vide signum in Tab. B, n° 12 *b*.

τος, ὑψώματος, ἐπὶ δὲ τοῦ μέρους ὅπου ἐστὶν ἔλαττον τὸ πλάτος[1], ταπεινώματος. Ἢ τὸ αὐτὸ τῷ κόσμῳ κέντρον ἔχουσι, καὶ τοῦτο διχῶς· ἡ γὰρ καὶ κατ' ἐναντίον οὐκ ἐστὶ τῆς ζώνης τῶν ζωδίων[2], καὶ λέγεται ἡ σφαῖρα ἐκείνη μετακλίσεως· ἡ τὸ τρίτον, ὅτι καὶ τὸ αὐτὸ τῷ παντὶ κέντρον ἔχει ἡ σφαῖρα, καὶ ἡ ζώνη ταύτης κατ' ἐναντίον τῆς ζώνης τῶν ζωδίων ἐστὶ καὶ ὁμοιοῦται αὐτῇ τῇ σφαίρᾳ τῶν ζωδίων. Ὅτε γοῦν γίνεταί τις τῶν πλανήτων εἰς τὴν ὁδὸν τοῦ ἡλίου[3] κακεῖθεν εἰς τὸ βόρειον ἀποκλίνει μέρος, ἀναβιβάζων καλεῖται ὁ πλανήτης, ὅτε δὲ ἀπὸ τῆς ὁδοῦ τοῦ ἡλίου[4] παρελθών τις πρὸς τὸ νότιον εἰσέρχεται μέρος, καταβιβάζων καλεῖται· ὧν πολλὴ χρεία τοῖς ἀστρολέσχαις πρὸς ἀστρολογίαν. Τὸ μέσον γοῦν τοῦ ἀναβιβάζοντος καὶ τοῦ καταβιβάζοντος Κρόνου μοίρας λέγουσιν ρμ, τοῦ δὲ Διὸς μοίρας ο, τοῦ δὲ Ἄρεος καὶ τῆς Ἀφροδίτης μοίρας ζ, τοῦ δὲ Ἑρμοῦ μοίρας σο, τῆς δέ γε σελήνης παρ' ἑκάτερα μοίρας ε, ὡς ἀπὸ τοῦ ἡλίου δεχομένης[5] τὴν λαμπηδόνα, τῆς προνοίας οὕτω κατ' αὐτὴν ταξάσης, ὡς καὶ μάκραν ἀπολείπεσθαι τοῦ φωτίζοντος.

Τούτων δὲ τῶν ε' πλανήτων, φασίν, ὁσάκις ἐν τῇ ἰδίᾳ σφαίρᾳ εἰς τὸ τέταρτον τεταρτημόριον φθάσει, ἅμα δὲ καὶ τὸ πρῶτον ἐκ τούτου, ἐξ ὀρθοῦ κινεῖται[6], διότι τὸ ς' τῆς ἰδίας σφαίρας μετὰ τῆς τάξεως τῶν ζωδίων κινεῖται. Εἰ δὲ εὑρίσκεται ἐξ ἐκείνου ὁ ἀστὴρ ἡ εἰς τὸ δεύτερον τεταρτημόριον, ἢ εἰς τὸ τρίτον φθάσας, ὡς ἐκ τοῦ τετάρτου εἰς ταῦτα κατασλάς, ὑποποδίζειν λέγεται, διότι το ς' τῆς ἰδίας σφαίρας ἔξω τῆς τάξεως κινεῖται τῶν ζωδίων. Ὁπόταν οὖν ὁ ἀστὴρ ᾖ εἰς τὴν ἀρχὴν εἴτε τοῦ δευτέρου τεταρτημορίου, εἴτε τοῦ τετάρτου, τότε στηρίζειν λέγεται ἢ τὸν δεύτερον στηριγμόν, ἢ τὸν πρῶτον· ἐν ἀρχῇ μὲν τοῦ δευτέρου

[1] A, B et C, μέρος; sed male. Legendum πλάτος, ut paulo supra in eadem propositione. Malimus tamen in utroque loco βάθος. Sed Pachymeres perverse imitatus fuisse videtur Theonis Sm. (*Astron.* c. XLI) dictionem, qua circulorum intus cavorum, qui excentricorum ambitus intra se continent, πλάτος id nominatur, quod cavarum sphærarum excentricos etiam ambitus continentium βάθος dici solet (Theonis Sm. *Astron.* c. XXXII). Vide Notam nostram BB ad Theonis Sm. *Astronomiam*.

jectionis, scilicet, in parte ubi latius extenditur, *altitudinis*, in parte vero ubi minus, *dejectionis*. Aut idem, atque mundus, habent centrum, idque duplici modo : aut enim zodiaci cincturæ in conspectu sita non est [earum cinctura], et tunc ea vocatur sphæra inclinationis; aut fit tertium, ut idem, atque mundus, centrum habeat sphæra, et illius cinctura in conspectu sit zodiaci cincturæ, et similis ea sphæra videatur zodiaci sphæræ. Quando ergo errantium stellarum aliqua in Solis viam [*eclipticum circulum*] devenit, et inde in borealem inclinat partem, *ascendens* dicitur stella; quando vero e Solis via excedens stella aliqua in australem ingreditur partem, *descendens* dicitur. Quarum rerum multus est usus astrorum studiosis in astrologiam. Medius ergo locus inter ascensum et descensum Saturni gradus dicantur 140, Jovis gradus 70, Martis et Veneris gradus 90, Mercurii gradus 270; Lunæ autem utrinque sunt gradus 5 : quum enim a Sole lumen accipiat, ea quæ ad eam spectant ita Providentia ordinavit, ut etiam longe ab illuminanti recedat.

Harum autem quinque stellarum errantium, ut aiunt, quæcumque in propriæ sphæræ [*id est epicycli sphæræ*] quatuor partium [*ex apogeo orientem versus numeratarum*] quartam partem, sive ex hac in primam ingrediuntur, in directum moventur, quoniam propriæ sphæræ [*epicycli sphæræ*] dimidiam partem moventur secundum signorum zodiaci ordinem. Sin autem invenitur stella ex ea [*dimidia parte*] sive in secundam, sive in tertiam quatuor partium procedens, utpote e quarta in illas ingressa, retrocedere dicitur, quoniam propriæ sphæræ [*epicycli sphæræ*] dimidiam partem movetur extra signorum ordinem. Quotiescumque ergo stella est in principio sive secundæ,

[2] Addere debuerat auctor ἡ αὐτῶν ζώνη.

[3] Vide Tab. B, n° 11.

[4] Vide Tab. B, n° 11.

[5] Sic A et B. Sic etiam C in margine, sed in textu διερχομένης.

[6] Sic A et B. Sic etiam C in margine, sed in textu κεῖνται.

τεταρτημορίου τὸν πρῶτον, ἐν ἀρχῇ δὲ τοῦ τετάρτου τεταρτημορίου τὸν δεύτερον.

ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ Δ.

Cod. A fol. 272 *b*. — Cod. C fol. 223 *b*-224 *a*.

Ὁ τοίνυν ἥλιος ἑκάστης ἡμέρας κινεῖται κατὰ μῆκος μοῖραν μίαν ἐγγιστα, ἡ δὲ σελήνη ιγ, ὁ δὲ Κρόνος ο. ϛ', ὁ δὲ Ζεὺς ο. ε', ὁ δὲ Ἄρης ο. λα', ἡ δὲ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἑρμῆς μοῖραν μίαν ἐγγιστα. Κινοῦνται δὲ καὶ κατὰ πλάτος καὶ βάθος, ὑπολειπόμενοι τῶν ἀπλανῶν, οἳ δὴ καὶ συντηροῦσι τὰ αὐτὰ πρὸς ἀλλήλους διαστήματα διὰ τὸ βραχιστὸν καὶ ἀνεπαίσθητον πάντη τῆς καθ' αὐτοὺς κινήσεως. Ἐπεί τοί γε πάντες μὲν οἱ ἀστέρες, οἵ τε πλανώμενοι καὶ οἱ ἀπλανεῖς, ἕλικας κατὰ τὸ εἰκὸς ποιοῦσιν[1] ἀνατέλλοντες καὶ δυόμενοι, καὶ παράλλαξιν τῶν τόπων ποιούμενοι· ἀλλ' οἱ μὲν πλανώμενοι φανεραὶς καὶ ὑπ' αἴσθησιν, οἱ δὲ ἀπλανεῖς ἀνεπαισθήτους τὸ καθ' ἡμέραν, τέως ὅμως συγκεφαλαιουμένας ἐν τόσοις ἔτεσιν εἴς τι πόσον τῆς τῶν τόπων παραλλαγῆς, καθ' οὓς ἀνατέλλουσί τε σὺν τῷ παντὶ καὶ δύνουσι καὶ μεσουρανοῦσι. Ταῦτα γὰρ τὰ τρία σημεῖα ἐπὶ τῶν σημειώσεων τῶν ἀστέρων ζητοῦνται.....

Καὶ ὁ μὲν ἥλιος καὶ ἡ σελήνη ἐπὶτοῦ διὰ μέσων τῶν ζωδίων τρέχουσι, τέως δὲ καὶ τοῦ ἡλίου μᾶλλον αὐτὴ ὑπερεκπίπτει κατὰ πλάτος πρὸς βορρᾶν καὶ νότον. Ἔχουσι δὲ καὶ[2] ἀναποδισμοὺς δηλονότι, προποδισμοὺς καὶ ὑποποδισμοὺς οἱ ἄλλοι πλανῆτες· σελήνη δὲ ἀναποδισμοὺς οὐ πάνυ τοι ἔχει, ἀντὶ τούτων δὲ τὰς μείον αὐξήσεις ἔχει. Ταῦτα δὲ πάντως ὡς εἴ τινα πάθη λογίζονται. Ἕλληνες δέ, μὴ καταδεχόμενοι πάθη ἔχειν τὰ θεῖα σώματα (ἄτακτον γὰρ καὶ ἀνώμαλον τὰ τοιαῦτα παρισλῶσι[3] τὴν αὐτῶν κίνησιν, προσήκοντα[4] μᾶλλον ἐκείνων τοῖς ἐν γενέ-

[1] A, ποιοῦσι.

[2] C non habet καί.

[3] Sic A, B et C, corrupte, pro παρισλᾶσι.

sive quartæ quatuor partium, tunc stationem facere dicitur sive secundam, sive primam, et primam quidem in principio secundæ quatuor partium, secundam in principio quartæ.

FRAGMENTUM IV.

DE ASTRORUM OMNIUM MOTIBUS IN LONGITUDINEM ET IN SPIRAM; DE ERRANTIUM MOTUS INÆQUALITATE, ET DE ASTRONOMICIS HYPOTHESIBUS.

Sol ergo quotidie movetur in longitudinem gradum unum proxime; Luna autem 13°; Saturnus 0°, 2′; Jupiter 0°, 5′; Mars 0°, 31′; Venus et Mercurius gradum unum proxime. Moventur etiam in latitudinem et in altitudinem, dum relinquuntur pone stellas inerrantes, quæ servant eadem invicem intervalla propter maximam nec sub sensus cadentem proprii earum motus exiguitatem. Namque stellæ omnes, tam errantes quam inerrantes, spiras describere congruum est, quoniam orientes occidentesque locorum mutationes faciunt; sed spiræ, quas errantes stellæ describunt, evidentes sunt et sub sensum cadunt; quas vero describunt inerrantes stellæ, insensiles sunt singulis diebus, donec tamen simul additæ sint per multos annos in quantitatem aliquam mutationis locorum [*horizontis et meridiani circuli*], in quibus per mundi motum quotidianum oriuntur occiduntque et per meridianum circulum transeunt. Hæc enim tria puncta in designationibus astrorum quæruntur.....

Sol autem et Luna in circulo per signa medio currunt, nisi quod magis quam Sol ea ex illo excedit in latitudinem ad aquilonem et ad austrum. Habent etiam, ut patet, retrocessus, ad antecedentia motus et regressiones ceteræ errantes stellæ; Luna vero retrogressus nequaquam habet, sed eorum loco deminutiones habet [*et augmenta*]. Hæc omnino tanquam affectiones quasdam imputant. Græci vero, qui non admittunt cœlestium corporum esse affectiones (ista enim incompositum et inæqua-

[a] C, προσήχοντα in textu, sed προσήκοντα in margine.

σει), θέλοντες καὶ ταύτας τὰς κινήσεις ὁμαλὰς καθεστάναι καὶ τεταγμένας, ἐπικύκλους καὶ ἐγκέντρους[1] γράφουσι τούτοις κατὰ τοὺς τοιούτους σχηματισμοὺς τῶν κινήσεων.

ΑΠΟΣΠΑΣΜΑ Ε.

Cod. A fol. 324 b-325 a. — Cod. C fol. 257 b.

Τὸ δὲ περὶ τοῦ πλείονος καὶ τοῦ ἐλάττονος τῆς ὑψεως τοιοῦτόν τί ἐστιν. Ἐν τοῖς λεγομένοις μεσουρανήμασι[2] γραμμὴ ἐξέρχεται ἀπὸ τοῦ κέντρου τοῦ κόσμου καὶ εἰς τὸ κέντρον τοῦ ἀστέρος διαβιβάζεται εἰς αὐτὸν τὸν[3] κύκλον τῆς ἀναβάσεως· ἐκείνη δὲ ἡ γραμμὴ κατ' εὐθεῖαν ἐκτείνεται μέχρι καὶ τῆς σφαίρας τῶν ζωδίων. Ἐκεῖ γοῦν, ἔνθα λήγει ἡ γραμμή, ἀεὶ σημεῖον ἐπινοεῖται. Ἀπὸ δὲ τῆς ἐπιφανείας τῆς γῆς, εἰς ἣν εὑρισκόμεθα, ἑτέρα γραμμὴ ἐκβάλλεται κατ' εὐθεῖαν, καὶ διὰ τοῦ κέντρου τοῦ ἀστέρος διαβιβάζεται εἰς τὸν κύκλον τῆς ἀναβάσεως, καὶ ἐκτείνεται μέχρι καὶ τῆς σφαίρας τῶν ζωδίων, καὶ ἔνθα λήξει, ἐκεῖ σημεῖον ἐπινοεῖται. Εἴ τι γοῦν ἐστὶ μέσον τῶν δύο ἐκείνων σημείων, τὸ πλέον καὶ ἔλαττον τῆς ὑψεως λέγεται. Ἡ γὰρ πολὺ ἀπέχουσι τὰ σημεῖα, τό τε τῆς ὑψεως καὶ τὸ ἀπὸ τοῦ κέντρου τοῦ κόσμου, ἡ ἔλαττον. Ὁπόταν δὲ ᾖ[4] ὁ ἀστὴρ ὑπὲρ κεφαλῆς ἡμῶν, πλέον καὶ ἔλαττον τῆς ὑψεως οὐκ ἔχει, διότι αἱ δύο γραμμαὶ ἐφ' ἑνὶ σημείῳ ἐγένοντο, σημείου λόγον ἐχούσης πρὸς ἐκεῖνον τὸν κύκλον ἁπάσης τῆς γῆς· καὶ τοῦτό ἐστι τὸ μεσουράνημα, ὅταν μὴ παραλλάσσωσιν αἱ δύο γραμμαί, ἥ τε πρὸς τὸν ἀστέρα καὶ ἡ ἔξω τοῦ ἀστέρος ἀφ' ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας ὑψεως ἐκβαλλομένη. Ὅσον οὖν ὁ ἀστὴρ πλησιέστερος[5] γίνεται τῆς γῆς διὰ τοὺς ἐκκέντρους κύκλους (τὸ γὰρ ἔκκεντρον τῶν κύκλων ποιεῖ τὰ ὑψώματα καὶ τὰ ταπεινώματα τῶν ἀστέρων), ὅσον γοῦν ἐστὶ προσ-

[1] A, B et C, ἐπὶ κύκλους ἐγκέντρους.
[2] A, B et C, μεσουρανήμασιν.
[3] B et C, τὸν αὐτόν.
[4] C, δ' ᾖ.

bilem efficiunt eorum motum, et magis, quam illis, conveniunt iis quæ generationi subjecta sunt), volentes eos etiam motus æquabiles et compositos statuere, epicyclos et concentricos circulos eis describunt stellis secundum tales motuum figuras.

FRAGMENTUM V.

DE GEOCENTRICA PARALLAXI.

